HARTMANNI SPRINGLII
Theologi Clarissimi

DE HODIERNIS HÆRESIBUS ET HÆRETICIS PARS SECUNDA;


In quinque libros digesta:

Complectentes tum INDICEM verarum & præcipuarum Hæresum antiquarum, quibus in genere PAPATUS ferè totus infectus sit, tum illarum Hæresum, quibus ipsi Pontifices Romani in specie sunt dediti, opposità singulis Hæresibus orthodoxà doctrinà & fide.

Huc autem referuntur,

Ut ipsi PAPISTÆ & Romanæ Ecclesiæ Sectatores partim videant, non injurià ipsosmet tam accusationem & maculam criminis Hæreseos sustinere, quàm nomen ac titulum Hæreticorum mereri: partim orthodoxà doctrinà & fide Euangelicarum Ecclesiarum conspectà, ac Euangelicorum innocentià circa accusationem criminis Hæreseos & imputationem nominis Hæretici cognità, se meliùs agnoscere discant, ab odio & insectatione Euangelicorum abstineant, & relictà corruptà Romanæ Ecclesiæ religione, sese sinceriori reformatarum Ecclesiarum aggregent.

Addito duplici eoq; copiosiss.mo Capitum ac Rerum INDICE.





OPPENHEIMII
Typis & sumptibus HIERONYMI GALLERI 1619.



ILLVSTRISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. FRIDERICO V.

S. R. I.

ELECTORI ET ARCHIDAPIFERO
DUCI BAVARIÆ, &c.

Domino ſuo Clementiſſimo

HUNC HARTMANNI SPRINGLII
poſthumum ingenii fœtum

IN

S A.

σύμβολον

HENRICUS SPRINGLIUS F.
humilimè
D. D. D.

NE careat Tutore liber, qui purgat ab omni
Hæreſeôn CHRISTI ſuſpicione gregem.
Lucis in aſpectum auguſto ſub nomine prodit
PRINCIPIS AUGUSTI: & ſic quoque tutus erit.

GENEVENSIS ECCLESIÆ PASTORES, ET SCHOLÆ PROFESSORES, HARTMANNO SPRINGLIO S. P. D.



Nte duos menses & literas tuas humanissimas, dilecte & reverende in Christo frater, & elaboratum illud opus, à te contra sycophantas de Haresi Christi Ecclesia litem improbam moventes, accepimus. Rei pratermissa vel non citiùs confecta culpam (si qua est) deprecamur. Sed ad rem. Codicem tuum manuscriptum quibusdam ex cœtu nostro perlegendum commisimus, quem propter varia negotia fortasse diutiùs, quàm par fuit, retinuerunt. Tandem ex horum relatione tibi significamus, te libros scripsisse de haresibus contra Bellarminum & alios, Ecclesia Christi futuros admodum utiles: quos ad te remittimus, ut extremâ manu admotâ per typographos vestros tandē multis piis & doctis cõmunices, atq; Adversarios ad veritatis amorem pertrahas, vel des in ruborē, & convictos relinquas justo judici. Utinam verò tu, tuiq; similes, qui ingenio valetis, quibus pii Magistratus gratitudo facit otia, quorum studia per tot annos multum placida fuêre, de articulis variis controversis, necdum absolutè explicatis, tractatione accuratâ Ecclesia Christi, Pontificiorum machinis oppugnata, feratis auxilium. Habuistis habetis etiamnum exempla domestica eximia, pro quibus ingentes Christo Deo Opt. Max. gratias agimus, quem etiam tibi, Reverende Domine & dilectissime frater, vovemus propitium. Geneva 12. Octob. 1610.

Fratrum nomine & mandato, Simon Goulartius Silvanectinus, subscripsi.

NOBILISSIMO D. JOHANNI IM THURN, SCAPHUSIANO S.

CLarissime Vir, Tractatum Domini Springlii citiùs vobis remisissem, si citiùs à Domino Goulartio & Dn. Fayo fuisset redditus, qui propter quotidianas occupationes eum hactenus in suis musæis habuerunt. Eruditus est Tractatus, & pius is Tractatus. Ista namque duo requiruntur. Nam quid aliud Theologici Tractatus habere debent, nisi ut ad veram pietatem lectores revocent? & ut solidè orthodoxam doctrinam asserant? Polemici Tractatus, qui tantùm aliorum sententias refellunt, nullam proferunt Ecclesiis ædificationem, nisi indicent quid sit vera pietas, & ad Deum animas convertant. Non satis est debellare, evertere prava dogmata, sed unà

est

est demonstranda salutis ratia & via, qua exstruit & adificat. Illud, quum spectetur à Domino Springlio, non potest non magnopere probari, &c. Genevæ 20. Octob. 1610.

Tui studiosissimus & observantissimus

Gaspar Laurentius, Logicæ & Rhetoricæ Professor Genevæ.

Clarissimo & doctissimo Viro

Dn. HARTMANNO SPRINGLIO ECCLESIÆ
Wilensis Pastori, & vicinarum Decano vigilantissimo,
Dn. & fratri meo ἐν κυρίῳ conjunctissimo.


ALiquot litteræ tuæ ultimæ, Vir clarissime & amicissime, aut absente me, in ædes meas sunt perlatæ, aut paulò tunc occupatiori redditæ. Hæc caussa est, ut responsum distulerim. Jam scire te velim, tractatum tuum de Unctione *me juniori typographo reddidisse dudum, & probè cõmendâsse. Ille more suo tergiversatur, & impressionẽ hactenus recusat, quicquid ego illi replicem. Quod si 200. aut plura ab eo exempla emere spondeas: tum fortassis ille tibi gratificari possit. Sed istud, quomodo tibi suadeam, non video, quum iniquum videatur laborem exantlare, & laborem eundem pretio redimere. Tute igitur pro tua prudentia, quid faciendum sit, porrò dispicies. Interim exemplar retinere jussus est, & acceptius responsum meditari: de quo neque dum mihi constat. Majorem Tractatum* de Hæresibus hodiernis *non impediemus si typographum idoneum nanciscaris: de quo aliquando coràm tecum agam. Vale. Tiguri raptim* 4. Feb. 1613.

Tui perpetuò studiosissimus

Caspar Waserus.

Inde ad Ministros & Professores Ecclesiæ atque Scholæ BERNENSIS Tractatum istum de Hæresibus misi, quàm primùm copia ejus edendi in lucem à nostris Censoribus m hi facta est. li rescripserunt.

S. *Tam tuas literas, quàm libros ad nos transmissos, Reverende & Ornatissime Vir, non parva cum voluptate accepimus.* U*t enim delectamur amore ac favore omnium, etiam antehac ignotorum erga nos; ita quæ ab illis benevolentiæ, humanitatis, pietatis, diligentiæq; plena ad nos veniunt, non possunt nobis non accepta esse. Inprimis gaudemus sanctis studiis Ministrorum quorumcunq; vestræ Ecclesiæ, à qua nobis reformata doctrina quasi manu tradita est. Tuum ergo Tractatum* de Hæresibus & Hæreticis *avidè legimus & revolvimus. Propositum ejus grave, difficile, operosum: sed opportunum, moderatum, pium, seq; necessitate & utilitate commendans. Ac materiam, ordinem, industriam in eo tuam nobis placuisse indicamus. Ingenuè fatemur, spem nobis affulgere non exiguam, eum piis studiosisq; veritatis suo suffragio approbatum iri, ac*



ELENCHUS CAPITUM IN LIBRIS SECUNDÆ PARTIS CONTENTORUM.



DE HODIERNIS HÆRESIBUS ET HÆRETICIS,

PARTIS SECUNDÆ,

LIBER PRIMUS.

HARTMANNO SPRINGLIO Auctore.

CAP. I.

Papistas & Romanæ Ecclesiæ sectatores hodie præcipuos esse Hæreticos, & qua de caussa potissimùm hoc palàm faciendum sit, quâ cum cautione affirmetur, quòve discrimine fiat.



QUID sit Hæresis & Hæreticus, quomodo hodie tam crimen quàm nomen illud in malam partem plerumque accipiatur, quibus verè conveniat, & quàm falsò atque injustè à Papistis tribuatur Euangelicis & reformatarum Ecclesiarum Christianis, Tractatu superiore ostendimus. Nunc occasione ab ipsis Papistis data, & caussis optimis atque gravissimis urgentibus docendum, utrumque maximè Papistis convenire, qui doctrinam & religionem ex variis hæresibus consutam amplexi, præcipui hujus temporis hæretici & sint & dici mereantur. Nec tamen simpliciter & præcisè hoc de omnibus & singulis Papistis dicimus, sed pios & electos Dei in Papatu excipimus: ut infrà meliùs explicabitur.

Optaremus quidem ex animo, ut *aut* omnes Pontificiorum hæreses possimus approbare & excusare, *aut* honestè ex charitatis officio & reverentiâ tegere. Sed *prius* non patitur rei veritas. Nam ubi certò de falsa sententia & hæresi, huicque adhærentibus & & adjacentibus constat, absque magno dedecore & ignominia æquè ac damno approbari nequit. Deinde, sine turpi atque atroci fraude & scelesta veritatis Christianæ jactura & injuria dissimulari & excusari non potest. Sequenda enim sunt tum sacræ Scripturæ, tum Philosophorum principis præcepta, de dicenda & colenda veritate. Nam per Prophetam Deus: *Hæc sunt,* inquit, *quæ facietis. Loquimini veritatem* quis-

I. Veritas ad protrahendas hæreses Papatus nos instigat.

Zach. 8. 16. Psal. 15.

quisque cum proximo suo, veritatem, inquam ac judicium pacis judicate in portis vestris. Quod sanctus Paulus in novo Testamento non minùs inculcat & mandat, dicens: *Deposito mendacio, loquamini veritatem quisque proximo suo. Nam sumus alii aliorum membra.* Et naturali tantùm luce illustratus Aristoteles vel inter Ethnicos; *Quæ nobis*, ait, *etsi difficilis est quæstio, quod nobis amici sunt ii, qui ideas induxerunt: tamen æquum est, veritatis retinendæ caussâ sua etiam decreta tollere, Philosophos præsertim. Etsi enim utrique chari sunt: tamen præclarum est pluris æstimare veritatem.*

Ephes. 4.25.

Ethicorum ad Nicomachum lib. 1. cap. 6.

1. Ipsi Papistæ nos ad detegendas suas hæreses impellunt.

Honestè autem & ex charitatis lege sive officio, ut silentio tegamus, vel dissimulemus Papisticas hæreses, obstat Adversariorum importunitas & impudentia, quæ multiplex est. PRIMO, nunquam non Nos EUANGELICOS innocentes & immerentes ejus sceleris, nempe hæreseos, postulant & accusant, cujus ipsi maximè rei sunt. Quum ergo nobis actionem criminis hæreseos subinde intendant, quamvis nihil probare contra nos possint, annó talioni jure ac lege ipsis intendendum, quod nos possumus probare atque demonstrare? quóve ampliùs & certiùs adhuc nostram innocentiam tueri, omnibusq́ue conspiciendam & palpandam proponere licet? Neque enim solùm lege divina de talionis innitimur, sed etiam æquo & prudenti dicto Democriti apud Aristotelem Rhetoricorum tertio, quod est: Ὁι τ' αὐτῷ κακὰ τέυχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων, id est, *qui alteri perniciem parat, eum paratum esse oportet, ut participet parem.* Nisi ipsi Papistæ nobis hanc mensuram mensi essent, nos ei eam remetiri non cœpissemus. Meminerint ergo verborum Christi: *Qua mensura metimini aliis, eadem vicissim metientur alii vobis.* An illi quum fanda & infanda in nos dicant, omniumque aures omni die malè de nobis loquendo, & nos hæreticos vocitando compleant, sese impunè abituros & evasuros putent? Non sanè æquum est, si injuriam nobis fecisse, culpamque ipsosmet redarguere constat. Si dederunt malum injuria, & maledicta in nos temerè atque iniquè conjecerunt, nec etiamnunc ab iis abstinent, ferant vicissim bene, verè & justè dicta, quæ solidis & dignis probationibus de ipsorum hæreseomania proferemus. Si illis plaustrum hæresum in nos injuria atque falsò congerere jucundum & pulchrum fuit, nobis certè vitio vertere jure haud possunt, si catervas verarum hæresum, quibus scientes vel inscientes, prudentes seu imprudentes implicati & onerati sunt, jure atque verè coacervabimus, & ipsorum aliorumq́ue oculis, auribus, atque mentibus cognoscendas objiciemus.

Exod. 21. 24
Levit. 24.
Deut. 19.

Math. 7. 2.

Si autem molesta & amara ipsis fuerit nostra hæc sedulitas, & noster hic ardor ac zelus, non ei, sed sibi ipsis eâ esse debent: qui nos sua importunitate & petulantia convitiandi, hæresesq́ue præter rationem nobis impingendi, lacessivêre: Nec cessant, sed indies magis magisq́ue omnibus suis scriptis, concionibus, sermonibus, actionibusque provocant, invitosque in hanc arenam protrahunt. Stultè & inique quærentur, sibi & injuriam & contumeliam fieri, quum testimoniis

& probationibus manifestis atque validis: eos hæreseos convicerimus: ipsi verò voluminas falsissimarum & iniquissimarum calumniarum, in tribuẽdo nobis & crimine hæreseos & nomine hæretici, in nos primi conscripserunt & divulgarunt.

3 *Jactantia Papistarum de sua Ecclesia puritate compescenda est.* Deinde, quum *duabus* hisce *larvis* Pontificii potissimùm suam & doctrinam & religionem & Ecclesiã omnibus soleant venditare, quod *primùm* Nos Euangelicos criminis hæreseos accusent, *deinceps* Sese ab ejus labe puros ostentare student, num nõ ut priorem antea, sic nunc posteriorẽ in præsenti ipsis detrahi, si fieri itidem potest, non modò æquum ac dignum, sed etiam necessarium atque utile est?

In demonstrat de visibili Monarchia. Etenim Nicolaus Sanderus, mentem Papæ Romani & omnium totius Papatus hominum minime ignorans, ac pro iis, ne Antichristi esse videântur, acerrime depugnans, ut nihil nisi meram veritatem & puritatem fidei atque doctrinæ in Ecclesiis Papæ Romano addictis regnare ostenderet, affirmare & jactare ausus fuit: *Nullam doctrinam aut opinionem à Romana Ecclesia susceptam aut defensam esse, quam olim damnatam fuisse tanquam hæreticam constet.*

De Ecclesia militante lib. 4. c 4. ac deinceps. Et Bellarminus prolixa disputatione contendit: *In Ecclesia Romana nullam unquam factam esse doctrinæ mutationem. Nec mutationis ullius auctorem, tempus, locum, aliásque circumstantias demonstrari posse*, &c. Pari insolentia alii quamplurimi è Papistis, universam Romanam Ecclesiam ab ejus hæresis nævo semper incontaminatam fuisse, gloriari nõ verentur.

Nisi igitur hujus orationis, vel gloriationis tam superciliosæ & superbæ vanitatem ostendere atque confutare perinde connitamur, ac eam in lucem protraximus & refutavimus, qua nobis Euangelicis hæresum varii generis studium ac cultum in nostris Ecclesiis exprobrent: parum nostræ innocentiæ declaratione & assertione proficiemus. Erunt enim, qui nihilominus nos hæresibus contaminatos existimabunt, quum à Pontificiis secesserimus, quos nullarum convincere possimus. Nam si ab iis nos sejunxerimus, qui absque omni hæresis labe fidem & doctrinam illibatam atq; immotam semper tenuerint, & adhuc teneant, tum necessariò consequi, nos ad hæreses transisse, quæ fidei & doctrinæ veteri ac hæresum experti, à nobis derelictæ, sint contrariæ, utut nos purgemus. Quemadmodum ergo nos ab omni hæresis vitio exemtos esse, antea docuimus & (ut spero) comprobavimus: ita nunc inquisitione Romanæ Ecclesiæ fidei atque doctrinæ instituta, docere & demonstrare aggrediemur, Romanam Ecclesiam totam plurimis & manifestissimis hæresibus esse corruptam, ac Papistas verè hæreticos. Hancque rem esse præcipuam caussam cur à consortio & communione illorũ nos etiam separaverimus. Unde arrogans & fastuosa illa Papistarum gloriatio de suæ Ecclesiæ atque doctrinæ immota sinceritate, non modò retundetur, sed etiam universo mundo notior facta, faciliùs coram veritati Euangelicæ sternet, aut ipsos nisi seriam pœnitentiam egerint tandem, inexcusabiles reddent.

Hæreses impingendo Euangelicis, suas tegunt Papistæ.

TERTIO impellunt nos Pontificii ad apertam & publicam suarum hęresum demonstrationem, admirabili & perniciosa sua astutia, qua nos hæreseos insimulando suas hæreses tegunt. Nā eæ sunt Papistarū strophæ, eæ artes, eæ fraudes, eæ insidiæ ac tendiculæ, ea deniq; strategemata, ut nos Euangelicos, quos Lutheranos, Protestantes, Zuinglianos & Calvinianos appellāt, odioso nomine hæreticorum traducere gaudeant, maximam sic veritati vim facientes, summamque orthodoxis injuriam inferētes, quò suosmet errores, ac suasmet hæreses, quib. infecti sunt, pallient & abstrudant, simplicesque ac rudes in debito studio atque officio eas inquirendi, pernoscendi, cavendi & fugiendi commodiùs faciliùsque decipant & fallant. In quo duplicis generis hominum perversitatem atque malitiam sequi solent.

Socrates lib. 1. c. 24. August. in epist. fundament.

Primò consuetudinem veterum nōnullorum hæreticorum imitantur, qui crimen hæreseos & hæretici nomen sibi conveniens à seipsis removerunt, & in alios transtulerunt, quos nequaquā erroris ac hæreseos convincere poterant. Ut *Donatistæ* suam *hæreticam* Ecclesiam vocātes Catholicam, damnarunt & accusarunt hæreseos verè Catholicam & orthodoxam. *Cathari & Novatiani* se puros vocabant, cæteros omnes impuros.

Roffensis adversus Luth. art. 3. Possuanienses Thess. 4.

Nec minùs *Ariani* damnati hæretici orthodoxos & Catholicos appellarunt hæreticos Homousianos, se verò & suos, Catholicos atque orthodoxos vocarunt: ut ipsis etiam Papistis notū. Eodem modo *Judæi* doctrinam & fidē orthodoxam ac catholicā sancti Pauli nuncuparunt hæresin, ut disertè Act. 24. ỳ. 14. & cap. 28. 22. refertur. Suas autem hæreses, quas, teste Epiphanio hæresi 14. 15. & 16. ante Christum fovebant, dissimularunt atque ὀρθοδοξίας velo palliarunt.

Ac Paulus fatetur, *Scribas ac Pharisæos* apud Judæos, se legis veros & bonos doctores atque interpretes vocasse, & vocari voluisse, quum tamen ejus potiùs depravatores & corruptores exsisterent. Iidemque magnificis & splendidis sanctitatis, pietatis & scientiæ titulis ab aliis commendati sunt: ut Math. 23. 13. 16. 27. Luc. 11. 44. videre est: quum hypocritæ, sepulchris dealbatis similes, ac cœci, ducesque cœcorum essent. *Rom. 2. 18. Joh. 8. 3.*

Ita Pontificii sibiipsis sanctum & præclarum titulum Catholicorum, ac Catholicæ Ecclesiæ vendicant, & soli Catholici orthodoxique dici & haberi volunt. Interim sexcentis hæresibus dediti, planè vereque nostræ ætatis hęretici, & sunt & nominari possunt. Simul callidissimè & diligentissimè tegunt suas hæreses, seque hæreticos dici & censeri nolunt, sed omnibus modis cavent. Euangelicis autem, quos Scripturis & bonis rationibus erroris atque hæreseos convincere nequeunt, assiduè hæreseos crimen, tanquam Ariani sentum, objiciunt, & subinde hæretici titulum tanquam membrorum ab Ecclesia Christi resectorum thesseram assignant. Quo uno strategemate se compendiosè solvere & solidè refutare sibi persuadent, quod alioqui nulla ratione, nulloque argumentorum pondere possunt probare aut refellere. Si enim Euangelicos è sacris literis respondere, vel suam doctrinam fidem

fidemque communire vident atque audiunt, ut erroris eos convincere, aut suos errores, superstitiones ac hæreses excusare probareque non possint, illico in ore vel calamo habent: *Hoc est hæreticum. Hoc hæreticum est. Hoc hæresin sapit.* Item: *Hæc est hæresis Lutherana: hæc hæresis est Calviniana: hæc Zuingliana hæresis.* Vel: *Sic docent Zuingliani hæretici: ita sentiunt hæretici Lutherani: Sic Calvinistæ hæretici tradunt*: ac similib. clamoribus, imò calumniis & conviciis, destituti argumentis, oggranniunt. Quod faciunt, quo hac sola hæretici & hæreseos appellatione necessitatem respõdendi ad scopum, ac Euangelicorum doctrinam refutandi, aut suam probandi, si non possunt, declinent. Item ut suos dementent, & in hæresum suarum sentina demersos detineant, à Scripturæ autem sacræ sententia, nostraque religione ac doctrina sacræ Scripturæ conformi, tam suos quàm alios retrahant vel deterreant.

Deinde non aliter Papistæ faciunt, quàm quum fur aliquis re aliena ablata conspectus, dum statim alii ejus capiendi caussa adcurrunt, ac ipsum cõsectantur, ipse in pedes sese conjicit, vehementer ac celeriter aufugit, ac inter fugiendum continuato clamore, comprehendite furem, comprehendite furem, inclamat, siq́ue alium furto illo teneri simulat, quo ipso manus insectantium evadat, & impunè effugiat. Ita igitur Pontificii non modò hæresum multarum suspecti, verùm etiam revera rei, non erubescunt, neque desistunt, insontes Euangelicos assiduè nominare hæreticos, ne semetipsos tam multipliciter ac tetrè hæreseos crimine teneri animadvertantur, impuneq́ue ac pro libidine sua cum hæresibus suis in Ecclesia Christi grassari possint.

Quapropter argutum hoc commentum & artificium, indignaq́ue & astuta hæc fraus, quum ab Adversariis Pontificiis omni loco & tempore in sua re adhibeatur, nihil quidem tanquam domesticum de se testimonium valet. Communi etiam omnium sententia externæ illorum professionis fiduciæ fallit, atque inanis est, nisi quod dici & videri volunt, reipsa sint & præstent. Idemq́ue illis competit, quod AUGUSTINUS hunc in modum dicit: *Quomodo ergo gloriaris te esse Christianum? Nomen habes, & factum non habes. Si autem nomen sequutum fuerit opus, dicat te quisquam Paganũ, tu factis ostende te Christianum. Nam si factis te non ostendis Christianum, omnes te Christianum vocent: quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur?* *Tract. 5. in epist. Johannis.*

At quoniam docti Pontificiorum id genus commenti ac doli supra modum exercent, simplices ac idiotæ sequuntur, nostrorum verò permulti parum observant, aut parvipendunt, sanè necesse est, ut diligentiùs & liberius retegatur, ac palàm indignæ Christianis fraudis, falsitatis & vanitatis cõvincatur. Etenim si in civilibus rebus nemo vir bonus & insons pateretur, sibi crimen & nomen infame atq; sceleratum ab alio impingi, qui ipse ejus reus esset, sed sui purgandi caussa illũ, qui revera reus est, jure meritoq́ue accusaret: multo magis nobis Euangelicis crimen & nomen hæreseos atque hæretici non est ferendum, quod à Papistis reis nobis impingitur, sed jure

meritoq; re in ipsos reos Papistas retorquendum. Exemplo sit Dominus noster Christus, qui quum *Samaritanus, dæmonium habens, comessator, publicanisque amicus & peccatoribus* diceretur à Pharisæis, Scribis & Sacerdotibus, qui ipsi cooperti flagitiis & erroribus erant, at se sanctissimos ostentare solebant, non tacuit & surdis auribus præteriit, sed liberè atque animosè regestione criminum per ἀντικατηγορίαν utens, eos *hypocritas, similes sepulchris dealbatis, ac cæcos ducèsque cæcorum nuncupavit.*

Joh.7.20. & 8.48.52. Math.11. 4 & 11.15.

Math.23. 13 16.27. Luc.11.44.

Quis igitur pius & prudens existimabit committendum, ut quando Adversarii nostri Papistæ in caussa sua pessima manifestarum & mortificatarum hæresum, omne ingenium, acumen, tempus, diligentiam, curam, impensam, laboremque ad eas tegendas, defendendas ac promovendas, Euangelicos verò omnis hæresis expertes, immeritò atq; falsò hæreseos traducēdos & cōtemnēdos cōferunt: nos in reformatis Ecclesiis & optima nostra caussa cessemus, ac parem, aut saltē aliquam ingenii, acuminis, tēporis, diligentiæ, sumptus, laborisq; contentionem ad nostræ innocentiæ assertionem & propugnationem æquè, ac hæresum Papisticarum detectionem, demonstrationem, confutationemq; ne non insumamus? Annón turpissimum esset, pati & committere, ut quum ingenio adversariis non impares videamur, eósque institutione veritatis, caussæ bonitate, rerum, sententiarum, testimoniorum, historiarumque certitudine, & aliis rebus orthodoxa fide dignis superemus, ab illis cura, opera, labore, impensa, industria & studio vincamur?

Nam invitamur & obligamur præterea ad hoc studium tum mandato divino, tum exemplo piorum Dei servorum, qui in eo nihil diligentiæ atq; laboris intermiserunt. Etenim quando Paulus dicit: *Hæreticum hominem post unam aut alteram admonitionem rejice:* annon docet, hæreticos non esse silentio prætereundos, nec ignavo metu tolerandos, sed nihil studii, laboris atque diligentiæ subterfugiendum ac reformidandum, ut hæresium suarum satis admoneantur omni ratione liberè atque fortiter, & sufficiētibus argumentis atque dehortationibus absterreantur? & alibi num non Christus & idem Apostolus monet, eorum, qui Episcopi, Doctoris ac Pastoris munere funguntur partes esse, *ut tempestivè & intempestivè expediti ac potentes sint ad pascendum & exhortandum gregem Christianâ doctrinâ, ad Pseudodoctores, hæreticos, lupósq; Ecclesiæ Christi observandos, patefaciendos, arguendos, dehortandos, arcendos, & devitandos, denique ad contradicentes convincendos?* Et hoc non tam viva voce, quàm stylo & calamo faciendum, res ipsa loquitur, & exemplum Prophetarum atque Apostolorum confirmat, qui dogmatica & polemica, categorica & elenchtica non minùs literis mandârunt, quàm ore prædicarunt, & quoque in vulgus spargi curarunt. Omnino autē ita suo officio perfuncti sunt, ut inter pseudoprophetas, pseudodoctores, impostores, seductores & seductos nec summis, nec infimis pepercerunt. Nec modò crassiores abusus, errores, superstitiones, idololatriasque reprehenderunt, sed etiam minimas radices & fibras earum, unde aliqua

5 Obligatio ad studium patefaciendi & reprehendendi hæreses.

Tit.3.10.11.

1.Tim 4.1. 2.Tim 4 2. Col.2.8. Act.20 28. Math 7.15. 23.6.24 11.

nova

nova seges excrescere potuisset, auferre elaborarunt. Sic Christus humanas traditiones, abusus, errores, hæreses, sectas ac nundinationem Sacerdotum, Scribarum, Pharisæorum, Sadducæorumque nec excusare, nec ferre poterat, sed publicè oppositâ eis orthodoxâ fide & doctrinâ taxabat & redarguebat. Tandem præfractos & occœcatos illos mercatores propriâ manu aggressus, merces eorũ spirituales dissipavit, pecunias è falsis dogmatibus & ceremoniis inanibus corrasas effudit, ipsosq́ue obscœnissimorum canũ instar flagello è templo ejecit, væ illud horrendum simul eis intonans, & horrendum justumque Dei judicium minitans, per quod brevi cum templo & urbe excindendi ac delendi essent. Ita Apostoli in falsa dogmata, cultus electitios, doctrinasq; ab hominibus cõfictas, & earum auctores severissimè invecti sunt, ut ex Act. 2. & 3. 4. 5. 10. 13. 17. 20. &c. patet. Nec reticendus est S. Petri zelus, qui Simonem cum sua pecunia execratus est. Quin ergo nostrâ quoque stationem impigrè, intrepidè & fortiter contra Papisticas hæreses obeamus.

Math. 21. 23 24. 25. Joh. 2. 14.

Cor. Gal. per Johan. Col 2. &c.

Act. 8. 20.

Nec enim soli hanc rem adorimur, & tanti laboris difficultates subimus, sed pluribus abhinc seculis etiam inter majores nostros eximios Christi servos fuisse legimus, qui lumen nobis prætulerunt, & fundamentum patefactionis ac confutationis hæresum Papisticarum jecerunt. Quid enim in Pontificiis errorum ac hæresum retegimus & reprehendimus, quod non à multis secu'is per plures viros pios factitatum? Demonstrant id veterum scripta, ac inprimis *Catalogus Testium veritatis & Martyrum Christi historia.* Demonstrant hoc Lutheri, Zuinglii, Melanchthonis, Buceri, Calvini, cæterorumque, qui Ecclesiam à Papatus hæresibus repurgarunt, publica acta atq; scripta. Qui quidem cum aliis nostrorum non alia in Papistis arguerunt & confutarunt, quàm quæ nos in præsenti arguimus & refellimus. Tantùm differt modus arguendi, quod nos singula capita doctrinæ & fidei Papisticæ apertè similia esse antiquarum hæresum docemus, ac proinde veras ac genuinas hæreses esse probamus, quæ illi simpliciter errores, abusus, traditiones & doctrinas humanas, cultusque electitios vocarunt.

Veteres etiam accusavisse Papistas hæreseos.

Neque tamen iidem illi omnino se continuerunt, ne Papatum apertè etiam hæreseos accusarent. Sed quum dogmata & ritus in Papatu usitatos verè reliquias vetustorum hæreticorum esse Spiritu divino illuminante animadverterent, disertè absq; omni timore & tergiversatione id publicè confessi sunt, ac patefecerunt.

Franciscus enim Petrarcha de Ecclesia Romana: *O fons errorum*, inquit, *domicilium irarum, schola errorum*, TEMPLUM HÆRESUM, *olim Roma, nunc Babylon falsa & nequam, officina fraudum, in qua bonum interit, malum creatur & oritur, viventium inferne & cruciatus, Orce proditionum, in quo latitant, quæcunque mala per orbem terrarum hodie sparguntur.*

LUTHERUS de abroganda Missa antithesin Decalogi Christi & Papæ contexens, ferè sub finem scribit: *Dicunt se docere Dei mandata, idq; volunt credi pro principiis fidei, sed docent mandatorum*

Lutheri testimonium de hæresibus Papatus.

,, rum omnimodam transgressionem. *Quare*
,, *super* DOCTRINA *mihi cum eis bellum*
,, *est, non super vitâ solùm. Unde quod apud*
,, *eorum Aristotelem dicit Democritus: Milesii*
,, *insipientes quidem non sunt, faciunt tamen*
,, *ea, quæ faciunt insipientes: ita possumus &*
,, *nos dicere, Parrisienses & Papistæ, Ebionitæ,*
,, *Montanistæ, Pelagiani, Turcæ & Antichristi*
,, *non sunt, faciunt tamen ea, quæ faciunt Ebio-*
,, *nitæ, Montani, Pelagiani, Turcæ & Anti-*
,, *christus. Neque enim ulli unquam hæretici*
,, *fuerunt, qui possint Parrisiensibus & Papistis*
,, *comparari. Nulli enim totum Euangelium,*
,, *totam fidem, totum Christum, totam legem*
,, *Mosi negaverunt, damnaverunt, contraria*
,, *docuerunt, nisi* ISTI *Parrisienses seu* PA-
,, PISTÆ, *sed sub specie & nomine Christi.*
,, *Ideo omnium hæreticorum abominationes*
,, *prædicta, sunt confluxura ceu in sentinam*
,, *quandam novissimam sub Antichristo. Et*
,, *hujus sentinæ lacunas esse probant jam seipsas*
,, *almæ istæ facultates Theologiæ, Parrisienses*
,, *Academiæ, & suæ sorores Odolla & Olibana.*
,, Hæc Lutherus.

Glossæ testimonium de hæretico in Papatu. Sed & ante Lutherum Glossæ ordinariæ Auctor, super illud Lucæ 17.23. *Et dicent vobis: Ecce hîc, ecce illic: sed nolite ire, neque sectemini, &c.* dicit expositionis loco: *Multi hæretici fuerũt, & futuri sunt, quorum primus Simõ Magus, ultimus Antichristus. Ipse est illa bestia, Apoc. 13. quæ ascendit de mari, &c.* Unde sic infero: *Antichristus est hæreticus ultimus*, id est, maximus & summus, in quo omnes hæreses tanquam in sentinam confluent. *Romanus Papa cum toto regno & corpore Papatus est Antichristus. Ergo Romanus Papa cum toto regno & corpore Papatus est hæreticus ultimus*, hoc est, maximus & summus, in quo omnes hæreses tanquam in sentinam confluent.

MAJOR probatur è Glossa. Et accedit calculus Apostoli Johannis 1. epist. 2. ubi hæreticos, nempe *Ebionitas, Cerinthianos, Marcionitas, Arianos*, cæterosque similes ex Ecclesia prodiisse, & Antichristi Magni præcursores esse docet. MINOR negatur quidem manibus pedibusque à Papistis omnibus, quorum negationis argumenta potissima in unum acervum contulit, Caspar Schioppius in systemate de Antichristo, & Bellarminus lib. 3. de Pontifice Romano. Verum ea pluribus & firmioribus refutantur tum à *Rodolpho Guathero*, Tigurino, Homil. 5. tum à *Mathæo Sutlivio* lib. 5 de Pontifice Romano, *Sibrando Luberto* lib. 10. de eodẽ, *Guiliel. Witakero* quæst. 5. de Pontifice Romano contra Bellarminum, aliisq; nostrorum. Idem ergo affirmativam nostram, sive minorem ibidem validissimè probant. Nec minus probant eam *Georgius Sohnius* in disputatione de Antichristo, & *Marcus Bennicerus* in vindicatione disputationis Sohnianæ adversus Aquipontanum. Nullus ergo alius est hæreticus ultimus juxta Glossam, præter Papam Romanum & statuentem regnum & corpus totius Papatus.

Post Lutherum LAMBERTUS DANEUS: *Papismus*, inquit, *tandem exortus est, qui superiores omnes hæreses, partim ut alveus recepit, partim ut mare absorpsit, alieno quidem nomine, sed tamen earum dogmate retento & confirmato.* *In Augustinum de hæres. c. 95.*

Adhæc GUILIELMUS WITAKERUS tum in disputatione de Ecclesia adversus Bellarm. controvers. 11. quæst. 5. de ejus notis, tum in libello Refutationi demonstrationum Nicolai Sanderi

deri de visibili Monarchia adjecto, quem inscripsit ἐρανιστήν, id est, collatorem veterum hæresum, in quo fragmenta veterum hæresum collecta recensentur, ac cum doctrina Pontificia conferuntur, idem luculentissimè demonstrat. Ac in præfatione ἐρανιστῶν:
» *Quanquam*, inquit, *nulla hæresis fuit, qua*
» *non ad Antichristi in Ecclesia jam Romana*
» *tyrannidem exercentis dominatum regnúmque spectaret, & momenti aliquid ad illam ἀποστασίαν, ac à vera simplicique fide Christi*
» *defectionem, quæ in Scripturis Antichristo*
» *tribuitur, afferret: tamen non omnia vete-*
» *rum hæreticorum ἀξιώματα ab illis recepta*
» *sunt, ad quos nomen & munus Antichristi*
» *pertinet: Sic enim fieret, ut repugnantes &*
» *contrarias opiniones innummerabiles ale-*
» *rent, quarum una alteram perimeret, quod*
» *ab illo iniquitatis mysterio alienum esse de-*
» *buit.* QUÆDAM *tamen* HÆRESES *sic*
» *omnino in illo corpore Antichristiano Roma-*
» *na Ecclesiæ hærent, atque eminent, ut omni-*
» *bus sint manifesta, quantumvis eas occultare,*
» *& fucis quibusdam obtinere Pontificii co-*
» *nentur.*

1. Tim. 14. 2. Thess. 2.

» Idem MATHÆUS SUTLIVIUS *tam* l. 4. de Pontifice Romano cap. 3. pagina 408. 409. *quàm* lib. de Ecclesia Catholica cap. 16. de Turco-Papismo lib. 1. cap. 2. & lib. 2. cap. 3. fusissimè ac solidissimè comprobat, Ac pag. 313. *Bellarminus*, inquit, *etiam & hæreticos occultos, & homines sceleratissimos fidem Ecclesiæ Romanæ profitentes, & in sacramentis communicantes, & Pontifici Romano obedientes, vera esse membra Ecclesiæ profitetur.* Unde sequitur Papistas sanè non modò ipsos esse omnis generis hæresibus inquinatos, sed etiam aliis veris hæreticis certissimè favore, & non minùs hæreticos, quàm Turcas, Judæos atq; Ethnicos posse esse idonea synagogæ Romanæ membra. Idem enim Thomas Waldus Tom. 1. lib. 2. cap. 9. & Driedo de Ecclesiæ dogmat. lib. 4. cap. 2. & Alphons. de Castro lib. 2. de hæres. cap. 9. 10. cum Bellarmino sentiunt ac docent, ut communem eam esse Papistarum opinionem nemo ampliùs dubitare possit.

Lib. de Ecclesia cap. 4. 19. & 10. & 12.

Quare quum majores nostri nobis lampada ad cognoscendas & manifestandas hæreses Pontificias prætulerint & tradiderint, nos eam extingui minimè admittere debemus. Sed ut illustretur indies magis ac magis, atq; ad dilucidius videndas ac cognoscendas, alii que etiam patefaciendas longè latéque colluceat, pro nostra etiam parte elaborare tenemur.

6. Si contagia morborum corporis detegere & curare debemus, multo magis in animi morbis, id est, hæresibus id facere convenit.

Accedit, quod ut officii nostri est contagia morborum corporis, si à nobis animadvertuntur ac deprehendũtur, detegere & curare quantum possumus, sicut Jacobus Apostolus cap. 5. 14. 15 monet: sic multò magis de contagiis morborum animi, cujusmodi sunt hæreses, à nobis observatis & cognitis, alios præmonere ac præservare debemus, quemadmodum idem Apostolus ibidem ℣. 20. & 21. docet. Atqui deprehendimus & cognovimus singulari Dei benignitate atque ope exitiale virus perversorum ac hæreticorum dogmatum & rituum Papatus, quod Papistis omni veneno ac contagio virulentius & pernitiosius inest. Compertimus id ab ipsis etiam aliis dissimulato dolo sensium, molliter, suaviterque sub veritatis prætextu ac specie tanquã melapium optimarum saluberrimum

GENEVENSIS ECCLESIÆ PASTORES, ET SCHOLÆ PROFESSORES, HARTMANNO SPRINGLIO S. P. D.



ANte duos menses & literas tuas humanissimas, dilecte & reverende in Christo frater, & elaboratum illud opus, à te contra sycophantas de Hæresi Christi Ecclesiæ litem improbam moventes, accepimus. Rei prætermissæ vel non citiùs confectæ culpam (si qua est) deprecamur. Sed ad rem. Codicem tuum manuscriptum quibusdam ex cœtu nostro perlegendum commisimus, quem propter varia negotia fortasse diutiùs, quàm par fuit, retinuerunt. Tandem ex horum relatione tibi significamus, te libros scripsisse de hæresibus contra Bellarminum & alios, Ecclesiæ Christi futuros admodum utiles: quos ad te remittimus, ut extremâ manu admotâ per typographos vestros tandē multis piis & doctis cōmunices, atq; Adversarios ad veritatis amorem pertrahas, vel des in ruborē, & convictos relinquas justo judici. Utinam verò *tu, tuiq; similes, qui ingenio valetis, quibus pii Magistratus gratitudo facit otia, quorum studia per tot annos multum placida fuêre, de articulis variis controversis, necdum absolutè explicatis, tractatione accuratâ Ecclesiæ Christi, Pontificiorum machinis oppugnatæ, feratis auxilium. Habuistis, habetis etiamnum exempla domestica eximia, pro quibus ingentes Christo Deo Opt. Max. gratias agimus, quem etiam tibi, Reverende Domine & dilectissime frater, vovemus propitium. Geneva 12. Octob.* 1610.

Fratrum nomine & mandato, Simon Goulartius Silvanectinus, subscripsi.

NOBILISSIMO D. JOHANNI IM THURN, SCAPHUSIANO S.

CLarissime Vir, Tractatum Domini Springlii citiùs vobis remisissem, si citiùs à Domino Goulartio & Dn. Fayo fuisset redditus, qui propter quotidianas occupationes eum hactenus in suis musæis habuerunt. Eruditus est Tractatus, & pius is Tractatus. Ista namque duo requiruntur. Nam quid aliud Theologici Tractatus habere debent, nisi ut ad veram pietatem lectores revocent? & ut solidè orthodoxam doctrinam asserant? Polemici Tractatus, qui tantùm aliorum sententias refellunt, nullam proferunt Ecclesiis ædificationem, nisi indicent quid sit vera pietas, & ad Deum animas convertant. Non satis est debellare, evertere prava dogmata, sed unà

est

est demonstranda salutis ratio & via, quæ exstruit & ædificat. Illud, quum spectetur à Domino Springlio, non potest non magnopere probari, &c. Genevæ 20. Octob. 1610.

Tui studiosissimus & observantissimus

Gaspar Laurentius, Logicæ & Rhetoricæ Professor Genevæ.

Clarissimo & doctissimo Viro

Dn. HARTMANNO SPRINGLIO ECCLESIÆ Wilensis Pastori, & vicinarum Decano vigilantissimo, Dn. & fratri meo ἐν κυρίῳ conjunctissimo.


Aliquot litteræ tuæ ultimæ, Vir clarissime & amicissime, aut absente me, in ædes meas sunt perlatæ, aut paulò tunc occupatiori redditæ. Hæc caussa est, ut responsum distulerim. Jam scire te velim, tractatum tuum de Unctione *me juniori typographo reddidisse dudum, & probè cõmendâsse. Ille more suo tergiversatur, & impressionẽ hactenus recusat, quicquid ego illi replicem. Quod si 200. aut plura ab eo exempla emere spondeas: tum fortassis ille tibi gratificari possit. Sed istud, quomodo tibi suadeam, non video, quum iniquum videatur laborem exantlare, & laborem eundem pretio redimere. Tute igitur pro tua prudentia, quid faciendum sit, porrò dispicies. Interim exemplar retinere jussus est, & acceptius responsum meditari: de quo neque dum mihi constat. Majorem Tractatum* de Hæresibus hodiernis *non impediemus si typographum idoneum nanciscaris: de quo aliquando coràm tecum agam. Vale. Tiguri raptim 4. Feb. 1613.*

Tui perpetuò studiosissimus

Caspar Waserus.

Inde ad Ministros & Professores Ecclesiæ atque Scholæ BERNENSIS Tractatum istum de Hæresibus misi, quàm primùm copia ejus edendi in lucem à nostris Censoribus m hi facta est. Ii rescripserunt.

S. Tam tuas literas, quàm libros ad nos transmissos, Reverende & Ornatissime Vir, non parva cum voluptate accepimus. Ut enim delectamur amore ac favore omnium, etiam antehac ignotorum erga nos; ita quæ ab illis benevolentiæ, humanitatis, pietatis, diligentiæq; plena ad nos veniunt, non possunt nobis non accepta esse. Inprimis gaudemus sanctis studiis Ministrorum quorumcunq; vestræ Ecclesiæ, à qua nobis reformata doctrina quasi manu tradita est. Tuum ergo Tractatum de Hæresibus & Hæreticis *avidè legimus & revolvimus. Propositum ejus grave, difficile, operosum: sed opportunum, moderatum, pium, seq; necessitate & utilitate commendans. Ac materiam, ordinem, industriam in eo tuam nobis placuisse indicamus. Ingenuè fatemur, spem nobis affulgere non exiguam, eum piis studiosisq; veritatis suo suffragio approbatum iri, ac*



ELENCHUS CAPITUM IN LIBRIS SECUNDÆ PARTIS CONTENTORUM.

LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.



DE HODIERNIS HÆRESIBUS ET HÆRETICIS, PARTIS SECUNDÆ, LIBER PRIMUS.

HARTMANNO SPRINGLIO Auctore.

CAP. I.

Papistas & Romanæ Ecclesiæ sectatores hodie præcipuos esse Hæreticos, & qua de caussa potissimùm hoc palàm faciendum sit, quâ cum cautione affirmetur, quóve discrimine fiat.



QUID sit Hæresis & Hæreticus, quomodo hodie tam crimen quàm nomen illud in malam partem plerumque accipiatur, quibus verè conveniat, & quàm falsò atque injustè à Papistis tribuatur Euangelicis & reformatarum Ecclesiarum Christianis, Tractatu superiore ostendimus. Nunc occasione ab ipsis Papistis data, & caussis optimis atque gravissimis urgentibus docendum, utrumque maximè Papistis convenire, qui doctrinam & religionem ex variis hæresibus consutam amplexi, præcipui hujus temporis hæretici & sint & dici mereantur. Nec tamen simpliciter & præcisè hoc de omnibus & singulis Papistis dicimus, sed pios & electos Dei in Papatu excipimus: ut infrà meliùs explicabitur.

Optaremus quidem ex animo, ut *aut* omnes Pontificiorum hæreses possimus approbare & excusare, *aut* honestè ex charitatis officio & reverentiâ tegere. Sed *prius* non patitur rei veritas. Nam ubi certò de falsa sententia & hæresi, huicque adhærentibus & & adjacentibus constat, absque magno dedecore & ignominia æquè ac damno approbari nequit. Deinde, sine turpi atque atroci fraude & scelesta veritatis Christianæ jactura & injuria dissimulari & excusari non potest. Sequenda enim sunt tum sacræ Scripturæ, tum Philosophorum principis præcepta, de dicenda & colenda veritate. Nam per Prophetam Deus: *Hæc sunt*, inquit, *quæ facietis. Loquimini veritatem* quis-

I. Veritas ad protrahendas hæreses Papatus nos instigat.

Zach. 8. 16. Psal. 15.

quisque cum proximo suo, veritatem, inquam, *ac judicium pacis judicate in portis vestris.* Quod sanctus Paulus in novo Testamento non minus inculcat & mandat, dicens: *Deposito mendacio, loquamini veritatem quisque proximo suo. Nam sumus alii aliorum membra.* Et naturali tantùm luce illustratus Aristoteles vel inter Ethnicos; *Quæ nobis*, ait, *etsi difficilis est quæstio, quod nobis amici sunt ii, qui ideas induxerunt: tamen æquum est, veritatis retinendæ caussâ sua etiam decreta tollere, Philosophos præsertim. Etsi enim utrique chari sunt: tamen præclarum est pluris æstimare veritatem.*

Ephes. 4. 25.

Ethicorum ad Nicomachum lib. 1. cap. 6.

1. Ipsi Papistæ nos ad detegendas suas hæreses impellunt.

Honestè autem & ex charitatis lege sive officio, ut silentio tegamus, vel dissimulemus Papisticas hæreses, obstat Adversariorum importunitas & impudentia, quæ multiplex est. PRIMO, nunquam non Nos EUANGELICOS innocentes & immerentes ejus sceleris, nempe hæreseos, postulant & accusant, cujus ipsi maximè rei sunt. Quum ergo nobis actionem criminis hæreseos subinde intendunt, quamvis nihil probare contra nos possint, annó talionis jure ac lege ipsis intendendum, quod nos possumus probare atque demonstrare? quóve amplius & certiùs adhuc nostram innocentiam tueri, omnibusque conspiciendam & palpandam proponere licet? Neque enim solùm lege divina de talionis innitimur, sed etiam æquo & prudenti dicto Democriti apud Aristotelem Rhetoricorum tertio, quod est: Οἱ τ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων, id est, *qui alteri perniciem parat, eum paratum esse oportet, ut participet parem.* Nisi ipsi Papistæ nobis hanc mensuram mensi essent, nos eis eam remetiri non cœpissemus. Meminerint ergo verborum Christi: *Qua mensura metimini aliis, eadem vicissim metientur alii vobis.* An illi quum fanda & infanda in nos dicant, omniumque aures omni die malè de nobis loquendo, & nos hæreticos vocitando compleant, sese impunè abituros & evasuros putent? Non sanè æquum est, si injuriam nobis fecisse, culpamque ipsosmet redarguere constat. Si dederunt malum injuria, & maledicta in nos temerè atque iniquè conjecerunt, nec etiamnunc ab iis abstinent, ferant vicissim bene, verè & justè dicta, quæ solidis & dignis probationibus de ipsorum hæreseomania proferemus. Si illis plaustrum hæresum in nos injuria atque falsò congerere jucundum & pulchrum fuit, nobis certè vitio vertere jure haud possunt, si catervas verarum hæresium, quibus scientes vel inscientes, prudentes seu imprudentes implicati & onerati sunt, jure atque verè coacervabimus, & ipsorum aliorumque oculis, auribus, atque mentibus cognoscendas objiciemus.

Exod. 21. 24
Levit. 24.
Deut. 19.

Math. 7. 2.

Si autem molesta & amara ipsis fuerit nostra hæc sedulitas, & noster hic ardor ac zelus, non ei, sed *sibi ipsis* offensi esse debent: qui nos sua importunitate & petulantia convitiandi, hæresesque præter rationem nobis impingendi, lacessivêre: Nec cessant, sed indies magis magisque omnibus suis scriptis, concionibus, sermonibus, actionibusque provocant, invitosque in hanc arenam protrahunt. Stultè & inique quærentur, sibi & injuriam & contumeliam fieri, quum testimoniis

&

& probationibus manifestis atque validis: eos hæreseos convicerimus: ipsi verò volumina falsissimarum & iniquissimarum calumniarum, in tribuẽdo nobis & crimine hæreseos & nomine hæretici, in nos primi conscripserunt & divulgarunt.

3 Jactantia Papistarum de sua Ecclesia puritate compescenda est.

Deinde, quum *duabus* hisce *larvis* Pontificii potissimùm suam & doctrinam & religionem & Ecclesiã omnibus soleant venditare, quod *primùm* Nos Euangelicos criminis hæreseos accusent, *deinceps* Sese ab ejus labe puros ostentare student, num nõ ut priorem antea, sic nunc posteriorẽ in præsenti ipsis detrahi, si fieri itidem potest, non modò æquum ac dignum, sed etiam necessarium atque utile est?

In demonstrat. de visibili Monarchia.

Etenim Nicolaus Sanderus, mentem Papæ Romani & omnium totius Papatus hominum minime ignorans, ac pro iis, ne Antichristi esse videântur, acerrime depugnans, ut nihil nisi meram veritatem & puritatem fidei atque doctrinæ in Ecclesiis Papæ Romano addictis regnare ostenderet, affirmare & jactare ausus fuit: *Nullam doctrinam aut opinionem à Romana Ecclesia susceptam aut defensam esse, quam olim damnatam fuisse tanquam hæreticam constet.*

De Ecclesia militante lib. 4. c 4. ac deinceps.

Et Bellarminus prolixa disputatione contendit: *In Ecclesia Romana nullam unquam factam esse doctrinæ mutationem. Nec mutationis ullius auctorem, tempus, locum, aliásque circumstantias demonstrari posse,* &c. Pari insolentia alii quamplurimi è Papistis, universam Romanam Ecclesiam ab ejus hæresis nævo semper incontaminatam fuisse, gloriari nõ verentur.

Nisi igitur hujus orationis, vel gloriationis tam superciliosæ & superbæ vanitatem ostendere atque confutare perinde connitamur, ac eam in lucem protraximus & refutavimus, qua nobis Euangelicis hæresum varii generis studium ac cultum in nostris Ecclesiis exprobrent: parum nostræ innocentiæ declaratione & assertione proficiemus. Erunt enim, qui nihilominus nos hæresibus contaminatos existimabunt, quum à Pontificiis secesserimus, quos nullarum convincere possimus. Nam si ab iis nos sejunxerimus, qui absque omni hæresis labe fidem & doctrinam illibatam atq; immotam semper tenuerint, & adhuc teneant, tum necessariò consequi, nos ad hæreses transisse, quæ fidei & doctrinæ veteri ac hæresum experti, à nobis derelictæ, sint contrariæ, utut nos purgemus. Quemadmodum ergo nos ab omni hæresis vitio exemtos esse, antea docuimus & (ut spero) comprobavimus: ita nunc inquisitione Romanæ Ecclesiæ fidei atque doctrinæ instituta, docere & demonstrare aggrediemur, Romanam Ecclesiam totam plurimis & manifestissimis hæresibus esse corruptam, ac Papistas verè hæreticos. Hancque rem esse præcipuam caussam cur à consortio & communione illorũ nos etiam separaverimus. Unde arrogans & fastuosa illa Papistarum gloriatio de suæ Ecclesiæ atque doctrinæ immota sinceritate, non modò retundetur, sed etiam universo mundo notior facta, faciliùs coram veritati Euangelicæ sterner, aut ipsos nisi seriam pœnitentiam egerint tandem, inexcusabiles reddent.

fidemque communire vident atque audiunt, ut erroris eos convincere, aut suos errores, superstitiones ac hæreses excusare probareque non possint, illico in ore vel calamo habent: *Hoc est hæreticum. Hoc hæreticum est. Hoc hæresin sapit.* Item: *Hæc est hæresis Lutherana: hæc hæresis est Calviniana: hæc Zuingliana hæresis.* Vel: *Sic docent Zuingliani hæretici: ita sentiunt hæretici Lutherani: Sic Calvinistæ hæretici tradunt*: ac similib. clamoribus, imò calumniis & conviciis, destituti argumentis, oggranniunt. Quod faciunt, quo hac sola hæretici & hæreseos appellatione necessitatem respõdendi ad scopum, ac Euangelicorum doctrinam refutandi, aut suam probandi, si non possunt, declinent. Item ut suos dementent, & in hæresum suarum sentina demersos detineant, à Scripturæ autem sacræ sententia, nostraque religione ac doctrina sacræ Scripturæ conformi, tam suos quàm alios retrahant vel deterreant.

Deinde non aliter Papistæ faciunt, quàm quum fur aliquis re aliena ablata conspectus, dum statim alii ejus capiendi caussa adcurrunt, ac ipsum cõ sectantur, ipse in pedes sese conjicit, vehementer ac celeriter aufugit, ac inter fugiendum continuato clamore, comprehendite furem, comprehendite furem, inclamat, si. que alium furto illo teneri simulat, quo ipso manus insectantium evadat, & impunè effugiat. Ita igitur Pontificii non modò hæresum multarum suspecti, verùm etiam revera rei, non erubescunt, neque desistunt, insontes Euangelicos assiduè nominare hæreticos, ne semetipsos tam multipliciter ac tetrè hæreseos crimine teneri animadvertantur, impuneque ac pro libidine sua cum hæresibus suis in Ecclesia Christi grassari possint.

Quapropter argutum hoc commentum & artificium, indignaque & astuta hæc fraus, quum ab Adversariis Pontificiis omni loco & tempore in sua re adhibeatur, nihil quidem tanquam domesticum de se testimonium valet. Communi etiam omnium sententia externæ illorum professionis fiduciæ fallit, atque inanis est, nisi quod dici & videri volunt, reipsa sint & præstent. Idemque illis competit, quod AUGUSTINUS hunc in modum dicit: *Quomodo ergo gloriaris te esse Christianum? Nomen habes, & factum non habes. Si autem nomen sequutum fuerit opus, dicat te quisquam Paganũ, tu factis ostende te Christianum. Nam si factis te non ostendis Christianum, omnes te Christianum vocent: quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur?* *Tract. 5. in epist. Iohannis.*

At quoniam docti Pontificiorum id genus commenti ac doli supra modum exercent, simplices ac idiotæ sequuntur, nostrorum verò permulti parum observant, aut parvipendunt, sanè necesse est, ut diligentiùs & liberius retegatur, ac palàm indignæ Christianis fraudis, falsitatis & vanitatis cõvincatur. Etenim si in civilibus rebus nemo vir bonus & insons pateretur, sibi crimen & nomen infame atq; sceleratum ab alio impingi, qui ipse ejus reus esset, sed sui purgandi caussa illũ, qui revera reus est, jure meritoque accusaret: multo magis nobis Euangelicis crimen & nomen hæreseos atque hæretici non est ferendum, quod à Papistis reis nobis impingitur, sed jure meri-

meritoq; te in ipsos reos Papistas retorquendum. Exemplo sit Dominus noster Christus, qui quum *Samaritanus, dæmonium habens, comessator, publicanorumque amicus & peccatoribus* diceretur à Pharisæis, Scribis & Sacerdotibus, qui ipsi cooperti flagitiis & errorib. erant, at se sanctissimos ostentare solebant, non tacuit & surdis auribus præteriit, sed liberè atque animosè regestione criminum per ἀντικατηγορίαν utens, eos *hypocritas, similes sepulchris dealbatis, ac cœcos ducésque cœcorum nuncupavit.* Quis igitur pius & prudens existimabit committendum, ut quando Adversarii nostri Papistæ in caussa sua pessima manifestarum & mortificatarum hæresum, omne ingenium, acumen, tempus, diligentiam, curam, impensam, laborem que ad eas tegendas, defendendas ac promovendas, Euangelicos verò omnis hæresis expertes, immeritò atq; falsò hæreseos traducēdos & cōtemnēdos cōferunt: nos in reformatis Ecclesiis & optima nostra caussa cessemus, ac parem, aut saltē aliquam ingenii, acuminis, tēporis, diligentiæ, sumptus, laborisq; contentionem ad nostræ innocentiæ assertionem & propugnationem æquè, ac hæresum Papisticarum detectionem, demonstrationem, confutationemq; te non insumamus? Annōn turpissimum esset, pati & committere, ut quum ingenio adversariis non impares videamur, eósque institutione veritatis, caussæ bonitate, rerum, sententiarum, testimoniorum, historiarumque certitudine, & aliis rebus orthodoxa fide dignis superemus, ab illis cura, opera, labore, impensa, industria & studio vincamur?

Joh. 7. 20. & 8. 48. 52. Math. 11. 4 & 11. 15.

Math. 23. 13 16. 27. Luc. 11. 44.

Nam invitamur & obligamur præterea ad hoc studium tum mandato divino, tum exemplo piorum Dei servorum, qui in eo nihil diligentiæ atq; laboris intermiserunt. Etenim quando Paulus dicit: *Hæreticum hominem post unam aut alteram admonitionem rejice:* annon docet, hæreticos non esse silentio prætereundos, nec ignavo metu tolerandos, sed nihil studii, laboris atque diligentiæ subterfugiendum ac reformidandum, ut hæresum suarum satis admoneantur omni ratione liberè atque fortiter, & sufficiētibus argumentis atque dehortationibus absterreantur? & alibi num non Christus & idem Apostolus monet, eorum, qui Episcopi, Doctoris ac Pastoris munere funguntur partes esse, *ut tempestivè & intempestivè expediti ac potentes sint ad pascendum & exhortandum gregem Christianâ doctrinâ, ad Pseudodoctores, hæreticos, luposq; Ecclesiæ Christi observandos, patefaciendos, arguendos, dehortandos, arcendos, & devitandos, denique ad contradicentes convincendos?* Et hoc non tam viva voce, quàm stylo & calamo faciendum, res ipsa loquitur, & exemplum Prophetarum atque Apostolorum confirmat, qui dogmatica & polemica, categorica & elenchtica non minùs literis mandārunt, quàm ore prædicarunt, & quoque in vulgus spargi curarunt. Omnino autē ita suo officio perfuncti sunt, ut inter pseudoprophetas, pseudodoctores, impostores, seductores & seductos nec summis, nec infimis pepercerint. Nec modò crassiores abusus, errores, superstitiones, idololatriasque reprehenderunt, sed etiam minimas radices & fibras earum, unde aliqua nova

5 *Obligatio ad studium patefaciendi & reprehendendi hæreses.*

Tit. 3. 10. 11.

1. Tim 4. 1. 2. Tim 4. 2. Col. 2. 8. Act. 20. 28. Math. 7. 15. 23. 6. 24 11.

nova seges excrescere potuisset, auferre elaborarunt. Sic Christus humanas traditiones, abusus, errores, hæreses, sectas ac nundinationem Sacerdotum, Scribarum, Pharisæorum, Sadducæorumque nec excusare, nec ferre poterat, sed publicè oppositâ eis orthodoxâ fide & doctrinâ taxabat & redarguebat. Tandem præfractos & occœcatos illos mercatores propriâ manu aggressus, merces eorũ spirituales dissipavit, pecunias è falsis dogmatibus & ceremoniis inanibus corrasas effudit, ipsosq́ue obscœnissimorum canũ instar flagello è templo ejecit, væ illud horrendum simul eis intonans, & horrendum justumque Dei judicium minitans, per quod brevi cum templo & urbe excindendi ac delendi essent. Ita Apostoli in falsa dogmata, cultus electitios, doctrinasq́; ab hominibus cõfictas, & earum auctores severissimè invecti sunt, ut ex Act. 2. & 3. 4 5. 10. 13. 17 20 &c. patet. Nec reticendus est S. Petri zelus, qui Simonem cum sua pecunia execratus est. Quin ergo nostrâ quoque stationem impigrè, intrepidè & fortiter contra Papisticas hæreses obeamus.

Math. 11. 21 24. 25. Joh. 2. 14.

Cor. Gal. per Johan. Col 2 &c.

Act. 8. 20.

Veteres etiam accusavisse Papistas hæreses.

Nec enim soli hanc rem adorimur, & tanti laboris difficultates subimus, sed pluribus abhinc seculis etiam inter majores nostros eximios Christi servos fuisse legimus, qui lumen nobis prætulerunt, & fundamentum patefactionis ac confutationis hæresum Papisticarum jecerunt. Quid enim in Pontificiis errorum ac hæresum retegimus & reprehendimus, quod non à multis seculis per plures viros pios factitatum? Demonstrant id veterum scripta, ac inprimis *Catalogus Testium veritatis & Martyrum Christi historia.* Demonstrant hoc Lutheri, Zuinglii, Melanchthonis, Buceri, Calvini, cæterorumq́ue, qui Ecclesiam à Papatus hæresibus repurgarunt, publica acta atq; scripta. Qui quidem cum aliis nostrorum non alia in Papistis arguerunt & confutarunt, quàm quæ nos in præsenti arguimus & refellimus. Tantùm differt modus arguendi, quod nos singula capita doctrinæ & fidei Papisticæ apertè similia esse antiquarum hæresium docemus, ac proinde veras ac genuinas hæreses esse probamus, quæ illi simpliciter errores, abusus, traditiones & doctrinas humanas, cultusque electitios vocarunt.

Neque tamen iidem illi omnino se continuerunt, ne Papatum apertè etiam hæreseos accusarent. Sed quum dogmata & ritus in Papatu usitatos verè reliquias vetustorum hæreticorum esse Spiritu divino illuminante animadverterent, disertè absq; omni timore & tergiversatione id publicè confessi sunt, ac patefecerunt.

Franciscus enim Petrarcha de Ecclesia Romana: *O fons errorum,* inquit, *domicilium irarum, schola errorum,* TEMPLUM HÆRESUM, *olim Roma, nunc Babylon falsa & nequam, officina fraudum, in qua bonum interit, malum creatur & oritur, viventium inferne & cruciatus, Orce proditionum, in quo latitant, quæcunque mala per orbem terrarum hodie sparguntur.*

LUTHERUS de abroganda Missa antithesin Decalogi Christi & Papæ contexens, ferè sub finem scribit: *Dicunt se docere Dei mandata, idq; volunt credi pro principiis fidei, sed docent mandatorum*

Lutheri testimonium de hæresibus Papatus.

deri de visibili Monarchia adjecto, quem inscripsit ερανιστὴν, id est, collatorem veterum hæresum, in quo fragmenta veterum hæresum collecta recensentur, ac cum doctrina Pontificia conferuntur, idem luculentissimè demonstrat. Ac in præfatione ερανιστῶν:
„ *Quanquam*, inquit, *nulla hæresis fuit, quæ*
„ *non ad Antichristi in Ecclesia jam Romana*
„ *tyrannidem exercentis dominatum regnúm-*
1.Tim.4. 2.Thess.2. *que spectaret, & momenti aliquid ad illam ἀποστασίαν, ac à vera simplicíque fide Christi*
„ *defectionem, quæ in Scripturis Antichristo*
„ *tribuitur, afferret: tamen non omnia vete-*
„ *rum hæreticorum ἀξιώματα ab illis recepta*
„ *sunt, ad quos nomen & munus Antichristi*
„ *pertinet: Sic enim fieret, ut repugnantes &*
„ *contrariæ opiniones innumerabiles ale-*
„ *rent, quarum una alteram perimeret, quod*
„ *ab illo iniquitatis mysterio alienum esse de-*
„ *buit.* QUÆDAM *tamen* HÆRESES *sic*
„ *omnino in illo corpore Antichristiano Roma-*
„ *na Ecclesia hærent, atque eminent, ut omni-*
„ *bus sint manifesta, quantumvis eas occultare,*
„ *& fucis quibusdam obtinere Pontificii co-*
„ *nentur.*

Idem MATHÆUS SUTLIVIUS *tam* l. 4. de Pontifice Romano cap. 3. pagina 408. 409. *quàm* lib. de Ecclesia Catholica cap. 16. de Turco-Papismo lib. 1. cap. 2. & lib. 2. cap. 3. fusissimè ac solidissimè comprobat, Ac pag. 313. *Bellarminus*, inquit, *etiam & hæreticos occultos, & homines sceleratissimos fidem Ecclesiæ Romanæ profitentes, & in sacramentis communicantes, & Pontifici Romano obedientes, vera esse membra Ecclesiæ profitetur.* Unde sequitur Papistas sanè non modò ipsos esse omnis generis hæresibus inquinatos, sed etiam aliis veris hæreticis certissimè favore, & non minùs hæreticos, quàm Turcas, Judæos atq; Ethnicos posse esse idonea synagogæ Romanæ membra. Idem enim Thomas Waldus Tom. 1. lib. 2. cap. 9. & Driedo de Ecclesiæ dogmat. lib. 4. cap. 2 & Alphons. de Castro lib. 1. de hæres. cap. 9. 10. cum Bellarmino sentiunt ac docent, ut communem eam esse Papistarum opinionem nemo ampliùs dubitare possit.

Lib. de Ecclesia cap. 4. 19. & 10. & 12.

Quare quum majores nostri nobis lampada ad cognoscendas & manifestandas hæreses Pontificias prætulerint & tradiderint, nos eam extingui minimè admittere debemus. Sed ut illustretur indies magis ac magis, atq; ad dilucidius videndas ac cognoscendas, alii que etiam patefaciendas longè latéque colluceat, pro nostra etiam parte elaborare tenemur.

Accedit, quod ut officii nostri est contagia morborum corporis, si à nobis animadvertuntur ac deprehenduntur, detergere & curare quantum possumus, sicut Jacobus Apostolus cap. 5. 14. 15 monet: sic multò magis de contagiis morborum animi, cujusmodi sunt hæreses, à nobis observatis & cognitis, alios præmonere ac præservare debemus, quemadmodum idem Apostolus ibidem ℣. 20. & 21. docet. Atqui deprehendimus & cognovimus singulari Dei benignitate atque ope exitiale virus perversorum ac hæreticorum dogmatum & rituum Papatus, quod Papistis omni veneno ac contagio virulentius & perniciosius inest. Compe- rimus id ab ipsis etiam aliis dissimulato dolo sensium, molliter, suaviterque sub veritatis prætextu ac specie tanquā melapium optimarum saluberrimum

6. Si contagia morborum corporis detegere & curare debemus, multo magis in animi morbis, id est, hæresibus id facere convenit.

infundi. Et hoc strenuè fieri, ut alteros in erroribus atque hæresibus retineant & confirment, alteros ad defectionem à puritate & simplicitate fidei doctrinæque Euangelicæ ad easdem perducant. Ut ergo nostri muneris juxta Apostoli Jacobi doctrinam, ita ingenuitatis verè Catholicæ ac candoris prorsus Christiani est, si id postposito omni metu & sumpta pia alacritate palàm retegamus, publicè notum faciamus, & ut caveatur nondum admissum, aut abstergatur ac tollatur admissum, demonstremus. Ita enim liberi & immunes ab eo discere poterunt, summoperè sibi operam dandam, ne temerè id apud se postliminio reduci, ac temerè leviterque iterũ admitti sinant, næ eo ad suarum animarum interitum inficiantur & corrumpantur. Papistæ verò eo jam infecti, simul, si sapiunt & veritatem atque salutem suã curæ & cordi habent, tantum tamque noxium hæresum, hactenus per inscitiam & imprudentiam, vel consuetudinem inveteratam cultarum, venenũ in sese latens, melius agnoscent, ac ab eo abhorrere diligentius discent. Nũquam autem Pontificii suas hæreses agnoscerent & viderẽt, nisi alii eas ipsis patefacerent & demonstrarent. Ex patefactis autem aliorum studio & officio, ad necessarium illud atque utile γνῶθι σεαυτὸν pervenire possunt, quod non tam Delphicum, quàm divinum Spiritus sancti oraculum Jacob. 5. v. 20 & 21. iter ad felicitatem hujus vitæ ac salutem sempiternam esse testatur.

Objectiones Pontificiorum. Cæterum negant & pernegant, se hæreticos esse Papistæ, ic que tuentur expetendo nostrorum testimonia, quæ ipsis non sint idonea, sed suspecta & jure rejicienda, verum nostrorum cujusque testimoniũ, & hæresum veterum Papisticis dogmatibus ac ritibus similimarum enumeratio, ex experiẽtia rerum harum magistra confirmat, & nos postea Dei auxilio adjuti easdẽ hæreses, quas nostri Papistis assignant, etiam clarissimis documentis iis inhærere probabimus. Nam alios docendi gratia, & multiplicis ac monstrosæ Põtificiorum hæreseos convicendæ caussa eadem, quæ alii nostrorum dudum in medium de hæresibus Papisticis attulerunt, pro re & loco & tempore repetere, aliisque pluribus exemplis & demonstrationibus augere, illustrare, constabilireque, quid vetat? Annón commodum & necessarium, & dignũ, & ipsa rerum varietate ac notitia jucundum?

Addunt, tantum abesse ut Pontifices Romani cum suis sedis suę subjectis hæreses teneant, ut potius eas semper damnarint, cujusmodi sint: *Pelagii, Vigilantii & Joviniani* hæreses. At nullũ horum verum. *Bellarm. lib. 4. de Pontif. Romano. c. 3. Col. 957.* Nam quoad consequens Pelagii dogmata omnia in quinque synodis damnata esse constat, nempe in *Palestiniana, Carthaginensi 2. Ephesina 1. Milevitana & Arausicana.* Deinde, *Priscillianus* in synodo quadam *Toletana & Burdegalensi* damnatus est. Ubi autem *Vigilantius* hæreseos ab Episcopo Romano damnatus sit, nec ipse Bellarminus novit. *Jovinianus* à *Hieronymo* oppugnatus est, & à synodo *Telensi*, præside ejusdem loci Episcopo damnatus, dum Episcopi Romani interim taciti voluptatibus indulsisse videntur. Quo jure autem hoc adversus Jovinianum factum

factum nos Tomo superiore exposuimus. Verùm ut Episcopi vel Pontifices Romani aliquos damnarint hæreticos: tamen duplici modo nullius est momenti. *Uno*, quod tamen nihil valuit ipsorum sententia, nisi & synodi & Imparatoris accessisset olim auctoritas. Neque enim prius acquievit *Priscillanus*, quàm Imperatoris mandato à Trevirarum præfecto occisus est. IMPERATORES & *Arrianis & Donatistis* & reliquis hæreticis antiquis ora occluserunt: quod & Gregorius primus agnoscit. Nam *hæreticorum ora*, inquit ille, *catholici Imperatoris tempore prava, quæ sentiunt, eloqui non præsumunt*. Conatus quidam est Julius Episcopus Romanus *Athanasium* restituere, sed rem perfecit Imperator, & Synodus Sardiacēsis. Chrysostomo nullum auxilium afferre potuit Innocentius. At idem in Synodo omnium malorum remedium positum esse fatetur. *Altero*, quod Romanus Pontifex potiùs Catholicos & orthodoxos, non verò hæreticos damnavit. Id enim evenit à Papis *Berengario, Johan. Husso, Hieronymo Pragensi, & Euangelicis*, quos vocant Lutheranos seu Protestantes, & Zuinglianos ac Calvinistas. Hos enim etsi damnarunt Pontifices Romani: tamen nunquam hæreticos verè fuisse convincere poterunt.

Lib. 7. epist. 47.

Producunt adhæc Ruffini testimonium, qui in expositione Symboli in principio asserat: *Nullam hæresin in Ecclesia urbis Roma sumpsisse exordium, & morem ibi servari antiquum.* Sed est falsum. Nam non meminit Ruffinus *Novati*, qui in media urbe hæresis suæ jecit fundamenta. Nec meminit *Simonis & Marcionis & aliorum hæreticorum*, qui in illa urbe virus hæresum suarum evomuerunt. Hoc Euseb. in Chronicis. Irenæus, Epiphanius, Augustinus, Cyp. lib. 2. ep. 8. ad Cornelium, & alii testantur. Adhæc quoad antecedens in proxima objectione de damnatis hæreticis operâ Pontificum Romanorum, constat hoc potius *Pelagii* multa dogmata defendere. Similiter à *Priscilliani* errore non multum abhorrent, ut infrà probabimus: quum perjuria permittunt, & juramenta nec ipsi Papæ servent, nec ab aliis servari patiantur. Ideo Ruffinus etiam non de tempore futuro loquitur, nec negat in Roma & è Roma, sicut aliis in Ecclesiis ac urbibus hæreses exoriri posse. Etsi nunc in vivis ageret, aliter diceret, quia colluvies hæresum Romæ & per universam Ecclesiam Romanam grassantium revinceretur. Sit enim verum, licet probari non possit, Ruffini tempore nondum quid hæresum Romæ dominatum esse: tamen post ejus ætatem ibi innummeræ succreverunt, & hodie nimis longè lateque dominantur, ut infrà demonstrabitur.

Bellarm. ibidem.

Et videtur in Romana Ecclesia ac toto Papatu non aliter evenisse, quàm inter simias accidere solet. Nam illæ tam spectata hominum facta, quàm nondum probè exploratas res aggredi & imitari consueverunt. Ita Pontificii partim avaritia & ambitione, partim negligentia, inania & socordia suorum antistitum hæreses etiam visas, lectas, cognitas, compertasque priscorum hæreticorum receperunt, ac hodie imitantur & colunt. Aut didicerunt & suxerunt ab antiquis hæreticis hæreses

veriſſimas & vitioſiſſimas, quas hæreſes eſſe nondum cogitarunt, perſpexerunt, animadverterunt, explorarunt Interim ſeſe ipſis genuinis ac veris hæreticis, antiquarumque hæreſum cultoribus & hæreticorum vetuſtarum imitatoribus præteritis ac diſſimulatis Euangelicos inſontes & immerentes hæreſeos inſimulant, & hæreticos vocant, ne ipſi hæretici eſſe animadvertantur.

Sacram Scripturam pro ſe citant Pontificii. Defendunt ſe machina robuſtiſſima Propheticæ & Apoſtolicæ doctrinæ atque fidei, quod dogmata ſua & inſtituta ac ceremonias à Prophetis & Apoſtolis repetunt. Sed non tam ſpectandum eſt, quid illi afferant, & unde ſua repetant, quàm quomodo & quid probent, Labes Papiſticæ ſuæ ſectæ nunquam illi vel à Prophetis & Apoſtolis, vel à viris Apoſtolicis ac verè ſanctis atque piis profectas docebunt & comprobabunt. Nam his nos eos potius refutare poſſumus.

Patribus ſe defendunt Papiſtæ. Antiquiſſimorum denique Patrum ſcripta, ſententias, teſtimonia & exempla in ſuarum hæreſum confirmationem proferunt. Sed ſi eorum auctoritate ſtabilita eſſet ſynagogæ Romanæ ac Papatus fides, quid opus erat tot decretis & decretalibus, quæ poſtea diverſis temporibus emerſerunt, & ad defendendam fidem Papatus adhiberi ſolent? Tam nihil etiam iis eſt in Patribus præſidii, ut eorum copiis potiùs fundantur, & hæreſum convincantur, Aut ſic interdum gratificentur & auxiliantur Patres Pontificiis, ut utrique fundamento Scripturæ ſacræ deſtituantur, & à veris principiis Chriſtianæ religionis recedant. Plerunque autem Patres, ubi ad pugnam & manus res pro veritate devenit, ſua dexteritate, induſtria, pietate, doctrinaque juvant partes Papiſtarum, ſed Euangelicorum, & quod falſum, abſurdum, ſuperſtitioſum, ſophiſticum, denique hæreticum in Papatu, clarius patefaciunt, redarguunt & confundunt. Hæc in progreſſu totius hujus Tractatus liquidiſſimè apparent & conſtant,

Quomodocunque igitur & quibuſcunque ſeſe protegant & tutari conentur Pontificii, ne hæreſibus immerſi & dediti videantur, à doctoribus ſuis acceperunt, quod Deus de populi ſui antiſtibus corruptis dicit: *Oves meæ conculcationem pedum veſtrorum paſcuntur, & conturbatum pedibus veſtris bibunt.* *Ezech. 34. 19.* Pontificia enim Schola multis jam annis verbum Dei conculcavit, & ex traditionum atque hæreſum lacunis turbidis potum ovibus Chriſti præbuit. Hinc Epiſcopus CHEMENSIS: *Onus Eccleſiæ c. 18.* *Hodie*, inquit, *doctrina Scholaſtica docet linguam ſuam loqui mendacium*, Et alibi dicit: *Sacras literas corrumpi in Eccleſia Pontificia & perverti per poëticas nugas & Paganica dogmata* (ſub quibus & intelliguntur hæretica) *& ſcientiam Dei non haberi integram.*

II. Electi & pii in Papatu ab hæreſeos nota eximuntur. Advertendum tamen, me non omnes & ſingulos homines in Romana Eccleſia & Papatu ſine diſcrimine ex æquo hæreſeos reos agere, ſed electos quantumvis nobis inviſibiles & ſoli Dei cognitos, ab ejus nota eximere atque excludere. Deus enim *fœderis ſui tabulas* Veteris nempe ac Novi Teſtamenti libros inde à temporibus Apoſtolorum non paſſus eſt penitus auf-

fer-

ferri ex Ecclesia Romana licet corruptissima nec *Ecclesiæ tesseram*, Catechismum Christianum, prorsus sustinuit depravari, Sed publicam quatuor illorum summorum doctrinæ salutaris capitum, ***Decalogi, Articulorum fidei, Precationis Dominicæ, & Sacramentorum legitimorum, Baptismi scilicet, & Eucharistiæ***, confessionem quantumvis impura explicatione misere conspurcatam servavit. Hinc fideles verè pii & electi Dei etiam in mediis Papatus tenebris ac hæresum sordibus extitere, qui semine Euangelii & spiritus sancti virtute regenerati, Baptismoque Christianæ Ecclesiæ inserti sunt. Verbum enim Dei efficax est ad fidem justificantem ingenerandam instrumentum Sacramentaque legitima Baptismi & cœnæ Dominicæ ad eam fovendam, augendam ac confirmandam medium. Et utrumque permultis in Papatu divinitus tam benigne & utiliter obtigit, ut aliquatenus pure ac fideliter capiti Christo adheserint, Antichristi autem hæreses atque insidias devitarint. Nec à Christo divelli potuerunt sed in persequutione sub odioso hæretici nomine ob sincera fidei professionem immerito fervente suppressi, vel occisi sunt, aut latuerunt, sive Dei gratia elapsi majori fiducia sub Christianis Dominis ac patronis veritatem asseruerunt. Sicut enim temporibus Heliæ præter illius opinionem in Israele septem hominum millia supererant, quæ genua sua Baali non incurvabant: sic & multi fideles Christi in Papatu reliqui semper fuerunt. Et adhuc residui sunt passim, qui aut omnino bona conscientia Deum colunt, aut cum infirmate aliqua fundamentum retinent, ac idololatriam erroresque Pontificios aversantur. Quamobrem neque hosce, neque infantes in Papatu natos à fœdere & Ecclesia Christi excludimus. Neque inter hæreticos tales recensemus, sed ab his segregamus & distinguimus.

Joh. 5. 24. Rom. 1. 16. Mar. 16. 15.

1. Reg. 18. Rom. 11. 4.

Illudque in quæstione jam versatur potissimum: *An Pontifex Romanus, cum suis sectatoribus, qui falsam illius & corruptam doctrinam atque idololatriam scientes volentesq; pertinaciter rejecta omni piorum admonitione & doctrina purioris dehortatione fautore, approbant ac tuentur, Hæresi infecti atque Hæretici sint, nec ne?* Quod ut Pontificii negant, ita nos affirmamus, & probare ac demonstrare sequentibus parati sumus.

CAP. II.

Summa probationis & demonstrationis, hodiernos Pontificios doctrinam & fidem Hæresibus infectam tenere, ac proinde Hæreticos hujus temporis præcipuos esse.

POSSEMUS quidem facile & perspicuè variis modis docere, probare, demonstare & convincere, papistas hodiernos doctrinam atque fidem hæresibus commaculatam habere, & propterea præcipuos hujus temporis Hæreticos esse: sed insistemus superiori nostro fundamento ad hujus rei veritatem, quoad hæresum ac hæreticorum inquisitionem demonstrationemque, & indagandam & deprehendendam jam antea posito.

Primo innitimur definitioni hæreseos atque hæretici, è Scriptura sacra,

veriſſimas & vitioſiſſimas, quas hæreſes eſſe nondum cogitarunt, perſpexerunt, animadverterunt, explorarunt Interim ſeſe ipſis genuinis ac veris hæreticis, antiquarumque hæreſum cultoribus & hæreticorum vetuſtarum imitatoribus præteritis ac diſſimulatis Euangelicos inſontes & immerentes hæreſeos inſimulant, & hæreticos vocant, ne ipſi hæretici eſſe animadvertantur.

Sacram Scripturam pro ſe citant Pontificii.

Defendunt ſe machina robuſtiſſima Propheticæ & Apoſtolicæ doctrinæ atque fidei, quod dogmata ſua & inſtituta ac ceremonias à Prophetis & Apoſtolis repetunt. Sed non tam ſpectandum eſt, quid illi afferant, & unde ſua repetant, quàm quomodo & quid probent, Labes Papiſticæ ſuæ ſectæ nunquam illi vel à Prophetis & Apoſtolis, vel à viris Apoſtolicis ac verè ſanctis atque piis profectas docebunt & comprobabunt. Nam his nos eos potius refutare poſſumus.

Patribus ſe defendunt Papiſtæ.

Antiquiſſimorum denique Patrum ſcripta, ſententias, teſtimonia & exempla in ſuarum hæreſum confirmationem proferunt. Sed ſi eorum auctoritate ſtabilita eſſet ſynagogæ Romanæ ac Papatus fides, quid opus erat tot decretis & decretalibus, quæ poſtea diverſis temporibus emerſerunt, & ad defendendam fidem Papatus adhiberi ſolent? Tam nihil etiam iis eſt in Patribus præſidii, ut eorum copiis potiùs fundantur, & hæreſum convincantur, Aut ſic interdum gratificentur & auxilientur Patres Pontificiis, ut utrique fundamento Scripturæ ſacræ deſtituantur, & à veris principiis Chriſtianæ religionis recedant. Plerunque autem Patres, ubi ad pugnam & manus res pro veritate devenit, ſua dexteritate, induſtria, pietate, doctrinaque juvant partes Papiſtarum, ſed Euangelicorum, & quod falſum, abſurdum, ſuperſtitioſum, ſophiſticum, denique hæreticum in Papatu, clarius patefaciunt, redarguunt & confundunt. Hæc in progreſſu totius hujus Tractatus liquidiſſimè apparent & conſtant,

Quomodocunque igitur & quibuſcunque ſeſe protegant & tutari conentur Pontificii, ne hæreſibus immerſi & deditì videantur, à doctoribus ſuis acceperunt, quod Deus de populi ſui antiſtibus corruptis dicit: *Oves meæ conculcationem pedum veſtrorum paſcuntur, & conturbatum pedibus veſtris bibunt.* Pontificia enim Schola multis jam annis verbum Dei conculcavit, & ex traditionum atque hæreſum lacunis turbidis potum ovibus Chriſti præbuit. Hinc Epiſcopus CHEMENSIS: *Hodie,* inquit, *doctrina Scholaſtica docet linguam ſuam loqui mendacium*, Et alibi dicit: *Sacras literas corrumpi in Eccleſia Pontificia & perverti per poëticas nugas & Paganica dogmata* (ſub quibus & intelliguntur hæretica) *& ſcientiam Dei non haberi integram.*

Ezech. 34. 19.

Onus Eccleſiæ c. 18.

II. Electi & pii in Papatu ab hæreſeos nota eximuntur.

Advertendum tamen, me non omnes & ſingulos homines in Romana Eccleſia & Papatu ſine diſcrimine ex æquo hæreſeos reos agere, ſed electos quantumvis nobis inviſibiles & ſoli Dei cognitos, ab ejus nota eximere atque excludere. Deus enim *fœderis ſui tabulas* Veteris nempe ac Novi Teſtamenti libros inde à temporibus Apoſtolorum non paſſus eſt penitus auferre-

ferri ex Ecclesia Romana licet corruptissima nec *Ecclesiæ tesseram*, Catechismum Christianum, prorsus sustinuit depravari, Sed publicam quatuor illorum summorum doctrinæ salutaris capitum, ***Decalogi, Articulorum fidei, Præcationis Dominicæ, & Sacramentorum legitimorum, Baptismi scilicet, & Eucharistiæ,*** confessionem quantumvis impura explicatione misere conspurcatam servavit. Hinc fideles verè pii & electi Dei etiam in mediis Papatus tenebris ac hæresum sordibus extitere, qui semine Euangelii & spiritus sancti virtute regenerati, Baptismoque Christianæ Ecclesiæ inserti sunt. Verbum enim Dei efficax est ad fidem justificantem ingenerandam instrumentum Sacramentaque legitima Baptismi & cœnæ Dominicæ ad eam fovendam, augendam ac confirmandam medium. Et utrumque permultis in Papatu divinitus tam benigne & utiliter obtigit, ut aliquatenus pure ac fideliter capiti Christo adheserint, Antichristi autem hæreses atque insidias devitarint. Nec à Christo divelli potuerunt sed in persequutione sub odioso hæretici nomine ob sincera fidei professionem immerito fervente suppressi, vel occisi sunt, aut latuerunt, sive Dei gratia elapsi majori fiducia sub Christianis Dominis ac patronis veritatem asseruerunt. Sicut enim temporibus Heliæ præter illius opinionem in Israele septem hominum millia supererant, quæ genua sua Baali non incurvabant: sic & multi fideles Christi in Papatu reliqui semper fuerunt. Et adhuc residui sunt passim, qui aut omnino bona conscientia Deum colunt, aut cum infirmate aliqua fundamentum retinent, ac idololatriam erroresque Pontificios aversantur. Quamobrem neque hosce, neque infantes in Papatu natos à fœdere & Ecclesia Christi excludimus. Neque inter hæreticos tales recensemus, sed ab his segregamus & distinguimus.

Job. 5. 24. Rom. 1. 16. Mar. 16. 15. 1 Reg. 18. Rom. 11. 4.

Illudque in quæstione jam versatur potissimum: *An Pontifex Romanus, cum suis sectatoribus, qui falsam illius & corruptam doctrinam atque idololatriam scientes volentesq; pertinaciter rejecta omni piorum admonitione & doctrina purioris dehortatione fautore, approbant ac tuentur, Hæresi infecti atque Hæretici sint, nec ne?* Quod ut Pontificii negant, ita nos affirmamus, & probare ac demonstrare sequentibus parati sumus.

CAP. II.

Summa probationis & demonstrationis, hodiernos Pontificios doctrinam & fidem Hæresibus infectam tenere, ac proinde Hæreticos hujus temporis præcipuos esse.

POSSEMUS quidem facile & perspicuè variis modis docere, probare, demonstare & convincere, papistas hodiernos doctrinam atque fidem hæresibus commaculatam habere, & propterea præcipuos hujus temporis Hæreticos esse: sed insistemus superiori nostro fundamento ad hujus rei veritatem, quoad hæresum ac hæreticorum inquisitionem demonstrationemque, & indagandam & deprehendendam jam antea posito.

Primo innitimur definitioni hæreseos atque hæretici, è Scriptura sacra, Patri-

5. *Definitio recta hæresis & hæretici Papistis conveniens eos hæreticos facit.*

Patribus antiquioribus & purioribus juræ Cæsareo ac Pontificio, ipsisque Pontificiis sanioribus & doctioribus depromptæ, quæ respectu Pontificiorum tali argumento constat:

Quæcunque doctrina Christianorum non unicè recipit & firmiter tenet sacras Scripturas, sed præter & contra eas rejecta omni admonitione saniore, pertinaciter errores, ac falsas opiniones, traditionesq́; fundamentum orthodoxæ fidei convellentes gignit, amplectitur & defendit, ea est hæresis: Similiter: *Quicunque Christiani isto modo non recipiunt ac tenent sacras literas, sed contra errores & traditiones fundamentum fidei orthodoxæ convellentes pertinaciter defendunt, ii sunt Hæretici.*

Sed doctrina hodierna Romanæ Ecclesiæ & Pontificiorum inter Christianos non unicè recipit & firmiter tenet sacras Scripturas, sed præter & contra illas rejecta omni admonitione saniore, pertinaciter errores falsas opiniones, traditionésque fundamentum orthodoxæ fidei convellentes gignit, amplectitur & defendit. Similiter: *Pontificii hodierni & Romanæ Ecclesiæ sectatores hodie inter Christianos isto modo non recipiunt ac tenent sacras literas, sed contra pertinaciter errores & traditiones fundamentum fidei orthodoxæ convellentes defendunt.*

Igitur doctrina hodierna Ecclesiæ Romanæ & Pontificiorum inter Christianos est hæresis. Item: *Papistæ vel Pontificii ac hodiernæ Romanæ Ecclesiæ sectatores, inter Christianos sunt hæretici.*

In *propositione* utraque probanda nihil opus est diutiùs immorari, quum supra libro primo capite 7. & 12. satis superq́ue sit explicata & probata.

Assumptionem verò quomodo probabimus. Num non in ea demonstranda & firma ac vera facienda magis erimus muti ac pisces? magis aridi quàm pumices? Minimè. Quin agite, sistite gradum, arrigite aures, advertite mentes. Audietis & cognoscetis probationum satis, ac rationum demonstrationum quæ myriades videbitis ac percipietis.

1. Quod non unicè recipiant ac teneāt Romanæ Ecclesiæ & Pontificiorum doctrinam ipsiq́; Pontificii sacras literas, constat ex Bellarmini lib. 3. de verbo Dei cap. 1. & 2. Censura Coloniensi fol. 117. 220. Canisii Catechetico opere fol. 126. 160. 161. 162. & fol. 44. Nos infrà cap. 3. & per totum hunc tractatum ostendemus.

2. Quod contra & præter sacras Scripturas Romanæ Ecclesiæ doctrinā & sectatores Papistæ amplectantur ac teneant errores, opiniones falsas, traditionesque, patet ex lib. 3. Bellarmini de verbo Dei cap. 4. & deinceps, ac c. 10. & lib. 4. cap. 2. 3. & seqq inprimis, c. 4. ubi expressè ait: *Scriptura sine traditionibus non admodum necessaria est. Traditiones autem simpliciter necessariæ sunt.* Ad hæc ex censura Coloniensi fol. 220. & Canisii opere Catechetico fol. 162. ubi statuunt: *Defectus sacræ Scripturæ assumento traditionum est farciendus.* Apparet præterea ex legendis sanctorum, è scriptis omnium Papistarum, à decretis & decretalibus & extravagantibus Paparum, quibus passim errores, opiniones falsæ, similiaque insunt, quæ Scripturis æquantur, ac sæpè præferuntur. Et nos infrà per singula capita hoc copiosè ostendemus. Quin eò certiùs Papistas in hoc reos teneri comprobabimus, quia opinionibus & traditionibus

bus

bus suis, ac Pontificum Romanorum decretis & decretalibus importabilem sarcinam imponunt Christianis, observantiæ necessitatem alligant, opinionem & impietatem cultus ac meriti ascribunt, denique ob eas legem Dei & sacræ Scripturæ præcepta irrita faciunt, atque omittunt. Vide Henrici Echardi Papam Pharizaizantem c.12. de traditionibus.

Ad quod vult Deum in præfat.

3. Ipsorum decreta & traditiones fundamentum fidei orthodoxæ convellunt. Quum enim Pontificii illud Augustini objicere possent: *Non omnis error est hæresis.* Item: *Errare possum, hæreticus esse nolo.* Respondemus: Non ita leves sunt Pontificii isti errores, opiniones & traditiones in ipsorum doctrina, qui servatis fidei Christianæ fundamentis, circa res secundarias tantùm versentur, ac ideo hæreses esse nequeant. Sed propiùs inspecti & studiosius excussi, discrimen quidem inter se haud obscurum, nec parvum habere conspiciuntur. Attamen aliæ ipsa fidei fundamenta concutiunt directè vel obliquè, *aliæ* verò circa res externas vel ceremonias occupantur & ineptiunt, in quibus tamen & ipsis fidei aut adminicula aut obstacula sita sunt. Neminem verò latet, Papistas etiam in minimis externis & levissimis ceremoniis piorum ac puppim tam fidei, quam salutis collocare. Quapropter ne illæ quidem traditiones vel errores pro parvis ac levibus hæresibus haberi possunt ac debent, sed pro talibus, quibus ipsa quoque fidei fundamenta labefactentur: præsertim quum ab exploratis & certis antiquis hæresibus desumptæ sint. Quæ omnia in progressu hujus Tractatus plenius patefaciemus & probabimus.

4. Pertinaciter contra pias admonitiones & dehortationes, solas sacras Scripturas non amplectuntur Pontificii, ac pertinaciter opiniones & traditiones fundamentum fidei orthodoxæ concutientes præter & contra sacras literas defendunt. Nam hoc praxis Pontificiorum & experientia testatur. Adhæc nos id prolixè capite ultimo hujus libri ostendimus.

Hinc quibus definitio hæreseos & hæretici congruit, iisdem definitum quoque competere, rectissimè colligitur, omninoq; est certissimum. Ad definitionem hæreseos ac hæretici congruere Papistis, modo docuimus. Ergo iisdem definitum quoque competere certissimum est. Hoc verò negare & contrarium affirmare, nihil aliud esset quam malum contra expressam detestationem Isa. 5. ℣. 20. vocare bonum & è diverso bonum malum appellare.

2. Privatio rerum Catholicis necessariarum Papistas facit hæreticos.

SECUNDO insistimus vera Catholici definitione, quæ quum Papisticis non conveniat, fit ut manifesti hæretici sint. Possent enim omnia contra Pontificios usurpari, quæ supra Tomo 1.cap.13. de Catholici descriptione attulimus, sed hic potioribus erimus contenti, Ac dicimus. *Qui non sunt Catholici, ii sunt Hæretici: Papistæ non sunt Catholici. Igitur Papistæ sunt Hæretici.*

Major manifesta & nota est ex Lege Cæsarea, quàm supra lib.1.cap. 7.adduximus. Nam ea decernitur, ut qui Catholici non sunt, ii Hæretici sint atque dicantur. *Minor* legitima Catholici descriptione constat, quæ Papistis minimè

Quod autem tam à suis quàm ab aliis, imò etiam à nostris Catholici vocantur, fit nonnisi ironicè, aut ex recepta vulgi opinione vel consuetudine. Alioqui nostri aliique seriò loquentes, Pontificios à suo Patrono, seu capite, Papa Romano *Papistas*, aut ab hæresib. quas eos colere infrà docebimus, & à non conveniente ipsis nomine Catholici, *hæreticos* jure appellare possunt.

3. *Conspiratio cum antiquis hæreticis reddit Papistas hæreticos* *Bellarm. l. 4 de Ecclesia cap 9.*

TERTIO nitimur ipsorummet Pôtificiorum argumento, quod à conspiratione cum antiquis hæresibus ducunt. Nam eos omnino pro veris & certis hæreticis haberi posse ac debere contendunt, qui cum vetustis hæreticis, qui quidem explorati & damnati hæretici fuêre, consentiant ac conjurent, ut eadem habeât fidei ac religionis principia vel dogmata atque ritus. Itaq; nos, & inprimis alios rudes, ignaros, dubios ac hæsitantes in viam deducunt, & qua ratione veros hæreticos invenire, deprehendere atque agnoscere queamus, clarè vereque demonstrant.

Sententia enim Pontificiorum est: *Quicunque hodie antiquis hæresibus & hæreticis proximè accedunt, ii sunt hæretici.* Assumimus: *Papistæ hodie antiquis hæresibus ac hæreticis proximè accedunt. Ergo Papistæ hodie sunt hæretici.*

Ne autem fucus subesse putetur & fallacia, non intelligimus nos in *majore* olim falsò existimatas & dictas hæreses, ac falsò putatos vocatosque hæreticos: sed veros & jure meritoque dictas damnatasque hæreses, ac jure & merito appellatos damnatosque hęreticos apud antiquos. Quas enim opiniones *Joviniani, Vigilantii, Aërii, Berengarii, Xenaiæ, Lampetianorum & aliorum* similium, Bellarminus & Adversarii Papistæ pro hæresibus habent, minimè sunt hæreses, ac proinde ipsi, qui earũ insimulantur, nequaquam sunt hæretici, ut libro superiore comprobavimus. Ideo nec Papistas, si sententias Joviniani, Vigilantii, Aërii, Berengarii, Xenaiæ, Lampetianorumque sequerentur, in numero hæreticorum habere possemus. Quapropter quoad hæreticos dicimus, quicunque hodie antiquis hæresibus & hæreticis quàm proximè accedunt vel consentiunt, id de exploratis & ipsius sacræ Scripturæ calculo judicatis hæresibus atque hæreticis accipi volumus.

Lib. 4. de eccl. cap. 9.

Unde quod in *Minore* asserimus, *Papistæ hodie antiquis hæresibus & hæreticis, quàm proximè accedunt*, ad id ipsimet nobis ansam præbent. Nam conspirationẽ cum antiquis hæresibus atque hæreticis facere hodie etiam hæreticos sentiunt, atq; ita ut hoc ipso telo ipsorummet in gulum invadamus ac confodiamus, dant occasionem & materiam. Nam veri, certi, gemini, explorati, ipsisque sacris literis & legitimarum Synodorum decretis convicti hęretici antiqui sunt *Artemon, Manichæi, Montanistæ, Valentiniani, Cerdon & Marcionitæ*, qui sacras Scripturas negarunt, aut non integras receperunt aut corruperunt, ac contra eas se à Paracleto perfectioribus instrui dixerunt. Veri & convicti hæretici sunt antiqui *Ariani*, qui contra Sanctam Trinitatem docuerunt, & *Angelici, Caini, Collyridiani*, qui Angelos, Sanctosque coluerũt, invocarunt & adorarunt. Veri & convicti hæretici veteres sunt *Donatistæ*, qui de

de sede & defectu Ecclesiæ, deq; peccato, libero arbitrio, aliisque errores hæreticos tenuerunt.

Veri & convicti hæretici antiquitus ab Epiphanio judicati sunt *Scribæ ac Pharisæi*, qui superfluam legis interpretationem, operum supererogationem opinionemque impletionis ac justitiæ propriæ legis invexerunt. Explorati & damnati hæretici vetusti sunt *Simoniani, Basilidiani, Carpocratitæ, Gnostici, Armeniani, Audiani, Mōtanistæ & Staurolatræ*, qui imaginum cultui inservivere. Ejusmodi sunt *Anomi*, qui obedientiam legis veteris non necessariam cēsuerunt. Certi atque condemnati hæretici sunt veteres *Pelagiani, Eunomiani & Cathari*, qui cum Donatistis de libero arbitrio, originali peccato, impletione legis, gratia, prædestinatione, fide & operum meritis non rectè senserunt. Germani & explorati hæretici veteres sunt *Marcionitæ, Peputiani, Marcosii & Messaliani*, qui adversus Baptismum non orthodoxa credidere. Veri ac convicti hæretici antiqui sunt *Marcionitæ & Manichæi, Marcosii, Ebionitæ, Nazaræi*, quorum errores sinceritate Eucharistiæ adversantes multi fuere. Veri atque explorati vetusti hæretici sunt *Heracleonitæ*, qui cum *Montanistis* chrisma ad Sacramentum confirmationis & extremæ unctionis, atque ad sepulturam adhibuerunt. Convicti & certi hæretici fuere *Apostolici, Tatiani, Encratitæ, Saturniani, Priscillianistæ, Dosithei*, qui cum *Manichæis & Marcionitis* perversas sententias contra matrimonium foverunt: inter quos *Priscillianistæ* etiam juramentum violarunt. Similiter apud veteres *Montanistæ, Macedonius, Eustatius, Manichæi, Priscillani, Marcionitæ* ob errores circa jejunium pro veris atque projectis hæreticis sunt habiti. Et *Mōtanus* propter dogmata de inferis, precibusque pro defunctis, ac *Osseni* ob linguam in precibus fundendis ignotam, & *Sampsæi, Osseni ac Circumcelliones* propter reliquiarum venerationē nimiam hæreseos verè & rectè olim sunt notati. Nec minùs ob vulnerationem & flagellationem corporum, ac propter morem ambulandi nudis pedibus religionis ergo, pro exploratis & convictis hæreticis in veteri Ecclesia habiti sunt *Circumcelliones, Donatistæ* & alii. Usus item lustralis aquæ *Samaritas & Ebionitas* in censum verorum hæreticorum inter antiquos retulit. Opinio de purgatorio & liberatione damnatorū *Origenem ac Montanum* labe hæreseos apud veteres infecit. Hi, inquam, & alii non falsò, sed verè ac jurè hæretici in veteri Ecclesia propter veras & convictas hæreses sunt existimati & dicti, ac etiamnum hodie jure meritoque ob sententias ac ceremonias à sacra Scriptura alienas hæretici judicantur atq; vocantur.

Jam investigatis ac bilance sacrarū literarum ponderatis antiquis illis hæresibus & hæreticis, ac cum hodierna Papistarum fide, doctrinâ, sententiâ collatis, invenimus & deprehendimus Papistarum fidem, doctrinam ac religionem in plerisque ac præcipuis capitibus priscorum hæreticorum illorum ac aliorum errores & hæreses amplexā esse ac defendere, ut non tam ovum ovo, nec lac lacti tam simile sit, quàm istæ antiquorum hæreticorum hæreses ac Pontificiorum opiniones & ritus.

Qua-

Quare nos multò justiùs illas veterum hæreticorum hæreses, aliosque errores non vulgares, adversariis nostris Pontificiis exprobare possumus. Nam certissimam cynosuram *tum* historiarum Ecclesiasticarum ac veterũ Patrum, *tum* ipsius vitæ ac religionis doctrinæque Pontificiorum, *tum* denique sacræ Scripturæ sequentes, eos & optima fide producimus, & Pontificios totos illis tinctos cernimus, & verè hæreses esse probamus ac demonstramus, licet Pontificii reclament, atque objicientibus reluctentur. Nam qui hodierno die proximè ad veterum hæresum atque hæreticorum doctrinam, fidem, mores ac ritus accedunt, eos necesse est etiam hodie hæresi infectos & hæreticos esse, utpote qui hoc suomet exemplo reque ipsa declarant. Atque hoc ipsimmet Pontificii hodie fatentur, plus millies inculcant, & hoc fundamento omnis eorum in hæreseos ac hæreticorum caussa nititur disputatio. Itaque quoniam hoc nobis concedunt, deque hoc nos ipsi disertè atque expresse admonent, actum est de Papatu. Jam enim veteres illi hæretici & Papistæ fratres & affines sunt germani. Nos enim clarè demonstramus, antiquos illos exploratos & conconvictos à vetusta Ecclesia hæreticos ac Papistas in plurimis maximisque fidei, doctrinæ, religionisque suæ principiis ac fundamentis sententiisque & rebus conspirare & consentire, & de fide ac doctrina Christi sincera & simplici planaque pariter utrosque malè sentire & docere. Hocque eò veriùs statuetur & certiùs, quod non solùm nihil aliud est Papismus, quàm *Manichaismi, Montanismi, Collyridianismi, Marcionismi, Priscillianismi, Pelagianismi, Ossenismi, Simonianismi, Donatismi, aliarúmque antiquarum hæresum farrago*, verùm etiam illa secta Papistica ad hæreses vetustas præterea etiam impietatem & idololatriam addidit. Hoc verò inficiari, aut contrarium asserere, num non aliud nihil est, quàm tenebras negare tenebras, & contra lucem eas constituere, adversus horrendam pœnæ divinæ denunciationem, quæ Isaiæ 5 20. exstat?

Quod igitur Wittakerus in præfatione ϛερνιϛὺ & fragmentorum priscarum hæresum dicit, id in præsenti repeto, ac itidem dico: *Erit autem operæ pretium, non modò quas novas hæreses Antichristus in Papatu invexerit, sed quas etiam antiquas propagarit, in specie pluribus ac copiosioribus considerare. Pauca capita mihi consectari sufficiet. Cuivis facilè erit hunc numerum facere pleniorem.*

CAP. III.

Papistas Artemonis, Manichæorum, Montanistarum, Valentianorũ, Cerdonis & Marcionitarum hæreses circa religionis Christianæ principia, nempe Scripturam sacram, tenere.

PRINCIPIO summa, gravissima & maxima hæresis Pontificiorum apparet in ipsis statim religionis Christianæ ac Catholicæ principiis, è quibus desumitur ac discitur, videlicet Scriptura sacra, in qua tractanda minimè sunt sani & puri, sed corruptissimis & priscis hæreticis similimi.

Vide plura de hoc, pro Apologia Ecclesiæ Anglican. Ivelli ad Hardingũ Respons. fol. 366. 367.

Fuerunt enim olim hæreses *Artemonis, Manichæorum, Montanistarum, Valentinia-*

Contra Scripturæ sacræ perfectionem & auctoritatem hæreses veteres Papistæ sequuntur.

tinianorum, Cerdonis & Marcionitarum, qui negarunt Scripturas veteris & novi Testamenti à Spiritu sancto profectas. Quasdam ex illis non receperunt sive interpolarunt & corruperunt. Vel etsi Scripturam susceperunt: eā tamen integram & perfectam doctrinam, nobisque sufficientem & necessariam ad veritatis cognitionem & salutem contineri inficias iverunt, inprimis Montanus. Itaque hic *paracletum* finxit, qui quod inchoatum erat, perficeret, & Ecclesiam omnia necessaria doceret. Testis est Epiphanius hæresi 48. Tertullianus contra Praxeam, Irenæus lib. 3. cap. 2. & 3. ac alii.

Scripturam sacram ut à Spiritu sancto inspiratam esse Papistæ negāt.

Hoc hæreticos strenue imitantur Pontificii, qui testimonium Spiritus sancti, quod in cordibus fidelium perhibet scuriliter eludunt & elevant, Scripturamque θεόπνευστον & à Spiritu sancto inspiratam esse eo vehementissimè negant, quod vix ab ullo conviciorum genere abstinentes eam venenato ore traducunt, linguāque maledica calumniantur & cavillantur. *Leo* ipse X. Pontifex Maximus Euangelium regni Dei, ut alter Cajaphas, implacabili odio prosequutus est in Luthero & aliis & proponenti semel Cardinali *Bembo* quiddam ex eo, non solùm respondit: *Quid mihi Bembe fabulam narras de Christo?* verum dicam: *Quātū nobis ac nostro cœtui profuerit ea de Christo fabula, satis est seculis omnibus notum.* Annon igitur Scripturam Euangelicā appellando fabulam, à Spiritu sancto dictatam & profectam esse negavit? Quid itaque servi & subditi faciant, audent quum talia Domini Pontificiorum ac ipsi Pontifices? Sunt enim

Balæus de Actis Pontif. lib. 7.

in Germania Pontificii haud obscuro loco & nati & collocati, nec vulgari doctrinæ aut sapientiæ auctoritate inter suos commendati, qui se Scriptura veteris & novi Testamenti nominetur sancta vel sacra, Germanicè heyliglich eam vocent heyloß/id est, profanam, otiosam, inutilem, vanam, nullius que pretii & momenti, atque auctoritate & fide indignam. Cujusmodi me quendam magni nominis audivisse ipse sanctè testor, quum testimoniis ejus urgeretur.

Papistæ in colloquio Vormatiensi palam professi sunt, *Scripturam esse materiam litis*, teste Chemnitio in Theolog a Jesuita,

Et in Censura Coloniensi statuunt, lectionem sacræ Scripturæ non modò non esse utilem sed multis modis perniciosam Ecclesiæ, ac hæresum caussam. Nam *ut audētius*, inquiūt, *dicamus, nulla unquam reperta est hæresis, quæ non ex Scripturis occasionem acceperit.* Quod quid aliud est, quam Scripturam sacram hæreseos insimulare, hæresumque materiam ac segetem statuere. Et quid his aliud innuunt, quam se sentire tā contentiosam & ligitigiosam Scripturā aut nō esse à Spiritu sancto profactam, aut fuisse satius, si nulla unquam sacra Scriptura à Spiritu sancto fuisset inspirata & Ecclesiæ data, quo ea tāquam materia controversiarum ac hæresum careremus? Ac quod hæretici ferè omnes Scripturarū auctoritate errores suos quantumvis absurdos & blasphemos, desdéere conati sunt, & hodie nunquam non scripturas in ore habent impostores, qui his prorsus contraria figmenta obtrudunt?

Fol. 21.

Vide infrà lib. 5. c. 14. refutationem.

dunt, id Scripturarū auctoritati nihil derogat, neque propterea illis minus credi debet, quasi dubiæ aut incertæ sint, ac materia litis, ut Papistæ crepant. Etenim Scriptura sacra per se θεόπνευστος, id est, divinitus inspirata est, eadem verbum veritatis & vitæ æternæ continet. Quod autem illa multi abutuntur, id ex diaboli suggestione fit, & habet hoc illa cum multis aliis Dei institutis commune, quæ simili omnino ratione exitialia fiunt, quum per se utilia & salutaria sint. Ut enim araneæ ex floribus venenum sugunt, vel potius succum ex illis decerptum in venenum convertunt, ex quibus apes mel dulce & salubre colligunt: ita Satan salutiferum Dei verbum, quo nihil suavius, purius atque utilius est, sibi ipsi & suis sectatoribus noxium reddit. Neminem vero periculum hoc à Scripturarum lectione absterrere, sed potius nos excitare debet, ut in illis majori cum diligentia & attentione versemur, ne nobis sub harum prætexu Satan imponat.

2. Tim. 3. 16.
2. Pet. 2. 21.
Rom. 1. 15.

Traditiones Pontificia.

Etsi autem interdum suscipiunt Pontificii Scripturas sanctas, ac legūt, prædicant & exponunt, tamen eorum doctrinam nobis non sufficere ad veritatis notitiā & salutē concedūt: ut videre est in Francisci Costeri Enchiridio. Joh. Pistorii Nidani ὁδηγῷ, sive Duce pro seductis Christianis, c. 1. 2. & 3. Bellarm. l. de Verb. Dei c. 2. & 3. Hinc alia multa Scripturæ institutioni adjungunt, quæ in Scripturis divinis non traduntur. Atque hinc maximam suarum Traditionum & ceremoniarum partem hauserunt, quarum summam Gulielmus Lindanus lib. 4. Panopliæ suę, pręter Petrū à Soto sic recēset, dicēs: Traditionē esse: *Petrum Romæ fuisse: septem esse Sacramenta; Consecrationem aquæ & olei in Baptismo esse necessariam: realem esse præsentiam corporis Christi in Eucharistia: Communionem servandam sub una specie: Eucharisticum esse sacrificium, & asservandam atque adorandam: Missam privatā confessionem peccatorum sacerdotibus, satisfactionem, indulgentias & purgatorium esse divinitus instituta & credenda, &c.*

Has ergo sententias ac traditiones non eò tantum esse hæreticas sentiendum est, quia perfectionē S. Scripturę negant, & ei tanquam perfectiora assumitur, verumetiam quia singula hæc capita à peculiaribus hæreticis promanant, ut infra demonstrabitur. Ad hæc, quia in his quoque Paracletum sibi Pontificii vendicant. Ubi enim destituuntur Scripturis sacris & expressis, substituunt traditiones nomine Ecclesiæ, quam Spiritus sanctus nunquam deserat. Ideo *à Spiritu sancto traditiones dictatas affirmantes, pari pietatis affectu atque reverentia cum verbo Dei scripto suscipiendas ac venerandas asseverant.* Unde conjicitur, si Montanistæ & cæteri, quos supra recitavimus, olim fuerunt hæretici, quia talia fecere: equidem Pontificii hæc ipsa facientes etiam hæreticos & esse & dici posse ac debere. vide plura in Resp. Ivelli ad Harding. pro Apologia Anglicana fol. 376.

Concil. Trident. Decreto, sess. 4.

Ejusdem farinæ fuit, quod iidem hæretici soliti sunt dicere, *Apostolos quædam docuisse seorsim perfectos viva voce.* teste Irenæo lib. 3 cap. 2. & 3. Et in hunc finem citant illud Pauli 1. Cor. 2. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos.*

2. Perfectis tantum plena mysteria exponenda sentiendo Papistas fieri hæreticos

Similiter olim *Thalmudistæ* docuerunt, Deum olim Mosi in monte non Legem tantum, sed Legis etiam explicationem tradidisse: Mosem verò Legem scripsisse & in omnibus quidem promulgasse, at interpretationem Legis Josuæ tantum & aliis quibusdam perfectis hominibus tradidisse.

Idem Papistæ sentiunt ac docent, ut constat ex Gerardi Genebrardi Chronologia lib. 1. ætate 4. & ex Melchiore Cano in loc. communibus, cap. 3. fundamento 4. CANUS in loco citato eadem proponit fundamenta opinionis suæ, quibus hæretici veteres & Thalmudistæ usi sunt. Nam & illud de Mose recitat, & Christum atque Apostolos sic fecisse, & hoc fuisse consentaneum ait. Nec abludunt ab hoc Monachorum ac quorundam Pontificiorũ revelationes & mores, quę sub hoc nomine *novas & insolitas revelationes jactant, & verbum Dei fingunt non scriptum*, quod ad ipsos & nos cœlitus peculiari quadam & extraordinaria ratione deferatur. Et quid aliud innuunt hæc Bellarmini verba: *Sacra Scriptura non ita perspicua & intellectu facilis est, ut per se absque Ecclesia auctoritate & explicatione ad decidendas fidei controversias sufficiat: sed adeò potiùs obscura est, etiam in rebus scitu necessariis, ut sine ductu & magisterio prædicta Ecclesia etiam à fidelibus intelligi non possit.*

De verbo Dei lib. 3. cap. 1. & 2.

Annón eadem tendunt hæc ejusdẽ verba: *Supremus & infallibilis Scripturæ interpres, seu controversiarum judex non est ipsa Scriptura, aut Spiritus sanctus in ea loquens: sed vel Ecclesia, vel Concilium, vel denique Pontifex Romanus, ex Cathedra docens?* Item: *Nec principibus secularibus, nec privatis fidelibus sed* SOLIS ECCLESIASTICIS *præsulibus de fidei controversiis juxta verbum Dei judicare licet.*

Cap. 4. & deinceps.

Cap. 9. & 10.

Intelligimus igitur, quomodo Papistæ interpretationem Scripturæ juxta veteres hæreticos seorsim tantummodò perfectis committant, & quos in perfectorum albo ascriptos habeant.

Hoc verò penitus esse hęreticum, & ab ipsis Pontificum Romanorum decretis ut hæreticum prohiberi amplius ex dist. 24. quæst. 3. cap. hæresis, ubi scriptum: *Quicunque igitur aliter Scripturam intelligit, quàm sensus Spiritus sancti flagitat, licet ab Ecclesia non recesserit, tamen* HÆRETICUS *appellari potest.*

Interpretem alium Scripturarum S. quærere, quàm Spiritum sanctum est hæreticum.

Nimis autem frequenter & impudẽter huic hæresi deditos, sese esse, fidẽ faciunt Pontificii. Nam præter modò adducta ex ipsorummet libris, si tædeat eorum alios adire libros, inspiciamus tantum Canonem Concilii Trident. sess. 4. ubi sanctè sub pœnæ judiciaria denunciatione cavetur: *Ne quis Scripturã alio interpretetur sensu, quàm qui est sancta* (si Deo placet) *matris Romanæ Ecclesiæ. Ejus esse de vero sensu Scripturarum dijudicare.*

Intelligunt autem per Ecclesiam Pontifices, Cardinales, Episcopos & Prælatos, contenduntque unis horum rictibus & faucibus donum interpretationis Scripturarum indivulsè esse alligatum, qui sint in scienda Scripturę mente perfecti. Nec cuiquam licet ipsorum qualescunq; interpretationes ad examen aliorum revocare, aut vel leviter contra ipsorum explicationem atque examen hiscere. Sed tenentur omnes absque ulla exceptione, contradictione, protestatione & dijudicatione

Stapletonus lib. 10. c. 11. de princip. doct.

tione cum tremore ac reverentia illas Prælatorum istorum explanationes suscipere, maximè verò quas supremus ille dictator Papa è tripode sua Romana vel Cathedra pestilentiæ ac derisorum demurmurat. Contra quas si quis vel mutire ausit, præsentissimum vitæ & fortunarum incurrit discrimen. Papæ enim in solio suæ majestatis sedenti Spiritus sanctus fertur assistere, *ut errare non possit* auctore Thoma Aquinate & Cajetano.

Psal. 1. 1.

Ac Papa *omnia jura in scrinio pectoris sui habere jactatur, etiamsi sit idiota & tam obliviosus, ut immemor etiam sit sui Et quẽadmodum in corpore humano solum caput plenitudinem habeat sensuum, reliqua autem membra partem recipiant plenitudinis: ita dicit Innocentius,* supremum Pontificem plenitudinem habere scientiæ & potestatis, reliquos partem tantum. sermone primo in Festo Gregorii Papæ.

Bonif. 8. lib. 1. tit. 2. de constit. cap. 1.

Hinc Hosius de prætorea atque absoluta interpretandi Scripturas potetate Ecclesiæ Romanæ dixit: *Si quis habeat interpratationem Romanæ Ecclesiæ de loco aliquo Scripturæ, etiamsi nec sciat, nec intelligat, an & quomodo cum Scriptura verbis conveniat, illum tamen habere ipsissimum Verbum Dei.*

Lib de expresso verbo Dei.

Et gregorius de Valentia: *Romana Ecclesia,* inquit, *usus certissimus est Scripturæ interpres.* De Confessionis necessitate, cap. 2. Idem in Analys. lib. 6. *Solius Pontificis est, controversias fidei cum auctoritate infallibili universam Ecclesiam obligando determinare: quipoe cujus in Ecclesiam obligando determinare: quippe cujus in Ecclesia suprema post Christum est potestas spiritualis. Ideoque omnes omnino fideles in utroque foro, externo, & interno in rebus, quæ ad spiritualem animæ salutem pertinent, ei obedire & parere tenentur.*

Et lib. 7. c. 1.

Nec pudet hominem peccati Nicolaum Papam, perfricta fronte sic argumentari. *Contra Deum non licet hiscere, aut Contra ejus oracula excipere, vel protestari. Papa autem est Deus, sic enim à Constantino vocatur Quapropter omnia ejus dictata & interpretationes sunt pure authentica, exceptioneq; omni superiores, ut contra eas ne hiscere quidem liceat.*

Dist 68. c. satis Michael. Imperat.

Quo magis verò hæresis abominanda Pontificiorum hoc cernatur, animadvertendum est, eos plane interpretationes suas Scripturarum divinarum longè aliter instituere & proferre, quàm sensus Spiritus Sancti flagitat. Ludificationes enim verius eructant sacrarum literarum, quàm interpretationes, & falsificationes potius quã verificationes dicenda, imò depravationes potius quàm explanationes evomunt, quæ aut impiæ prorsus sunt aut saltem ridiculæ, ineptæ, insulsæ, omnes verò contortæ, adulterinę & coactæ. Quod non dissimulat Joh. Aven: de Pontifice Romano sic scribens: *Non solum ad ambitionem suam occultandã fabulas comminiscitur, annales corrumpit, res gestas invertit, sed etiam* CŒLESTIA ORACULA ADULTERAT, DIVINAS LITERAS FALSO INTERPRETANDO, *suæ libidini inservire cogit.*

Interpretationes sacræ Scripturæ Romanensium quales sint.

Lib. 7. Annal.

Exempla sunt passim obvia cujusmodi sunt hæc ex veteri Testamento Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram. Ergo papa est Dominus omnium hominum* Clement. lib. 5 Minorum. cap. unem sanctam.

1. Ex veteri Testamento.

Deus fecit duo luminaria magna, unum quod

Gen. 1. 16.

quod dixi, alterum quod nocti præ esset. Ergo Deus in Ecclesia universali instituit duas dignitates, Pontificialem & Regalem, quarum illa præsit spiritualibus, hæc carnalibus, rebus ac hominibus, *Et illa hanc tantò superet, quantò sol Lunam, videlicet quad ragesies septies*. Innocent 3. de Obed & Majoritate, & ibi Glossa.

Gen.1.26.27. *Deus creavit hominem juxta imaginem suam Ergo licet imagines habere & adorare.* Adrianus in Epist. quæ legebatur in Concil. Nicæno 2.

Gen.19.9. *Ingressus es ut advena, & judicas? Ergo nullus Clericus subjectus esse debet civili imperio*. 11. Quæst. 1. C. Nullus,

Levit.20.7 *Sancti estote, sicut ego sanctus sum. Ergo minister Ecclesiæ non debet ducere uxorem* cap. proposuisti, Dist. 28.

Num.10.9. Psal.77.15 & Iot 41. .Reg 17. 11. *Moses bis percussit silicē. Sarepta duo ligno collegit. Ergo lignum crucis est adorandum & lapides*, Abbas Cluniacensis.

1Act.2.33 Psal. 8. decantatur dominium, quod Christo homini ad dextram Dei exaltato communicatum sit. Hunc Psalmum verò Romanensis Ecclesia inprimis Antonius Archiepiscopus Florentinus sic explicat: *Deus omnia subjicit pedibus ejus, hoc est, Pontificis Romani Oves, id est, Christianos, boves, id est Judæos & Hæreticos, pecora campi, hoc est, Paganos vel Ethnicos, pisces maris, id est, animas in purgatorio, volucres cœli, hoc est, animas beatorum, Angelorum bonorum & malorū quia in multis major est illis*. parte 3. tit, 22. ca. 5. § . 1.

Psal. 81.6. *Vos Dii estis. Ergo non debet conciliū convocari sine auctoritate Papæ.* Dist 17. cap. Synodum.

Psal.99.6. *Moses & Aaron inter Sacerdotes. Ergo omnes Ecclesiastici reguntur auctoritate Episcopi Romani*. Dist. 22. c. Sacrosancta.

Isa.10.3. *Ad quem fugietis pro auxilio & ubi relinquetis gloriam vestram. Ergo Romana Ecclesia est Caput & auxilium omnium, & debet omnes judicare neque debet à quoquam judicari*. 9. Quæst. 3. C. Aliorū hominū.

Domini sunt Cardines terræ, & posuit super eos orbem Cardinalatus. Hinc ordo Cardinalium à Deo antiquissimus est, inquit And. Barbatius. 1.Reg.18.

Ecce constitui te hodie super gentes, ut evellas & destruas Ergo omnes Reges & Monarchæ sunt Vasalli Romani Pontificis, & ipse potest extollere quem vult. & deprimere quem vult. De Majoritate C. Solitæ. Jer.1.10.

Contribulasti capita Draconū in Aquis. hoc est, aqua lustrali à sacerdotibus aspersa dæmones fugantur & expelluntur. Discip. Temp. serm. 110. Psal.74.15.

JAM ex Novo Testamento hæc Pontificiæ interpretationis Scripturarum lepidæ, sed omnino ab illarum sensu alienæ specimina habetote. 2. Ex N.T.

Jesus docebat tanquam habens auctoritatem. Ergo Papæ Romani sunt Domini suorum decretorum, & possunt Canonibus obedire, vel illos infringere. 25. Quæst. 2. cap. Ideo permittente. Math.7.28

Faciam te Piscatorem hominum. Ergo Papa superioritatem habet in omnes homines & potestatem Regibus atque Imperatoribus pro libitu imperandi & praecipiendi, eos citandi, confirmandi & dejiciendi. Cardinalis Reginaldus Polus Papæ vicarius in lib. de Concil. Trident. Math.4.19

Christus curavit manum Sabbatho. Ergo Papa Romanus nullis legibus tenetur. 25 Q. 2. C. Ideo permittente. Math.12.10.

Tu es Petrus. Ergo Papa Romanus est Monarcha Ecclesiæ Catholicæ & potest omnes homines judicare, ipse autem à nemine judicari debet. Bellarm de pontifi. Rom. lib. 1. cap. 11 & 12. Et 9. Quæst. 3. cap, Aliorum hominum. Math.17.18.

Mitto

Math.17. 27. *Mitte Hamum. Ergo Papa omnibus hominibus in jurisdictione praeest.*

Math.19. 6. *Quos Deus conjunxit homo non separet. Ergo nemo in aliam Ecclesiam ab una sine auctoritate Papa debet transferri, licet id Ecclesia utile sit,* De Translationibus C. quãto personam, & C. licet.

Math. 28. 18. *Christo data est omnis potestas in cœlo & in terra. Ergo summus Pontifex, qui ejus vicarius est, habet eandem potestatem:* De Majorit. cap. unam sanctam, & in glossa. Hinc Papa in nocte Nativitatis Domini benedicit ensem, quem postea dat alicui Principi in signum infinitæ potentię Papæ collatæ, juxta illud: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Ceremoniale Pontificial. lib. 1. tit. 7.

Luc.22. 38. *Ecce duo gladii.* Hoc est, *Pontifex Romanus habet potestatem spiritualis & civilis Monarchia, jurisdictionem fori & poli, in Ecclesia & Republica.* De judiciis cap. novit. Et Bonifacius VIII. in extravag.

Joh.18.11. Math.26. 52. *Recondo gladium tuum. Ergo Papa habet cœlestis & terrestris imperii potestatem.* Clement. de Majorit. C. solitæ. Item: Utere gladio tum spirituali, tum materiali & temporali. Idem in Extran. lib. 1. tit 8. Unam sanctam. Dicit enim: *Qui in Patri potestate temporalem gladium esse negat, malè verbum attendit Domini proferentis: Converte gladium tuum in vaginam.*

Joh.21.16. *Petre, pasce oves meas. Hoc est, Pontifex* Romane, calca pedib. tuis oves meas: Id est, colla Imperatorum, Regum, Principum. Dejice eos imperiis, debella eos, ex ipsorum humeris gladiũ, census, regna, vectigalia & regna eorũ cape & rape ad te, & tu ipsorum perpetua amictus, gladioque cinctus sis, ipse Papa Cæsar. Vel ut Bellarminus Cardinalis sanè minùs bellè explicat: *Bis inquirens Christus dixit, Pasce agnos meos, & semel pasce oves meas. Commisit itaque Dominus Petro curam agnorum, id est populi Judaici: & agnorum, id est, populi Gentilis: & ovium, id est, eorum qui agnos istos pepepererunt, qui sunt Apostoli & Episcopi.* Lib. 1. de Pontifice Rom. c. 16.

Christus Petro in linteamine ostendit omnis generis animalia. Id est, *Ecclesia Romana omnes alias Ecclesias continet.* Papa Nicol. epist. ad Michaelem Imperatorem. Act.10.11. 12.13.

Macta Petre & manduca. Hoc est, *Pontifex est caput Ecclesia, & sibi non obtemperante sponte, potest gladio cogere vel occidere.* Bellarminus de Pontifice Romano cap: 22. Col. 685. At licet capitis sit comedere, & cibum in ventrem trajicere: non tamen probatur inde Petrum esse caput, sed habere os, ut possit comedere. Neque probari potest, Petrum debuisse oves Christi mactare aut devorare: sed pascere, 1. docere pabulo verbi divini. Aut si dicãtur capipita Ecclesiæ Pontifices, sunt capita non quales habent pastores, sed qualia habent lupi, qui agnos Christi lacerant, laniant & vorant, contra dictum Math. 5. 5. Act.10.13.

Petro duc in altum. Hoc est, *vade Romam, & tecum tuis transfer ad urbem, qua dominium habet super omnes gentes, & ibi retia laxate in capturam regnorum, investiturarum, vectigalium, &c.* Innocent. III. serm. 2. in Festo Petri. Luc.5.4.

Non abscondi debet lucerna sub modio, sed poni super candelabrum. Id est, *sanctuli, qui regnum Pontificum propagarunt & propugnarunt, inter divos ascribendi, & auctoritate Apostolica canonizandi, ut adorentur, eorùmque dies anniversarius fiat, publicè &* Math.5.15.

solenniter celebratur. Eugenius Papa in epistola ad Egbertũ Bambergensem.

Luc 22.19. 1. Cor. 11. 24. *Hoc facite in mei commemorationem.* Hoc est, *consecro vos sacerdotes in creatores creatorũ, ut in manibus vestris, velut in virginis utero Filius Dei incarnatur corpus ejus quotidie à vobis pro peccatis vivorum & mortuorum offeratur, super altari modo incruento mactatur & per manum Angeli ad Deum per orbes cœlestes transmittatur.* Gabriel Biel lect. 4. super Canonem Missæ. Cõcilium Tridentinum sess 21. cap. 1. Catechismus Romanus pag. 409.

Joh 7.38. *Filius hominis venit facere voluntatem Patris. Ergo non licet Christianis discedere à placitis Pontificis Romani, aut voluntate matris Ecclesiæ Romanæ.* Calixtus II. dist. 12. cap. Non decet.

Rom. 8. 8. 1. Cor. 7. 2. 3. 4. 5. *Qui in carne sunt Deo placere nõ possunt,* Id est. *sacerdotes qui honestè in conjugio vivunt, & debitam uxori benevolentiam exolvunt, grandi se possunt peccato, nec fas est eos ad officia Ecclesiæ admitti.* Siricius Papa dist 82.

Joh. 11. 44. *Lazarus postquam resuscitatus fuit à Christo indiguit solvi. Ergo nisi quis Ecclesiæ ministris confiteatur, etiamsi sint peccata à Deo remissa, ex obedientia sua damnatur.* Haymo in Psalm. 31. Bellarm. de Sacramento pœnitentiæ lib 3. cap. 3.

1. Cor. 2. 15. *Spiritualis dijudicat omnia. Ergo omnes homines subjecti sunt imperio Papæ, ille autẽ nullius imperio tenetur.* De Majorit. C. Unam sanctam.

Rom. 1. 9. *Testis est mihi Deus, quod indesinenter meminerim vestri. Ergo Romana Ecclesia est omnium Ecclesiarum prima. Reliquas autem omnes Ecclesias oportet Romanæ esse subditas.* Dist. 22. C. Sacrosanctam, & ibi Glossa.

1. Cor 7. 5. *Ne fraudate alius alium, nisi si quid ex cõsensu ad tempus, ut vacetis jejunio, & precibus, & rursum simul convenite. Ergo sacerdotes non debent ducere uxores.* Dist. 82. cap. proposuisti.

Apostolus propriis manibus victum quæsivit, ne Ecclesiis esset onerosus. Igitur Archiepiscopus quadraginta curribus sive rhedis in comitatu, quando Ecclesiam visitat, sit contentus. Alexander Papa 3. in Concilio Lateranensi 3. cap. 4. 1. Thess. 1 7. & 3. 9. 10.

Subjecti estote cuivis ordinationi humanæ. Ergo omnes reges & principes Papæ subjecti esse debent. De Majorit. C. omnes. 1. Pet. 2. 13.

Christus Petrum inter fluctus ambulentẽ sustentavit, & Paulum in naufragio servavit. Ergo illorum meritis salutem & victoriam hominibus Deus impartitur. Nam Leo 6. ut in vita ejus Platina scribit, sic oravit: *Deus, cujus dextra B. Petrum influctibus ambulantem, ne mergeretur, erexit, & coapostolum ejus Paulum tertiò naufragantem de profundo pelagi liberavit, exaudi propitius & concede, ut amborum* MERITIS *horum fidelium tuorum brachia contra inimicos Ecclesiæ dimicantia, omnipotentia tua corroborentur & convalescant, ut de recepto triumpho nomen sanctum tuum in cunctis gentibus gloriosum appareat.* Luc. 5. Act. 17 & 28.

De veneratione sanctorum Costerus in Enchiridio dicit: *Eandem potestatem accipiunt à Deo statim in morte sancti in cœlo, quam ipse Christus accepit à Patre suo Psalm. 2. promissam: Dabo tibi gentes hæreditatem, &c. Datur itaque sanctis auctoritas impios cogendi, cohibendi, puniendi, & ex ipsorum manibus pios eripiendi.*

De MARIA virgine habet Mariale lib. 6. cap. 3 sic: *Maria virgo est cœlestis regni* REGINA, *ubi* PLENARIAM *habet potestatem quicquid voluerit imperandi. Ideo potest verè dicere cum Filio: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Math. 28. 18.

Quin

Quin ipsum REDEMPTIONIS opus non verentur impudentes & insulsi illi sacrarũ literarum interpretes ineptis & contortis suis ac falsis earum explicationibus MARIÆ ascribere. Sic enim Mariale lib.1. cap.3. *Fuit Dominus*, ait, *cum Maria, & ipsa cum* DOMINO. IN EODEM LABORE *& in eodem* OPERE REDEMPTIONIS. *Mater enim misericordiæ adjuvit Patrem misericordiarum* IN OPERE NOSTRÆ SALUTIS. *Unde prædictum est de prima muliere: Non est bonum hominem esse solum, faciamus illi adjutorium. Quid est ergo, quod Dominus dicit Isaia 63: Torcular calcavi solus, & de gentibus non est* VIR *mecum? Verum est Domine quod non est* VIR *tecum, sed mulier una tecum est, quæ omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, suscepit in corde.*

Gen.21.8.

Prov.18.10. Et lib.1. cap.2. *Dicit Salomon, qui parum noverat de Maria: Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum confugiet justus & exaltabitur. Nobis autem dicendum*: TURRIS *fortissima nomen* DOMINÆ, *ad ipsam confugiet peccator, &* SALVABITUR. Ratio subjungitur: *Quia* NOMEN MARIÆ *est* MELLITUM *& suave*, CHRISTUS *autem est vir* AUSTERUS *&* JESUS *nomen* SUPERUM *ac potens nimium.*

Quid plura? Quicquid de Christo filio Dei unico promisso & præstito SALVATORE, & *vel* apud Mosem de semine mulieris contrituro caput serpentis, *vel* apud Isaiam de radicis Jessæ virgulto, *vel* in canticis canticorum de sponso animarum, *vel* in Psalterio de DOMINO DEO dicitur: totum id Põtificii Mariæ ascribere consueverunt.

Unde patet sanè quàm industrii sint artifices, quamq; gnari interpretes in Scripturis divinis explicandis, & augmentis ex ea fabricandis. Digni à quibus in orbe Pontificiorum omnes ii pendeant, qui mysterium hoc iniquitatis vel apertis oculis videre nolunt. Esse enim eas interpretationes ineptas & falsas, adeo manifestum est, ut non existimemus ullos Pontificios quantumvis perdoctos & Papæ mancipatos, adeò cœcutire, ut earum absurditatem atque ineptias non videant. Aut adeò pudoris oblivisci, & posteritatis judicia contemnere velle, ut has ineptias & mendacia defendere ausint. Nam ex iisdem liquet, Papam & Papistas in Scriptura explicanda errare, ac proinde non fidem in explicationibus mereri, nec Scripturarum explicationẽ ad Papam pertinere.

Sed insuper, ut olim *Scripturam esse solam fidei regulam veteres hæretici noluerunt*, quemadmodum ex Irenæo multis locis & Tertulliano in lib. de præscript. adversus hæreticos constat: ita Papistæ Scripturas *plumbeam & Lesbiam esse regulam affirmant*. Exempli gratiâ, Turrianus lib.1. contra Sadeelem pag. 99. hæc verba habet: *Si Scripturam solam fidei regulam in Ecclesia Christus reliquisset, quid aliud quàm gladium Delphicum haberemus?* Id est, instrumentum esset ad diversos usus accommodabile, & in religionis negotio incertum ac dubium.. Eademque de caussa solius Scripturæ judicium cæteri Pontificii rejiciunt.

3. *Scripturam non esse solam fidei regulam asserentes Papistæ sunt hæretici.*

Censura Coloniensis fol.117. *Sacra Scriptura*, inquit, *in illis ipsis sive dogmatibus, sive præceptis, quæ continet & proponit, est veluti* NASUS CEREUS, *non præbens certam aliquam & immotam sententiam, sed quæ in quamvis interpretationem flecti potest.*

Pighius de Ecclesiastica Hierarchia cap. 4. *Instar nasi cerei*, inquit, *se variè trahi Scriptura sacra, & qualibet expositione eludi facilè permittit.*

Et instar vaginæ est, inquit Costerus in Enchiridio de Scriptura, *quæ gladium quemvis admittit, non modò chalibem, sed etiam æreum, plumbeum, &c.*

Imò est ad tempus adoptata & variè intelligitur pro varietate temporum & rituũ, quibus mutatis, Scripturæ sensus etiam mutatur. Nicolaus Cusanus in epistola ad Bohemos.

Lib. 4. de verbo Dei cap. 4. deinceps.

Hinc Bellarminus & reliqui eò omnes suas vires applicant, ut obtinere possint, supremum & infallibilem Scripturæ interpretem, seu controversiarum judicem, non esse IPSAM SCRIPTURAM, aut Spiritum sanctum in ea loquentem, sed vel Ecclesiam, vel Concilium, vel denique Pontificẽ Romanum. Et quàm protervè ac obfirmatè hanc sententiam tueantur, proximo colloquio Ratisbonẽsi, quod Anno 1602. habitum est, Theologi à Papistarum partibus stantes, omni pudore absterso ostenderunt.

Sed 1. inde manifestè apparet, apud papistas Scripturas interpretari, esse Scripturas calumniari & ludificari. 2. Eos sese hac in re clarè hæreticos veteribus similes, imò pejores ostendere. Antiquorum enim hæreticorum cultus tam abjectè & impiè de Scriptura sacra est loquutus, ac pontificii, nec quisquam eas tam impudenter, vanè nequiterque huc illuc contorsit & pervertit, aut se tam superbè supra illas extulit, ac papistæ.

Orthodoxa doctrina de traditionibus, déque interprete & judice, auctoritate, perspicuitate, perfectione & lectione sacræ Scripturæ.

Quid ergo verè Catholicum & orthodxum est de istis circa Scripturam erroribus hæreticis? Quoad traditiones, Romana præsens Ecclesia, non potest Catholicum doctorum Ecclesiæ consensum ostendere pro traditionibus suis in sacra Scriptura non scriptis, quas ad salutem necessarias statuit. *Traditiones non possunt probari.*

Patres enim nomine *Traditionis* aliquando significant doctrinam in Ecclesia primitiva receptam, quam Apostoli tradiderunt. Quæq; in illorum scriptis exprimitur. Cyprianus Epist. 47. ad Pompeiũ: *Si aut in Euangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis aut actibus continetur, ut à quacunque hæresi venientes non baptizentur, sed tantum manus illis imponantur, in pœnitentiam; observetur hæc divina & sancta tradito.*

Aliquando vocant *Traditionem non scriptam*, quæ non Scripturæ quidem verbis, sed sensu tantum continetur. Huc referuntur omnia collecta per analogiam. AUGUSTINUS dicit *Pædobaptismum esse traditionem Apostolicam*: quam tamen probare scripturis lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. Hoc etiam modo baptizatos ab Hæreticis non esse rebaptizandos apud August. Traditio est, non quidem scripta verbis, scripta tamẽ sensu & fũdamẽto. Et proinde Traditio eadẽ poterit esse scripta, & non scripta: scripta sensu, nõ scripta verbis. Traditio apud Vincẽtiũ Lirinẽsem cõtinet sumã doctrinæ Catholicæ fũdatã in Scripturis, *De Gen. ad literam lib. 10. c. 23.*

& non

non continer doctrinam ullam fidei *præter vel extra* nedū *contra* Scripturas: quia dicit Scripturam perfectam, & ad omnia sufficientem fatis superq;. Addit præterea, Catholicæ Ecclesiæ traditionem sequendam in his duntaxat præcipuis quæstionibus quibus totius Catholici dogmatis fundamenta nituntur.

Sæpissimè *Traditionis* nomine consuetudines de rebus liberis, vel ritus Ecclesiastici, id est, præcepta de rebus vel actionibus ad decorum tantùm & politiam, non ad cultum Dei vel articulos fidei pertinentibus, significantur Etsi ad laudem ordinis Ecclesiastici dicuntur *Apostolici* ut simulachra dicuntur à Græcis ad majorem laudem è cœlo esse missa. Et liber Epicuri περὶ κριτηρίου, Διοπετὴς Et Porticus dicitur Salomonis, ex sententia populari: nam eam Herodes ædificavit. Hieronymus Epistola ad Lucinium: *Unaquaque provincia*, ait, *præcepta majorum* LEGES APOSTOLICAS *arbitretur.* Et in Haggæum cap. 1. *Sed & alia*, inquit, *quæ absque auctoritate & testimonio Scripturarum, quasi* TRADITIONE APOSTOLICA *sponte reperiunt atque confingūt, percutit gladius Dei.* Et apud Tertull. de Corona cap. 34. Traditio est ritus quisque, à quocunque ortum habuerit. Nam: *Annon*, inquit, *putas omni fideli licere concipere & constituere? quod Deo congruat, quod disciplina conducat, quod saluti proficiat?* Jejuniā 4. feriæ & parasceves dicitur esse Traditio Apostolorum. Can. Apost. 68, Et apud Epiphan. hæres. Raro tamen vel nunquam fuit à Catholica Ecclesia observatum. Hoc autem indicat, non fuisse verè, sed nomine tenus Apostolicum.

Act. 19.

Quidam è Patribus ad hæreticos inclinantes *Traditionibus non scriptis* indulserunt. *Justinus* in Dialogo cum Triphone errorem Chiliastarum defendit auctoritate Traditionis Apostolicæ. *Irenæus* etiam deceptus fuit traditionibus. Scribit enim, Christum vixisse annos 50. seque hoc ex Traditione Apostolica accepisse. *Clemens* Alexandrinus ait, *Operarios Dei habere agriculturam duplicem, scriptam & non scriptam.* Nec mirum. Hic enim vult Gentes per Philosophiam salvatas. *Irenæus* lit. 3. & *Tertul.* de præscripsione testes sunt, veteres hæreticos in eadem de Traditionibus, ut supra diximus, sententia fuisse, quam etiam refellunt, Eusebius de præparet. Euangelica lib. 2. cap. 8. ait *Apostolos quædam scriptis, quædam sine literis observanda tradidisse, & excellētiora quædam perfectis reservasse*, uti etiam supra annotavimus. Tertullianus, Montanista novis Propheriis & Traditionibus addictus fuit. Ergo pari in honore cum sacris Scripturis Traditiones non scriptas habere, è sententia illorum fluxit, qui ad hæreticos inclinarunt.

Lib. 1. Stromat.

Veteres adhæc sæpe de Traditionibus pugnantia loquuntur. BASILIUS: *Dogmata quædā*, ait, *à nobis observātur, prædicantur, partim ex doctrina scripta, partim ex Traditione Apostolorū in misterio ad nos delata accepimus*, atq; hæc utraq; parē ad pietatē vim habere dicit. Contra tamē alibi Scripturas cōtineri omnia necessaria ad salutē asserit, Regul. Morel. 8. & 26. Epist. 80. CHRYSOSTOMUS in 2. Thess. homil 4. ait. *Si quid dicitur absque Scriptura auditorum cogitatio claudicat,*

Lib. de Spiritu sancto cap. 17.

nunc annuens, nunc hæsitans, & interdum sermonem ut frivolum aversans. Et serm. de Sancto & adorando Spiritu. *Si quem videritis dicentem, Spiritum sanctum habeo & non loquentem Euangelica, sed propria is à seipso loquitur, & non est Spiritus sanctus in ipso.* Et paulo post: *Si quis eorum qui dicuntur habere Spiritum, dicat aliquid à seipso, & non ex Euangeliis, non credite, meam doctrinam sequimini.*

Traditiones quas veteres dicunt Apostolicas, Romana præsens Ecclesia non agnoscit, & si agnoscit, certo de iis tamē nō cōstat, an sint Apostolicæ. Exolevit *trina immersio*, quæ est apud Tert. de Corona c.3. & Basilium, quam etiam concilium Toletanum 4. improbavit. *Stationes* etiam diebus Dominicis à Paschate ad Pentecosten inter precandum observatæ penitus neglectæ jacent aut umbra earum insuspendendis nuptiis à paschate usque ad Pentecosten observatur. Apud Epiphanium Traditio est, *nequis post votum cælibatus contrahat.* Is tamen *permittit illis qui uruntur conjugium*, quia melius esse dicit habere unum peccatum quam plura. Nunc autem tale conjugium apud papistas irritum habetur. Neque solent nunc dierum in Baptismo gustare mel & lac, nec per hebdomatum à Baptismo jejuniam observare, nec jejunium quartæ & sextæ feriæ.

Quibus evincitur omnino, non posse papistas universalem Doctorum Ecclesiæ consensum pro Traditionibus non scriptis demonstrare, quas ad salutem necessarias esse tradunt. Ideo præcisa earum observatio plane magis hæretica est, quam Catholica. Hocque Guilel: Percinsus in Catholico Reformato loco de Traditionibus pag.164, Witakerus de Scriptura sacra quæst 6. Sibrandus Lubertus de Principiis Christianorum dogmatum lib.7. & de Concil. lib.3. pag. 110.111. contra Bellarminum & Papistas copiosius probant, ut & Chemnitius in examine Concilii Tridentini parte 1. de Traditionibus. Quare sententia de Traditionibus dicta.

Convertemus nos nunc ad Scripturæ sacræ auctoritatem, perfectionem & perspicuitatem asserendam contra Hæreticos. Certe *primum* patres & vetusti Scriptores dicunt Canonicam Scripturā principium Theologicæ esse *αὐτόπιστον* per se fide dignum: & proinde per aliud ullum externum principium in demonstrabile. Hocque præter patres antiquos testantur ex ipsis Pontificiis nonnulli præstantissimi. PETRUS de ALLIACO, principia, inquit, Theologica sunt ipsæ sacri canonis veritates. Quin ad ipsas fit ultima resolutio Theologici discursus: & ex iis primò singulæ conclusiones Theologicæ deducuntur. JOACHIM ABBAS in Apocalyp. Voluntas Dei est, inquit, in agnoscenda litera utriusque Testamenti, nihil præter id quod scriptum est, relationibus aliorum aut opinione præsumere.

Sacra & Canonica Scriptura fides authētia.

In 1. sent. q. 1. art. 3.

Deinde docent patres & veteres, sacram Scripturam in omnibus rebus ad salutem necessariis, suiipsius esse certum & infallibilem interpretem, est enim & TEXTUS & GLOSSA.

Scriptura suipsius interpres.

Irenæus l.4 c.63. *Secundùm Scripturas* inquit, *expositio legitima & diligens est, & sine periculo, & sine blasphemia.*

ORIGENES: *Sensus nostri*, ait, *& enarra-*

In Jerem. hom. 1. *narrationes sine iis* (Scripturis sacris) *testibus non habent fidem. Et hoc quod dictum est,* Deut. 19.15. 1.Cor. 13. 1. *in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, magis convenit ad interpretantis probationem quàm ad quorumcunq; hominum munerum, ut firmem verbum intellectus mei, accipiens duos testes, de novo & veteri Testamento, accipiens tres testes de Euangelio de Propheta, de Apostolo. Sic enim stabit omne verbum.*

Homil. 13. in Genes. CHRYSOSTOMUS: *Scriptura*, inquit, *seipsam exponit, & auditorem errare non sinit.*

Idem AUGUSTINUS de doctrina Christi. lib. 2. cap. 6. & 26 28.

CLEMENS epist. 5 & citatur dist. 37. cap. Relatum: *Non enim sensum*, inquit, *extrinsecus alienum & extraneum debetis quærere, & quoquo modo ipsum ex Scriptura authoritate confirmetis, sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis oportet.*

Judex controversiarũ est Christus & Spiritus sanctus in Scripturis loquens. Sic quoad judiciũ infallibile & determinativum de omnibus controversiis fidei docent antiqui, penes personam Christi esse, vel penes Spiritum ejus, quatenus is nobis loquitur in Canonicis Scripturis.

TERTULL. de præscrip. *Sedet ad dextram Dei*, inquit *misit vicarium vim Spiritus sancti, qui credentes agat.*

OPTATUS contra Parmen. lib. 5. *Quærendi sunt*, ait, *judices*. Et post, *In terris de hac re nullum poterit reperiri judicium. de cœlo quærendus est judex. Sed ut quid pulsamus ad cœlum, quum habeamus hic in Euangelio Testamentum? Terrenus Pater quũ se in confinio senserit mortis, timens ne post mortem suam rupta pace litigent fratres, adhibitis testibus voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas. Et si fuerit inter fratres contentio, non itur ad tumulum, sed quæritur testamentum, & qui in tumulo quiescit, tacitis de tabulis loquitur vivus. Is cujus est testamentum, in cœlo est: ergo voluntas ejus velut in testamento, sic in Euangelio inquiratur.*

AUGUSTINUS de nuptiis & concupisc. lib. 2. cap. 33. *Ista controversia*, inquit, *judicem quærit. Judicet ergo Christus, & cui rei mors ejus profuerit, ipse dicat.* Ac post: *Judicet cum illo & Apostolus, quia in Apostolo ipse loquitur Christus.* Et de Grat. & Lib. Arbit. cap. 18. *Sedeat*, inquit, *inter Nos judex Apostolus Johannes.*

Scriptura ipsa veros sui interpretes & controversiarum judices ostendit. Nec deficimur ope & confirmatione ipsius sacræ Scripturæ, quæ non muta & otiosa, sed & diserta & facunda & expedita eadem docet ac tradit. Ostendit enim ipsa Canonica Scriptura, papistas & veteres hæreticos Scripturæ interpretationem ad homines certos & solos referentes, vim facere Spiritui sancto; qui donum hoc interpretationis liberè distribuat, cui velit, 1. Cor. 12. Nam Apostolus ibi de his, quos Spiritus S. liberè pro Dei voluntate imbuat, absq; omni astrictione & cõstrictione indifferenter pronunciat: Spiritualis *dijudicat omnia*. Et 1. Cor. 2. 14. ubi idẽ Apostolus per antithesin opponit inter se hominem carnalẽ seu animalem & spiritualem, de illo, cujusmodi ex Romanensibus Papis, Episcopis, Monachis, Sacrificulis & Doctoribus larvatis sunt plurimi, ait, *quod ea quæ sunt spiritus Dei, non possit percipere, intelligere & dextrè dijudicare: de hoc autem, quod possit.* Accedit testimonium Joh. 1. Epistola c. 2. 27. *Unctio vos docet omnia.* Si docet omnia quid ni etiam doceat verum dijudicare Scripturæ sensum, 1. Johan. 5. 6. *Spiritus est, qui testificatur, Spiritum esse veritatem.* 1 Cor. 2. 1.

Hieronymus in Epistolam ad Galatas: *Spiritus*, inquit, *sancti doctrina est, quæ canonicis literis prodita est, contra quam si quid statuunt Concilia, nefas duco.*

Authoritas Scripturæ.

Authoritatem quoque Scripturæ innuit S. Paulus Ephes. 2. ✝. 20. *Superstructi estis super fundamentum Prophetarum & Apostolorum.* Heb. 4. *Verbum Dei vivum & efficax est*, 1. Pet. 1. ✝. 23. *renati estis nō ex semine intereunte, sed nō intereūte, per sermonē Dei vivi.* 2. Pet. 1. ✝. 19. *Habemus firmiorē sermonē Propheticū, & vos rectè facitis, quod attenditis ei, tanquam lucernæ splendenti in obscuro loco.*

Tertullianus de præscrip. Hæretic. *Nobis vero nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, &c.* Vide lib. 1. cap. 6.

Irenæus l. 3. c. 3. *Apostoli Euangelium tunc præconiaverunt, postea verò per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt,* FUNDAMENTUM ET COLUMNĀ FIDEI *nostræ futuram.*

Perfectio Scripturæ.

De perfectione Scripturæ sacræ Deut: 4. ✝ 2. *Non addetis ad verbum quod ego præcipio vobis, neque diminuetis quicquā ex eo.* Exod. 24. 4. *Scripsit Mose omnia verba Jehovæ.* 2. Cor. 4. ✝. 6. *Discatis supra id, quod scriptum est, non sapere*, 2. Timoth. 3. 15. *Sacræ literæ possunt te sapientem reddere ad salutem per fidē, quæ est in Christo Jesu. Tota Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad doctrinam, &c. ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus.*

Athanasius contra Gentes: *Sufficiunt sancta & divinitus inspirata Scriptura ad omnem instructionem veritatis.*

Hilarius lib. 12. de Trinitate: *Dei sermo & vera sapientia doctrina, quæ loquitur & perfecta & absoluta sunt.*

Chrysostomus in Psal. 95. *Si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat. Verùm ubi è scriptura prodiit testimonium, & loquentis sermonem & audientis animum confirmat.*

Aug. de Doct. Christiana l. 2. c. 9. *In his quæ apertè posita sunt in Scriptura, inveniuntur illa omnia, quæ continēt fidē, moresq; vivendi, spem scilicet & charitatem.* Idem Tractatu in Johannem 49. *Quum multa fecisset Dominus Jesus, non omnia scripta sunt, electa autem sunt quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere visa sunt.*

Perspicuitas Scripturæ sacræ.

De scripturarum vero Propheticarum & Apostolicarum perspicuitate atque interpretatione, docet Deus Deut. 30. ✝. 11. *Mādatum hoc quod ego tibi præcipio hodie, non occultum est à te, neque longinquum est, &c. Sed propinquum est tibi, verbum hoc valde in ore tuo, & in animo tuo, ad faciendum illud.* Psal. 19 9. *Præceptū Jehovæ purum est, illuminans oculos.* Psal. 119. ✝. 105. *Lucerna pedi meo verbum tuum & Lumen semitæ tuæ.* 2. Pet. 1. ✝. 19. *Sermo propheticus si ei attendatis, splendet in obscuro loco.* Annon igitur hæreticum, contra tot & tanta testimonia ac sententias, Scripturæ sacræ authoritatem, perfectionem & perspicuitatem elevare rejicere & negare?

4. *Arcent à lectione Scripturarum plebem Pontificii pro more Hæreticorum.*

Arripiunt tamen Pontificii etiam hanc priscorum hæresin, quod plebem & rudes à lectione Scripturarum arcent. *Basilidiani enim Carpocratiani dogmata sua occultabant*, teste Iræneo lib. 1. cap. 23. & Epiphanio Hæresi 24.

Nos (inquit Basilides) *homines sumus, cæteri omnes canes sunt & sues. Nolite ergo margaritas projicere porcis, aut dare sanctum canibus.*

Ita Pontificii non permittunt Scripturas divinas à vulgo legi, prætendentes, ne porcis margaritæ projiciantur, aut sanctum canibus detur, de

quo Censura Coloniensis post folium 21. multa habet. Ibique percommodè accidit, quod ipse Sorex in primo statim articulo suo se indicio prodit, quæ scilicet caussa sit, cur de regula Christi, hoc est, de sacra Scriptura tam contumeliosè loquantur, & omnes alios ita sentire velint. Hæc enim sunt post interdictam lectionem Scripturæ S. ipsorũ verba: *Populus Ecclesiasten audiat, Euangelium & Epistolam ejus interpretatione discat, audita domis repetat, &c.* Hinc & Biblia sacra prohibent vulgari & vernacula lingua excusa. *Nõ injuria* (inquit Jacobus Gretserus Jesuita contra Simonem Stenium Lomacensem, Academiæ Heidelbergensis Professorem, cap. 1. lib. 5. Apologiæ pro miraculis Ignatii Lojolæ Jesuitarum genitoris) *quid enim rudi vulgo cum Scriptura?* Quasi dicat hypocrita: quid popello cum cœlo & vita æterna? Ad prælatos hæc pertinet. Verum ô formidolosam religionem Pontificiorum, quæ tanto conatu etiam impio & nafario cavet, ne doctrina sua ad regulam Scripturæ sacræ exigatur. Volunt enim illorum Doctores simpliciter à Populo credi, quę ab ipsis proponuntur, nulla habita ratione, an cũ Scriptura S. consentiant, an pugnant, Hac enim ratione vident religionem suam sine magno negotio posse se probare, quæ aliâs periclitaretur, ut turpitudo & vanites ejus, si cum Scriptura cõferretur, appareret. Et hęc est via illa debellandi Lutheranos & Calvinistas compendiaria, quam Pighius quondam Paulo tertio Pontifici monstravit in assertione Ecclesiasticæ Hierarchiæ. *Non esse cum Lutheranis ex Scriptura disputandum: Ex hac enim ratione plus damni, quam commodi hactenus accepisse Pontificiam Ecclesiam; sed simpliciter ponendum esse hoc principium, Quicquid Pontifex Romanus cum sua conjurata caterua decernit, statuit & proponit, statim amplectandum & firmiter credendum esse, sine ulla inquisitione, an consentaneum sit Scriptuptura sacra, an verò repugnans.*

Simon Stenius.

Quod itidem præfractè contra apertum Scripturæ & veteris orthodoxæ Ecclesiæ consilium & præceptum faciant. Ipse enim Dei Filius non modo libertatẽ legendi & pervoluendi Scripturam divinam omnibus ex æquo & sine discrimine concedit, verum etiam gravissimè & clarissime eam mandat, dicens Johan. 5. ℣. 39. *Scrutamini Scripturas, &c.* Et Petrus 2, Epist. 1. 19 *Rectè facitis, attendentes sermoni Prophetico.* Esaiæ 8 ℣. 20. *Ad Legem & ad testimonium* Et Act 17. *Borrhoensibus* laudi datur, nõ solum quod audita in concionibus & explicationibus Scripturæ à Paulo ac Sila domi secum ruminati sint atque animo repetierint, verum multò magis *quod quotidie sint scrutati, an hac ita se haberent.* Ex quo colligitur:

Scripturarum lectionem debere omnibus esse communem.

Si laici Berrhoenses propterea à Spiritu sancto commendantur, quòd scrutarentur Scripturas, an illa, qua à Paulo & Sila dicebantur, ita se haberent: sequitur nostro tẽpore Laicos non peccare, sed rem piã & laulaudendã facere quãdo scrutantur Scriptúras an ita se habeant, qua è concionatoribus & doctoribus dicuntur.

At antecedens verum. Consequens igitur quoque. Contra si Basilidiani & Carpocratiani hæretici habiti sunt, quia fidẽ suam notam esse noluerunt, nec à vulgo legi ac cognósci, aut diligentiùs investigari, passi sunt; sunt etiam Hæretici Papistæ, qui populo fidem car-

bonariam sufficere affirmant, & Scripturas non ab eo, sed à certis tantum, quos in hæresi sua obfirmatos esse sciunt, legi patiuntur.

Unde Johannes Ivellus Satisburiensi Episcopus, postquam in Apologia Anglicanæ Ecclesiæ summum & incredibilem despectum sacræ Scripturæ apud Pontificios cap. 19. & 20. Divisione. 1. commemoravit, & in Responsione pro ea fol. 366 367. refutavit ulterius in Apologiæ cap. 21. Divis. 1. addit: *Tamen quasi hoc parum esset, comburunt etiam sacrosanctas Scripturas ut olim impius rex Aza, aut Antiochus, aut Maximinus, eosq; Hæreticorum libros appellant. Omnioque id v dentur velle facere, quod olim Herodes obtinendæ potentiæ suæ caussa in Judæa fecit. Is n. quũ esset Idumæus alienus à stirpe & sanguine Judæorum, haberi tamen cuperet pro Judæo, quo magis regnum illorũ, quod ab Augusto Cæsare impetraverat, sibi posterisq; suis cõfirmaret, omnes genealogias, quæ apud illos in Archivis ab Abrahamo usque diligenter fuerant asservatæ, & ex quibus facilè nullo errore deprendi posset, è quo quisque genere oriundus esset, jussit incendi & aboleri, videlicet ne quid superesset in posterum, quo ipse notari posset alieni sanguinis. Ita prorsus isti* (Pontificii) *quum omnia sua quasi ab Apostolis aut à Christo tradita velint haberi in pretio, ne quid uspiã interesit, quod hujusmodi somnia & mendacia poss t coarguere, aut incendunt, aut populo intervertunt sacras Scripturas. Rectè sanè & valde in istos appositè scribit Chrysostomus:* Hæretici, *inquit*, claudunt januas veritati. Sciunt enim si illæ pateant, Ecclesiã non fore suam. *Et Theophylactus* Verbũ, *inquit*, Dei est lucerna, ad quam fur deprehenditur. *Et Tertullianus*: Sacra, *inquit*, Scriptura Hæreticorum fraudes & furta convincit. *Cur enim celant, cur supprimunt Euangelium, quod Christus de tecto sonari voluit? Cur illud lumen abdunt sub modium, quod stare oportuit in candelabro? Cur multitudinis imperitia, cæcitat atq; inscitia magis, quam caussæ bonitati confidunt? An putant artes jam suas non videri: aut se nunc, quasi Gygis annulum habeant, posse ambulare inconspicuos? Satis jam omnes vident, quid sit in illo scrinio pectoris Pontificii vel hoc ipsum argumento esse potest, non rectè ab illis non verè agi. Suspecta merito videri debet ea caussa, quæ examen & lucem fugitat. Nam qui male facit, ut Christus ait, quærit tenebras & odit lucem. Animus bene sibi conscius ultro venit in conspectum, ut opera quæ à Deo profecta sunt, videri possint. Illi autẽ non usque adeo cæci sunt, quin ut hoc satis videant, si Scripturæ semel obtineant, actum esse statim de regno suo.* U*tque olim ajunt idola dæmonum à quibus omnia tunc oracula petebatur, repẽtè obmutuisse ad aspectum Christi, quũ ille venisset in terras: ita nũc omnes artes suas ad aspectũ Euangelii statim esse ruituras. Antichristus n. nõ abjicitur, nisi claritate adventus Christi.* 2. T. 2. 8. Quib. oggannuit quidẽ Hardingus: sed quã frivolè, absurdè, jejunè & calvè, vide pro Apologia Ecclesiæ Anglicanæ Ivelli ad Harding. Responsionem, fol. 368. 369 370 371. 372. &c.

Eusib. lib. 1. cap. 7.

Amb in Luc. l. 3. c. 3.

In opere imperf.

Joh. 3.

CAP. IV.

Etiam contra sacrosanctam Trinitatem Pontificios sequi hæreses, & Manichæi hæresin, quâ duo rerum principia statuuntur, inter eos non obliteratam esse.

QUomodo Pontificii nobis falsò Arianismum objicerint, quum ipsi

Arriana hæresis rea esse Papistas.

ipsi in nonnullis eum foveant, parte priore lib.3.cap.1. explicatum est: at nunc ipsos eo teneri pluribus convincemus. Nam Ariani turpissimum & blasphemia plenissimum hæreseos decus conceperunt, quod in dogmate de *sacrosancta Trinitate* aliter quàm orthodoxi senserunt, ac nimirum *alteram personam, nempe Dei Filium, Dominum nostrum Jesum Christum, ex ea sustulerunt, imò Filium infra Patrem collocarunt.* Ruffinus Ecclesiast.hist.lib.1.cap.5. Socrates lib.1.cap.5.

1. Filius Dei Patre minorem faciunt.

At non secus sentire atque docere Pontificios, ex eorum doctrina necessariò colligitur & consequitur. Nam si filius infra matrem collocatur: collocabitur multò magis infra Patrem: quum mater Christi infra Patrem, ut creatura infra creatorem, necessariò piaque collocetur. At dum publicè in Papatu ad sanctam virginem Mariam Christi matrem accinitur: *Roga Patrem: jube natum: jure matris impera*: filius collocatur infra matrem, quum non jubeat nisi superior inferiori, & non imperet nisi in superiori gradu collocaretur, ei qui in inferiori est. Ergo necessariò consequitur, Papam & Papicolas filium infra matrem collocare, ac proinde etiam infra Patrem, & hac in parte ipso Arrio magis blasphemos & hæreticos esse. Et n. plana sunt & perspicua verba: *Roga Patrem: jube natum: jure matris impera.* Si mater jubet, si imperat, idque jure suo, filius matri subjicitur, eique parere fingitur. Est verò hoc contra doctrinam ipsius beatæ virginis, matris Domini Jesu Christi, quæ quum filium monens: *Vinum non habent*, tam acrem repulsam passa esset,

Joh.2.4.

ut diceretur sibi à filio Jesu: *Quid mihi tecum mulier? nondum venit hora mea:* quievit inde ab imperio in eum, & ut Deum reverita & colens, dixit ministris & nobis omnibus: *Quodcunque dixerit vobis* (filius meus Jesus) *facite.* Num non igitur nunc multò magis ab omnibus hujus vitæ molestiis & oneribus liberata, ac fruens perfectissima beatitudine in cœlis, ab omni in filium imperio abstinet ac conquiescit, eique cui omnis potestas in cœlo & in terra data est, se subditam præbet? Nam Apoc.14. ℣.13. dicitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Etiam dicit Spiritus, quoniam requiescunt à laboribus suis: & opera eorum sequuntur eos.* Siquidem quod in hac vita illa ex parte tantùm cognovit, id nunc perfectè scit, nimium Christum suum filium esse θεάνθρωπον, Deum ac hominem, sese putam tantùm hominem, quæ ei inferior ac subdita sit. Vide infrà etiam Arianismum Liberii Papæ & Felicis pontificis hujus nominis 2. & Leonis 1. lib.3.cap.4.& 5.

Deinde addunt papistæ Trinitati etiam quartam personã, nempe ipsam D. Mariam θεοτόκον, Filii Dei genetricem ac matrem. Scribunt enim, legitimum Baptismum esse, si quis baptizet in hunc modum: *Baptizo te in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, & Beatæ Virginis Mariæ.* Quod patet ex novo Sacerdotali in parte 1. pag.25. Annon ergo hoc est tollere Trinitatem, & novam hæresin contra sanum & orthodoxum dogma de ea sequi? Hocque tantò magis, quòd Concilium Tridẽtinum nominatim pro hæreticis sancit censendos, quotquot non integrã & inviolatam Trinitatem juxta Con-

2. Quartã personam Trinitati addunt Pontificii.

cilii Niceni primi Symbolum agnoscant, ac profiteantur, ut & libro 1. cap 2. atque 8. declaravimus. Adhæc edictum Cæsareum eos, qui non juxta Apostolicam disciplinam Euangelicámque doctrinam, cui religio & Symbolum Damasi papæ consentit, patris & filii & Spiritus sancti unam Deitatem sub pari majestate & sub pia Trinitate credant, disertè *æstimat & judicat dementes vesanósque, ac hæretici dogmatis infamiā jubet sustinere*, &c. Ubi in Symbolo Damasi inprimis clarè dicitur: *Nec est prorsus aliquis in Trinitate gradus: nihil quod inferius superiúsve dici possit*, &c. Huc referenda sunt ea, quibus infrà in Pelagianismo probatur, Papistas sanctam Mariam palàm & publicè pro DEA habere, & in loco ac potentia Dei constituere. Quod si est, ut esse certè aliter non potest, cur non hæretici sint Pontificii, qui filium Dei & Patre & Matre inferiorem faciunt, & gradum in Trinitate quartum constituunt, in quo Mater filii collocatur, ut disertè quatuor personæ nominentur, sicque abrogata Trinitate, vel persona una auctior facta, *quaternitas* constituatur? Minusque hoc potest excusari, & non communis Papistarum sententia dici, quum in omni liturgia & invocatione, cultuque religioso Maria Deo Patri, Filio & Spiritui sancto conjungatur, & & plus sæpè ejus quàm Christi Filii in illo mentio fiat, quin & formulæ Baptismi inserta hunc jam dignitatis gradum obtineat, ut homines religioni Christianæ sub ejus nomine, sicut & sub Dei Patris, Filii ac Spiritus sancti, initientur & consecrentur, quasi parem Deitatis majestatem ipsa ceu quarta persona teneat. Præterea quid obsecro hoc aliud est, quam creaturā in ipsissimi Dei throno collocare? cum Ethnicis, repudiata sacratissimæ Triadis unitate, quandam Deorum multitudinem invehere? uni denique θεανθρώπῳ Christo, alium quoque in θεανθρωπίᾳ adjungere, & cum Christo cōmittere? At num Pontificii Deo rationem poterunt reddere, se primum præceptum Decalogi, quo mandat: *Non habebis Deos alienos coram me*, sic nō transgressos esse & violasse?

Eôdem pertinet, quod in dogmate de Deitate, nonnihil de duobus rerum principiis ex Manichæi hæresi inter Pontificios redolet. Nam *Manichæos duo principia statuisse*, ex Epiphanio & Augustino, aliisque veterum constat. Quod licet ab omnibus Papistis non teneatur: tamen Augustinus Steuchus in sua Cosmopœja princip. Genes. simile quiddam habet. Nam scribit: *Cœlum Empyræum fuisse Deo coæternum.* Quod si verum sit, tum certè cœlum Empyræum Deus fuit. Etenim quod non habuit principium, Deus est. Et sic duo Dii erunt. Hac igitur in re Steuchus est hæreticus, ut ampliore demōstratione non sit opus. *3. Manichæi hæresis de duobus principiis à Steucho revocata.*

Nos contendentium Manichæorum, duo esse diversa & æqualia, paríque potestatis rerum principia, nempe Deum & diabolum, argumentum præcipuum paucis videbimus, deinceps refutabimus. Nam ajunt Manichæi: *Omnia diversa effecta habent diversa principia & caussas diversas. At bonum & malum sunt diversa effecta. Ergo bonum & malum habent diversa principia & caussas.* Sed in horum argumentatione Ma- *Duo minimè, sed unum est rerum principium.*

JOR veritate non constat. Nam possunt etiam diversi effectus esse tamen ejusdem principii & caussæ, veluti idē sol & obdurat lutum & emolliit etiam. Itaque major hæc propositio vera esse planè neganda est. Deinde blasphemiam in Deum committunt Manichæi summam. Nam diabolis tribuūt blasphemè divinitatem. Adhæc contrarii sunt sacræ Scripturæ, quæ dicit: *Omnia Deum creavisse, & quæ creavit, initio bona fuisse.* Malum igitur ex accedente & corruptione naturæ est, seu malitiâ & invidiâ Satanæ ac hominis legem Dei transgredientis invectum.

Gen. 1. 13.

Huc non minùs facit, quod Bellarminus apertè aliquot sententias S S. Trinitati adversas effutit. Lib. 2. de Christo cap. 26. negat *repugnare uni personæ, ut sit filius & Spiritus sanctus.* Quod aut tollit, aut necessariam esse negat personarum in S S. Trinitate vel Deitate distinctionem. Idem dicit: *Sanctos participare Dei naturam.* Unde sequitur divinam naturam partibilem esse & communicabilem, pluresque quam tres Divinitatis vel Deitatis personas existere.

Lib. de Monach. c. 4.

Scriptura igitur manifestè hæc oppugnat, Math 3. 16. Joh. 1 32. 2. Cor. 13. 13. & 1. Cor. 8. 6. Patribus eadem non probantur. IGNATIUS: *Unus est*, ait, *unigenitus Deus*, PATER, *& unus unigenitus* FILIUS, *Deus, verbum & homo, & unus Paracletus Spiritus sanctus.*

Ad Philad.

JUSTINUS: *Unus ergo*, inquit, *revera est universitatis hujus* DEUS, *qui in Patre & Filio & Spiritu sancto cognoscitur.*

In expos. Fidei.

E sanctus AMBROSIUS: *Professio fidei est*, inquit, *ut Patrem Deum & Filium ejus unigenitum & Spiritum sanctum veneremur. Hanc Trinitatem* UNIUS *esse* SUBSTANTIÆ, *majestatis, divinitatis. In hoc nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptisare nos, quemadmodum scriptum est*, Math. 28. 19.

Lib. 6. Epist. 40.

Refer huc ea etiam, quæ superiore lib. 1. c. 25. sub finem ex Papisticorum Doctorum scriptis allegamus, & eos illis perperam ac hæreticè de sancta Triade & sentire, & loqui, & docere convincimus.

CAP. V.

In constituendis pro Christo aliis intercessoribus, atque in invocatione Angelorum & Sanctorum peragenda, Papistas amplexos esse veterum hæreses.

QUOAD cultum religiosum invocationis & intercessionem pro nobis, sicut veteres negarunt, esse hæresin, si Christus solus Ecclesiæ mediator, Intercessor, Patronus atq; Advocatus proponitur: ita disertè ac liberè *heresin* esse clamavēre, si alii pro eo ac præter eū intercessores, mediatores, patroni & advocati constituantur. Nā sanctus Augustinus in sancti Johannis 1. epistol. cap. 2. ✝. 1. ubi ille ait: *Advocatum habemus Jesum Christum*, &c. ad hunc modum scribit Tractatu 1. *Non dixit Johannes habetis, nec me habetis, dixit, nec ipsum Christum habetis dixit: sed & Christum posuit, non* SE, *&* HABEMUS *dixit, non habetis. Maluit* SE *ponere in numero peccatorum, ut haberet advocatum Christum: quàm ponere* SE *pro Christo advocatum, & inveniri inter damnandos superbus. Fratres*, JESUM CHRISTUM JUSTUM IPSUM HABEMUS ADVO-

In Invocatione Dei & cōstituēdo intercessore Papistas esse hereticos.

catum ad Patrem: *Ipse propitiatio est peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, hæresin non fecit: hoc qui tenuit, schisma non fecit. Unde enim facta sunt schismata? Quum dicunt homines, nos justi sumus: quum dicunt homines, nos sanctificamus immundos, nos justificamus impios, nos petimus, nos impetramus.* En divo Augustino causa est omnis hæreseos & schismatis, imò hæresis ac schisma, si hominibus aliquod meritum, aut opus mediationis & intercessionis ac patrocinii pro nobis apud Deum tribuitur. Atqui Papistæ sanctos cœlites pro nostris mediatoribus, intercessoribus, patronis & advocatis habent, atque usurpant loco Christi, cui uni hoc munus est commissum, Math. 18. 19. & 28. 18. Rom. 5. 2. & 8. 34. Heb. 4. 14. 15. &c. Deinde sanctos etiam pro Deo & loco Dei religioso invocationis & adorationis cultu prosequuntur, invocant atque implorant, hocque modo inprimis strenuè antiquos hæreticos imitantur.

2. *Angelicos & Cainos Papistæ imitantur.*

Nam *Angelici* Angelos olim colebant, & adorationis honore prosequebantur, authore Augustino in libro de hæresi, ad quod vult Deum, hæresi 93. Quod ipsum etiam Pontificii faciunt.

Caini.

Idem de *Cainis* scribit Epiphanius hæres. 38. Et Theodoretus in compendio hæreticarum fabularum *Cainis* hoc tribuit, *quod Angeli alicujus nomen invocent.* Annón idem fit à Pontificiis? Senserunt profectò ipsi se idem facere, sicque suspicionem hæreseos incurrere, ac proinde magna contentione hanc labem eluere sunt moliti.

Andradyliis cum Theodoreto.

Nam Jacobus Payva Andradius Lusitanus, qui in Tridentino Concilio nō minimam personam sustinuit, quasi falsi Theodoretum convicturus, & à se & Papicolis crimen hujus hæreseos depulsurus, non veritus est contra scribere: *Veterem Cainam hæresin esse, invocationem sanctorum & Angelorum improbare.* At quid est probata antiquorum scripta corrumpere, & bene dicta evertere, si hoc non est? Nam & Epiphanius (ut dictum) eosdem Cainos hanc ob causam, quod Angelis adorationis & invocationis honorem deferrent, hæreticos appellat, & ipsum *Jus Canonicum* dist. 24. quæst. 3. in Catalogo hæreticorum, *Angelos colere*, expresse *hæresin esse* dicit. *Jus Canonicum de cultu Angelorum.* Et num Apostolus Paulus in epistola ad Colossenses, cap. 2. studium invocandi Angelos improbans & vetans, Cainus & Hæreticus? Num Theodoretus ejus tam pius, doctus & fidus interpres? qui in Commentariis ad epistolas Pauli, quæ inter γνήσια & genuina ipsius opera Nicephorus recenset, ipsum fundamentum & nervos invocationis sanctorum atque Angelorum ex Scriptura subvertit, & superstitionem illam authoritate Synodorū piarum damnatam scribit. Inprimis explicans illud Pauli Coloss. 2. ℣. 18. *In humilitate & religione Angelorum*, sive ut aliorum habet interpretatio, *ex subjectione & cultu Angelorum*, scribit in hunc modum: *Qui legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes fuisse legem per eos datam. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Quocirca Synodus quoque, quæ convenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit,* Ne precarentur Angelos. *Et in hodiernum usque diem licet videre apud illos & eorum finitimos,* Oratoria *sancti Michaelis*

chaelis, Illi ergo hoc consulebant, utique humanitate utentes, dicentes universorum Deũ nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri, & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare. Et hoc est, quod Paulus dicit: In humilitate & cultu Angelorum. Hoc autem in iis, quæ non vidit, incedens, pro eo, quod est propriis rationibus & cogitatis utens. Idem repetit in tertio capite, ac adjicit: *Præcepit Paulus, ut Deo Patri gratiarum actionem emittant per Christum,* NON PER ANGELOS. *Hanc enim legem sequens Laodicena Synodus, & volens veteri illi morbo mederi, cavit ne precarentur* ANGELOS, *& ne relinquerent* CHRISTUM. Hæc Theodoretus. Num ideo est hæreticus? Num Epiphanius? Num Synodi Laodicenæ Patres? qui legem orthodoxam & sacris literis per omnia consentaneam, adversus invocationem Angelorum idololatricam tulerunt? Factum est hoc circa annum Domini 368. sub tempora Basilii & Nazianzeni, extatque lex illa canone ejus Synodi trigesimo quinto his verbis: *Non oportet Christianus derelicta Ecclesia abire, & ad Angelos idololatria abominãda congregationes facere, quæ omnia interdicta sunt. Quicunque autem inventus fuerit, occulta huic idololatriæ vacans, Anathema sit: quoniam derelinquens Dominum nostrũ Jesum Christum Filium Dei, accessit ad idola.*

Laodicena Synodi lex contra Angelorum invocationẽ.

Hîc rursus itaque Pontificii se constrictos conspicati, intolerabili fraude & audacia usi sunt. Ne enim sese hujus hæresis & idololatriæ reos esse hoc Canone arguerentur, in eo vocem *Angelos* depravarunt, & transformarũt in *Angulos*, ut est apud Bartholomæum Canarizam de Conciliis pagina 90. b. Altera igitur editio integrior & menti Canonis convenientior ac propior, *Angelos* habet, eãque & Epiphanius & Theodoretus illustre ac fidele tam suffragium quàm testimonium ferunt. Quamobrem quomodo hîc ringantur & sese torqueant Pontificii, dum more Cainaris & Angelicorum Angelos invocant, ac divino adorationis honore afficiunt, hæretici hac in re vetustis illis simillimi erunt.

Fraus Papistica.

Addunt verò cultum quoque B. Mariæ virginis & idololatricum & hæreticum. Nam *Collyridiani Mariam colebant & adorabant*, quos propterea Epiphanius hæres. 79. inter hæreticos numerat, & idololatras vocat, & Mariam à nullo homine colendam esse, disertè scribit. Adhæc *Petrus Gnapheus* hæreseos damnatus est propter doctrinam, *quâ B. virginem Mariam invocandam esse tradidit*, Nicephoro lib. 15. auctore. Pontificii verò Mariam colunt & adorant, eique ὑπερδουλείαν deberi docent. Nam Mariale libro 1. cap 2. *Peccator, inquit, es, ad Mariam cõfugias. Ejus nomen solum ad medendum sufficit.* In psalterio Mariano Venetiis anno 1554 excuso, singula Christi beneficia Mariæ vendicantur, & sic omnes docentur loco Dei ac Christi ad eam orare. *In te* DOMINA *speravi, non confundar in æternum. In gratiam tuam suscipe me: inclina ad me aurem tuam, & lætifica me in mœrore meo. Tu es* FORTITUDO MEA & PERFUGIUM MEUM, CÕSOLATIO *mea, &* PROTECTIO *mea. Ad te clamavi, quum tribularetur cor meum & exaudisti me de vertice collium æternorum. In manus tuas* DOMINA *commendo spiritum meum, totãm vitam meam & diem ultimum*

1. Mariæ virgini cultum more veterum hæreticorum deferunt Papistæ.

timum meum. Disciplina de Sanctis ad Mariam sic precatur.

MARIA *mater gratiæ*,
MATER *misericordiæ*.
Tu *nos ab hoste protege*,
Nos *in hora mortis suscipe*.

Et nomen Mariæ sic à Pontificiis vulgo ἀναγραμματίζεται:

M *ediatrix*.
A *uxiliatrix*.
R *econciliatrix*.
I *ustificatrix*.
A *duocatrix*.

Potius etiam ad Mariam, quàm ad Christum accedere jubentur omnes in angustia constituti, Mariali l. 1. cap. 2 Quibus adde ex superiori cap. 3. ex Marial. lib. 6. cap. 3. ac lib. 1. cap. 3. adduximus.

Orthodoxa doctrina. Obtemperandum nobis igitur est sacris literis & purioribus veterum Patrum sententiis, quo facto, hæresin hanc in intercessore alio pro Christo constituendo, & invocatione ad Angelos Sanctos, ac inprimis ad B. Mariã dirigendo, prorsus effugiemus. Docent enim illæ, solum & unum Christum non modo esse mediatorem expiationis, verũ etiã advocatum & intercessorẽ orationis, qui intercedat & appareat vultui Dei pro nobis. Quapropter in Lege Deus instituerat, ut solus Sacerdos, qui typum Christi gessit, sanctuarium ingrediens, in humeris nomina duodecim tribuum Israel & totidem ante pectus pretiosissimos lapides gestaret, populus autem procul staret in atrio, atq; inde vota sua cum illo conjungeret. Ipseq; Christus hac de caussa dicit Johan. 14. ✝. 6 *Ego sum via, veritas & vita: nullus potest venire ad Patrem, nisi per me*. Et versu 13. sicut & cap. 16. ✝ 23. *Quicquid petitieritis*, ait, *à Patre in nomine meo, dabit vobis*. Et Apostolus Heb. 9. ✝. 24. *Non enim*, inquit, *in manufactum Sacrarium ingressus est Christus quod sit exemplar vero sacrario respondens; sed in ipsum cœlum ut appareat nunc in conspectu Dei pro nobis*.

Patrum doctrina S. Augustinus corrigens quædam hoc innegotio minùs rectè à se dicta, scribit in Psal. 36 *ô popule, talem elige Sacerdotem pro quo non cogaris orare, sed de cujus oratione pro te securus esse poss s. Ipse est Dominus noster* JESUS CHRISTUS, *unus Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*, Idem docet in Psalm. 29. & 134. Lib. 2. contra Parmen. Tractatu 22. in Johannem, &c. *1. Tim. 2. 5.*

Cyrillus in 16. cap. Johannis scribit: *Nullus accedit ad Patrem, nisi per Filiũ perquem adductionem habemus ad Patrem in Spiritu. Ideo se portam & viam appellat, quia inquit: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Nam in quantum Filius & Deus est, una cum Patre nobis bona largitur. In quantum verò Mediator est & Pontifex & Paracletus nostras preces ad Patrem adducit*, Ac tandem concludit: *Orandum igitur est in nomine* SALVATORIS, *si exaudiri à Patre volumus*.

Ambrosius ad Rom. 1. idem docet ac in libro de Isaac & anima sic confirmat. *Ipse Christus os nostrũ est, per quod Patri loquimur, oculus noster per quem Patrem videmus, dextera nostra, per quam Patri nos afferimus. Quo nisi intercedente, nec nobis nec* SANCTIS OMNIBUS *quicquam cum Deo est*.

Dehortatio Epiphanii à cultu Mariæ & Sanctorũ. Epiphanius hæres. 9. contra Collyridianos & iis similes, ait: *Quidam contemptim de Maria sentiunt & loquuntur, quidam*

quidam verò in alteram partem declinantes, ultra decorum eam glorificant. Ac postea: *Sub prætextu ejus, quod justum est, Diabolus subiens hominum mentem, mortalem naturam deificans, statuas humanam imaginem referentes expressit, ut* MORTUOS ADORENT, & IMAGINES ADORANDAS *introducant, adulterante mente ab* » *uno & solo Deo. Revera sanctum erat,* MA- » RIÆ *corpus, non tamen Deus, virgo erat* » *honorabilis, sed non ad adorationem nobis da-* » *ta, sed* IPSA ADORANS EUM *qui ex ipsa* » *secundùm carnem natus est, de cœlis verò à si-* » *nu Patris venerat. Atque ideo Dominus dixit* » *ad eam: Quid mihi & tibi mulier? Ne quis* » *existimaret sanctam virginem excellentiorē* » *esse, & nimia ejus admiratione* IN HÆRE- » SIN *delaberetur.* Et mox: *Quæ*, inquit, » *Scriptura narravit? Quis verò Prophetarū* » *præcipit hominem adorari, nedum mulierē?* » *Eximium siquidem vas est, sed mulier, & ni-* » *hil à natura immutata, verùm & intellectu* » *& sensu in honore honorata, velut corpora* » *sanctorum*, &c, Item: *Helias mortem non* » *vidit, sed translatus est. Johannes super pe-* » *ctus Domini recubuit. Sed neque Helias ad-* » *orandus est, licet in vivis sit, neque Johannes* » *προσκυνητός, etiamsi per preces dormitionem* » *suam admirandam effecerit. Sed neque* » *Tecla, neque quisquam sanctorum adoratur.* » Et pag. 448. *Non enim dominabitur nobis* » *antiquus error, ut relinquamus viventem, &* » *adoremus ea, quæ ab ipso facta sunt, sicut scri-* Rom. 1. Coloss. 2. 7. Apoc. 19. 21. *ptum: Præter creatorem coluerunt creaturā, & stulti facti sunt. Si enim Angelos adorari* „ *non vult, quantò minùs eam, quæ genita est* „ *ex Anna, & ex Joachim donata est Annæ?* „ Item: *Verbum Deus carnem assumpsit ex* „ *Maria, non tamen ut adoretur virgo, neque* „ *ut Deam illam faceret.* Item: *Sit in honore* „ MARIA, *Pater verò & Filius & Spiritus*

sanctus adoretur, Mariam nemo adoret. Hoc « *enim mysterium nec mulieri, nec viro, sed* « DEO (*προστέτακται*) *certo & serio mandato* « *attributum est. Neque Angeli talem glorificationem capiunt. Convertatur itaque creatura ad Dominum, ut* SOLUM DEUM COLAT. Apoc. 19. & 21. Idem contra Antidicomarianitas: *Sint*, inquit, *sancti in honore, & quies* « *ipsorum in gloria. Non autem convenit sanctos ultrà, quàm decet, honorare, sed honorare* « *Dominum ipsorum. Cesset ergo error seductorum. Neque enim Deus est* MARIA. « *Nemo ergo in nomen ejus efferat*, scilicet, « preces sive aliud quicquam. *Suam enim* « *animam perdit. Neque rursus debacchetur,* « *contumelia afficiens sanctam virginem. Absit* « *enim. Non fuit copulata carni post partum,* « *neque ante partum Salvatoris*, &c. Item; « *Ne credas Israël mulieri, resulta à mala mulieris consilio*, scilicet ad cultum Mariæ « religiosum pelliciente. «

Hinc idē Pater Epiphanius omnia, Jerem. 7. à sancto Propheta Jeremia de gentium idolis & falsis Diis dicta, ad ipsos sanctos Dei accommodat, præsertim ad S. Mariam virginem, ipsam Dei Filii matrem, idololatriamque ceu cum idolis cum illis committi ait, si instar Deorū divino cultu honorentur. Nam quoad ipsos sanctos attinet, magna est quidē blasphemia eos idola appellare. Deum enim coram vident, & sempiterna gloria cum eo fruuntur. At si cultu divino affici solent, in idola convertuntur. Quare Collyridianis suo tempore ad idololatriam beata virgine Maria abutentibus, ut hodie Papistæ eadem ac aliis sanctis, dicit Epiphanius: *Ne quis comedat de errore, qui est propter sanctam Mariam. Tametsi enim pulchrum sit lignū: tamen non est ad cibum. Etsi pulcherrima est*

 Maria

Maria, & sancta, & honorata: at non ad adorationem. Hæ verò mulieres colentes Mariam, rursus renovant fortunæ mixturam, & præparant mensam diabolo, non Deo. Quemadmodum scriptum est: pascuntur cibo impietatis. Et rursus: *Et fœminæ terunt pollicem, & filii colligunt ligna, ut faciant placentas oleo subactas reginæ cœli. Compescuntur ab Hieremia tales mulieres: ne turbent orbem terrarum, ne dicant, honoramus reginam cœli.* Hîc verba illa videmus, quæ de Ethnicis idolis dicta sunt, ad Christi matrem ab Epiphanio traducta: non ad ullum beatæ virginis decus, sed ad hæreticorum illius seculi futilissimos errores arguendos. Quid ni ergo idem hodie fiat?

Jer. 7. 18.

His, qui non sinit se à venerandis divino invocationis honore tam Angelis, quàm Maria & aliis sanctis deterreri, naviter sit hæreticus, & Dei judiciũ expectet. Sed REFUTATIO prolixior istius idololatriæ & hæresis habetur in Christophori P. zelii refutatione Catechismorum Jesuiticorum à pag. 136 usque ad 197.

CAP. VI.

Papistas sequi Donatistarum & Peputianorum hæresin de Ecclesiæ sede & defectu.

FRUSTRA Pontificios accusare Euangelicos hæreseos *Donatistarum*, qua hi Ecclesiam Christi in sola Africa residere docebant & credebant, part. 1. lib. 1. cap. 10. exposuimus. Nunc probabimus, ipsosmet Papistas in ea hæresi versari, quàm Euangelicis temerè imponere non sunt veriti.

Scribit enim Bellarminus libro 3. de verbo Dei, cap. 3. *Augustinus epist. 48. ad Vincentium, meritò ridet Donatistas qui ex istis verbis mysticè explicatis: Indica ubi pascis in meridie* (cantic. 1. 7) *colligebant Ecclesiam Christi in sola Africa remansisse.* Ac idem Pater hæresi 69. dicit, Donatistas sentire, *Ecclesiã Christi in Africa & in parte Donati remansisse.*

I. Donatistarum hæresis de Ecclesiæ sede apud Papistas.

Ac si hæresis est certa, Papistæ in eadem sunt demersi, si eorum dogma de sede Romana cum Donatistarum hæresi conferatur. Nam Bellarminus pro hac omni & animi & virium contentione decertans prolixo Tractatu in libris de Romano pontifice, *Ecclesiã in synagoga Romana, & in parte Pontificis Romani* circumscribi vult. Ac lib. 4. de Ecclesia milit. cap 9. ait: *Omnes sedes Apostolicæ, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana defecerunt. Sola Romana sedes Petri immobilis permansit, nec possit deficere.*

Lib. 4 de Rom. Pontif. c 3. 4. 5.

Vidésne *solam & solam*? Illi in meridie: hi in Occidente. Illi Scripturam mysticè: hi allegoricè exponunt. Utrique ad Ecclesiam referentes, *suam solã* non posse deficere autumant & docent.

PEPUTIANI *Pepuzam suam velut totius Ecclesiæ Metropolim & cœlestem Hierusalem suspiciebant*, at eo nomine hæreseos notam incurrerunt: testante Augustino hæresi 27. Cur non ergo hæretici censeantur Papistæ, qui Romanã suam synagogam volunt esse Catholicam Ecclesiam, & Romam tanquam totius Ecclesiæ Metropolim venerantur?

II. Pepuzianorum hæresis de Ecclesiæ sede.

Peregregiè autem hæc Pontificiorũ sententia pro sede & perpetuitate Ecclesiæ Romanæ synagoga ac solo Papatu, refellitur à Witakero, Sibrando,

Sut-

Sutlivio & Junio in libris, quos contra Bellarmini tractatum de Pontifice Romano ex professo ediderunt. Idem contra libros Bellarmini de Eccesia faciunt.

Nullam civitatẽ aut gentem de Ecclesia apud se permansura certam esse.

Nunc observandum, neque Romã neque ullam aliam civitatem aut gentem de Ecclesia secum perpetuò mansura certam fuisse, atque esse posse. Nã quod disputant Pontificii, *Ecclesiam non posse errare*, illud duobus modis intelligi potest. Vel enim asserunt, Ecclesiã ne levissimo quidem errori obnoxiã, vel putant eam non ita graviter errare posse, ut à Deo discedat & deficiat. Quod quidẽ, si de *Catholica* & omniũ temporum & locorum Ecclesia intelligent, non admodum nos reluctaremur. Stultum enim est putare, partes inferorum adversus Ecclesiam, quæ super veram petram ædificata est, nempe Christum & fidem in eum, prævalere posse.

Math. 16. 18.

Ipsi autem, si de Ecclesia sermonem instituunt, intelligunt tantùm ROMANAM, eamq́ue nec errare posse ullo modo, nec à Deo deficere, vel ut ipsi loquuntur, *apostatare* posse significant. Et primum quidem attingunt, secundum promittunt, sed non exsolvunt. Quod ergo ab illis susceptum & relictum, id nec ab ipsis, nec ab ullo alio præstari poterit. Neque enim vel urbem Romam, vel aliam urbem aut gẽtem certum est Deo semper adhæsurã. Adversarii autem, quia vetus Roma propter Christi fidem illustre nomen habuit, idcirco & hanc recentiorem Romam, laudibus efferunt, & quasi arcẽ ex cloaca faciunt, & rudera & ruinas antiquæ Romæ, seu potiùs nomen ipsum nudũ, venerantur. Atq; ut olim Judæi *confidentes in verbis mendacii, dicũt templum Domini, templum Domini.* Jeremia 7.4.

Stapletonus hanc Romanã Ecclesiam cum illis, qui ei adhærent, *universalẽ esse Ecclesiam*, atque omnes alias Ecclesias *ad hanc* ob potentiorem principalitatem, non minùs quàm olim, cõvenire debere prædicat. *In princip. doctr. l. 3 c. 6*

Bellarminus hanc *nec errare, nec à Deo deficere* posse contendit: semper enim Romæ futuram veram Ecclesiam. *Lib. 4. de Pontif. Roman. cap. 4.*

At hoc secus esse multa docent.

Primò, multo ampliores promissiones factæ sunt Ecclesiæ *Hierosolymitanæ*, quàm Romanæ. De ea enim disertè dicit: *Deum fundasse illam in æternum*, Psal. 48.9. Et quum Judæ[illegible]s Deus fœdus perpetuum percussit. *Fœdus sempiternum*, inquit Deus, Esaiæ *61.8. feriam cum eis.* At num non Ecclesia Herosolymitana & Judæorum defecit? Quod ergo contigit Ecclesiæ & urbi Hierosolymitanæ, & Judæis, id Ecclesiæ & urbi Romæ, & populo Romano, & singulis aliis populis & gentibus contingere potest. Eoque magis, quod nullam legimus urbi Romæ promissionem singulariter factam. Nam quæ ad Ecclesiam Romanam & sedem Pontificis ibi trãsferunt loca Scripturæ. Math. 16.18. & Lucæ 22 32. atque alibi, tam puerile & ridiculum esse docẽt Witakerus, Sutlivius, Sibrandus, atque alii à nostris, ut pudere Papistas suæ temeritatis in istis locis pro Roma & pontificia sede citanda oporteat. Si ergo nõ fecerit urbs Roma fructus Christiana professione dignos, nihil est, quod apud se Ecclesiã semper futuram jactet, aut speret.

Romana minor Hierosolymitanã Ecclesiã. Gen. 17.

Romanam Ecclesiam defecturam prædicitur Scriptura Rom. 11. ℣. 20.21.22.

Secundò, disertè prædicit Apostolus, Euangelii gratiam & verbum Dei & Ecclesiæ splendorem ablatum in Romanis, nisi caverent. Nam: *Ne efferaris animo*, inquit Apostolus, *sed timeas. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, vide tibi quoque non parcat.* Neque enim aliis parcit, nisi qui in virtutum studio & recta doctrina perstant. Ac pergés: *Vide*, inquit, *benignitatem ac severitatem Dei. In eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te verò benignitatem, si permanseris in benignitate. Alioqui & tu excideris.* Alloquitur Apostolus populum Romanum, & significat futurum, ut ille etiã exscindatur, & pereat, nisi permaneat in bonitate Dei, quâ ob donatam Euangelii de Christo cognitionem affectus sit. Quod nunquam prædixisset, si vel Romæ, vel alicui certo loco Ecclesia alligata fuisset.

Romana Ecclesia ob errores & peccata perire potest.

Tertiò, Christus per Johannem Angelo Ecclesiæ Ephesinæ disertè significat, se Ecclesiam ex urbe illa moturũ, nisi maturè pœnitentiam ageret. Nam Apoc. 2. 5. cap. *Memor esto*, inquit, *unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin minùs, veniam adversum te citò, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi resipueris.* Per candelabrum autem Ecclesia intelligitur. *Septem candelabra*, inquit, *Spiritus sanctus, septem Ecclesiæ sunt.* Apostolus etiam ad Corinthios scribens, illis præmunit, *ne degenerent à simplicitate quæ est in Christo.* Si igitur hæc sit communis omnium populorum & urbium conditio, ut inde migrent Ecclesiæ, quando homines gratia destituti in peccata incidunt, & quando excidunt à simplicitate doctrinæ ac fidei, quæ est in Christo, quis non videt actũ

Apoc. 1. 20.

2. Cor. 11. 3.

esse de Ecclesia Romana, ubi nunc omnes volitant errorum atque peccatorum spiritus immundi, & periit Christi fides simplex, novis assumentis corrupta & deformata?

Quartò, nulla particularis Ecclesia majora habuit privilegia, quàm Antiochena, Alexandrina, Ephesina, Cæsariensis, Lyddensis, Colossensis, aliæque antiquissimæ & ab Apostolis fundatæ Ecclesiæ. Neque enim meliore conditione plantata est Ecclesia Romana, quàm istæ. At ex urbibus & locis istis ita excessit Ecclesia, ut nusquã nunc publicè Christus in illis urbibus colatur. Cur non ergo ab urbe Roma auferri possit Ecclesiæ sedes? Cur non possint Pontifices, Sacerdotes, & populus à Christo discedere? Si Petri cathedram jactent Adversarii, Petrus etiam Antiochiæ, Cæsareæ & Lyddæ sedem habuit. Idem Alexandrinam & multas Ecclesias, quæ nunc nusquã comparent, fundasse dicitur. Si Ecclesiam dixerint esse fundatam super petram, intelligere debent hoc de Ecclesia Catholica & universali, & hominibus illis, qui verè pertinent ad Ecclesiam, complendum esse.

Recognitio Clement.

Quintò, si ex domo Dei fieri possit *domus vanitatis*, & mendacii, & civitas fidelis fieri possit *meretrix*, & certum sit Antichristum occupaturum *templum Dei*: & homines incauti *per operationem erroris credere possint mendacio*: cur non & Romani decipi possint, & ab Antichristi præstigiis in errorem præcipitari? Num certiores sunt de Dei erga se benevolentia, quàm reliquæ gentes, quàm populus Dei, quàm civitas sancta Hierusalem? Certè dudum & nunc

Hos. 10. Isa. 1. 2. Thess. 2. Apoc. 17. 1.

Romana Ecclesia est Antichristiana. Ergo deficiens.

Ro-

Romam & ejus Ecclesiam erroribus vitiatam, & ab Antichristo occupatam demonstrant & probant contra 3. librum Bellarmini de Pontifice Romano & Antichristo clarissimi viri Guil. Witakerus, Math. Sutlivius, Sibrandus, Lubbertus, Daniel Chamierus, & Rodolphus Gualtherus, ut nullæ contradicentium Romanistarum rationes & argumenta id negare conantia, cõsistant.

Apoc. 17. *Sextò*, prædicit Spiritus sanctus purpuratam meretricem, quæ figura est regni antichristi, Romæ dominaturã. *Sedebit* enim *super Bestiam septicipidem*, id est, Romam fundatam super septem montes. Et dominabitur in *Babylone*, hoc est, in urbe Roma, quæ propter persequutionem Sanctorum dicta est Babylon. Et omne hoc ad novam Romam sub Pontificibus Romanis, & non sub Imperatoribus Romanis pertinet. Nam hoc series & ordo Prophetiæ Johannes docet, & quoniam hæc omnia post interitum Imperii Romani & ortum Antichristi Apocalyp. 13. descriptum, contingere debent, hæc necessariò de nova Roma intelligenda sunt. Præterea post eversionem veteris Imperii Christiani in urbe Roma florere cœperunt. Ad post eversionem aut saltem inclinationem imperii Papalis, Roma custodia erit omnis immundi spiritus, & habitatio dæmoniorum, Apoc. 18. 3. Multis denique argumentis & testimoniis viri paulò ante dicti in librum 3. Bellarmini de Antichristo & Pontifice Romano, ostenderunt hæc ad novam Romam sub Pontificis imperio agentem pertinere. Non ergo perpetuò in flore suo Romana & Ecclesia & Sedes stabit, sed defectionem patietur.

Septimò, & alii, Antichristus perficiet ad Ecclesiæ Christianæ dissipationem atque apostasiam procurandam, quæ tanquam notæ ipsius 2. Tess. 2. à ℣ 6. usque ad 13. describuntur. Atqui à Nostris probatum, Pontificem Romanum esse *Antichristum*, de quo Apostolus eo in loco vaticinetur. Ipse enim elevatur quasi Deus esset, & Ecclesiam Dei occupavit, & se & suos Ecclesiam esse dicit. Ipse Christo adversatur, licet Christi vicarium esse jactet. Ipse denique Christi fidem oppugnat, omnesque illas notas habet, quæ Antichristum nobis demonstrant, ut nostri & fuse & solidè in libris tum supra dictis, tum cæteris quam plurimis probant. Si ergo populus Romanus Antichristo adhæserit vel adhærere possit, non est dubium, quin & à Christo possit deficere atque apostatare.

Octavò, quæcunque Ecclesia S. Scripturas malè interpretari, & fidem Christi corrumpere potest, illa etiam potest à Christo deficere, atque excidere. At nemini dubium est & obscurũ, quin hoc synagoga Romana & possit & fecerit. Nã in Decretatib. atq; Decretis Pontificũ reliquisque libris Põtificũ ad eorũ imperiũ sese aggregantiũ pervesissimæ habentur S. Scripturę interpretationes, ac teterrimę fidei Christi depravationes. Synodus etiam Tridentina ipsa fidei fundamenta subvertit, novamque Ecclesiæ consartinavit fidem, ut à Chemnitio, Calvino, Bullingero, Gentillæto, ni Examinibus ejusdem comprobatur. Quid ni ergo Ecclesia Romana atque Papalis interitum patitur?

Romana Ecclesia ob corruptionem fidei deficit.

 Nono

Signa defectionis omnia habet.

Nono, omnia ea signa, quæ ostendunt Romanam Ecclesiam non esse Christi Ecclesiam, ostendunt ipsam à Christo discedere atq; desciscere posse, imò jam discessisse ac descivisse. At ea infinita sunt. Nā verbum Dei turpissimè & Apocryphis scriptis, & Legēdis, & Traditionibus adulteravit, & Sacramentorum Christi institutionem pervertit: & Christi Ecclesiam persequuta est, & multas veteres atque novas hæreses amplexa est, & nonnulla ex Judæorum ceremoniis ac Ethnicorum superstitionibus in suam Religionem transtulit. Turpiter ergo deficit.

Hæreses à Rom Ecclesia receptæ arguūt eam apostasia.

Decimò, potuit populus Romanus hæreses amplexari. Cur enim non potuerit ipse, quum & populus Hierosolymitanus, & Antiochenus, & Alexandrinus, & Cæsariensis, & multarū præterea urbium & gentium Populi in gravissimas hæreses inciderint? Non sane videmus populum Romanum & ejus Pastores Hæreses *Marcionitarum, Cerdonis, Artomonis, Manichæorum, Montanistarum, Valentianorum* contra Scripturas divinas, *Arianorum* contra Trinitatem, *Manichæorum* de duobus principiis, *Angelicorum & Cainorū* in colendis Angelis, *Collyridianorū*, in Mariolatria, *Simonianorum, Basilidianorū, Carpocratianorū, Gnosticorū, Armenianorū, Audianorum, Montanistarum, & Staurolatrarum*, in colēdis imaginibus, *Anomœorum*, in obedientia legis spernanda, *Donatistarum* de Ecclesiæ sede & defectu: *Pharisæorum & Scribarum* de lege ac Traditionibus. *Ossenorum* de usu juramenti. *Basilidianorum & Carpocratianorum* de Occultandis mysteriis ac dogmatibus: *Simonianorum* in Simonia exercenda. *Palagianorum* de libro Arbitrio, otiginali peccato, impletione Legis, gratia, prædestinatione, Fide & operum meritis, *Marcionis, Peputianorum, Marcosiorū & Messalianorū* de baptismo, *Marcionis, Manichæorū & Marcosiorū, Carpocratianorū, Ebionitarū & Nazaræorū* de Eucharistia, *Montanistarū & Heracleonitarum & Valentinianorū* in chrismate utēdo: *Apostolicorū, Mōtano Tatianorū, Saturnianorum, Manichæorum, Marcianitarum, Priscillianistarum, Dositheorum, Encratitarumque* de Nuptiis & conjugio, *Montanistarum, Macedoniorum, Eustatianorum & Marcionistarum*, de jejunio, *Montanistarum & Marcionitarum*, de limbo Patrum, *Ossenorum* in præcibus ignotæ linguæ & pro mortuis peragēdis. *Sampsæorum, Ossenorum & Circumcellionum* de reliquiarum veneratione, *Idololatrarum & Circumcellionum & Discalceatorum* in flagellationibus & ingressu nudis pedibus, *Samaritarum & Ebionitarum* in aqua lustrali usurpanda, *Montanistarum & Origenistarum* de Purgatorio & multas præterea alias & veteres & novas hæreses sequi, ut sigillatim tum antehac ostendimus, tū posthac ostendemus. At non potest quis simul & Christi fidem veram profiteri & hæreses sectari sine defectione Ecclesiæ veræ. Quamobrem quum populus Romanus tot tantasque hæreses amplexus sit, deficit sanè apud eum Christi Ecclesia.

Postremo, fatetur Stapletonus, *Particulares homines & Ecclesias errare & excidere posse*. Quare si Romana Ecclesia particularis sit, quod vel luce ipsa clarius est, tum nō ambiguimus, quin ipsi excidere possit. Fatetur etiam Bellarminus: *Antichristi tempore Romam cremādam*

De princip. doct. l. 3. c. 6.

Lib. 4. de Pontif. Roman c. 4.

dam & desolandam esse, & hoc ex Apocalyp. 17. deduci. At si tunc desolanda sit, non potest ibi consistere Ecclesia nisi forte in ruinis & cineribus urbis eam extruere cogitant. Si ergo nūc sint Antichristi tempora, ex Adversariorum sententia colligere licet, Romæ Ecclesiam posse deficere. Et sane si ibi regnet Antichristus, quod antea nos ostendimus, Ecclesia Christi ibi consistere non potest.

Objectiones adversariorum solvuntur.

Cæterum his offensi Romanistæ & Pontificii, argumenta & testimonia, quibus contrariam sententiam probent, anxiè conquirunt, & Bellarminus ea lib. 4. de Pontifici Romano cap. 4. percenset. Nostri suprà nominati nullo negotio ea solverunt. Jam verò nos paucis ad eadem respondemus. *Lucii & Felicis Epistolæ* unde præcipua earum testimonia sumuntur adulterinæ sunt. Sed ut verę essent & genuinæ, nullus tamen in propria caussa idoneus habetur testis. Præterea loquuntur de tempore præterito, & asserunt: *Ecclesiam Romanam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam recessisse & errasse: & eam usque ad sua tempora illibatam mansisse.* Sed quærimus nos, quid fieri possit, & loquimur de tempore futuro *Agatho* etiam de tempore præterito loquitur, nec vel levissimam dat suspicionem, quid post futurum esset. *Nicolaus* primus Papa, levis est in caussa propria testis. Præterea ridiculus est disputator Bellarminus. Inde enim probat Ecclesiam Rom.. semper esse mansuram: quia Christus dixit Petro: *Tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*, Luc. 22. 32. At illud nullis machinis ex istis verbis educi potest.

Epist. 1. Lucii ad Episc. Hisp. Felicis ad Benig. Agathonis in 6. Synodo. In Epistola ad Mich. Imp.

Cyrillus qui proximè testimonium dicturus producitur, ne verbum quidem unum contra nos habet. Valde etiam videtur probabile Th. Aquinatem, qui ex Cyrilli thesauro nonnulla in rem Pontifi. Rom. collegit, in gratiā Domini sui verba Cyrilli mutasse. Verum ut dixisset Cyrillus: *Ecclesiam Petri ab omni hæretica circumventione manere immaculatam:* non magis tamen hæc ad Ecclesiam Romanā, quam ad reliquas Christi Ecclesias spectant. Ad synagogam Romanā certè quæ nunc est, nullo modo pertinent. Ipsa enim à Petri doctrina in Actis & Epistolis ejus expressa ac moribus discedens, totam se in servitutem Pontificis Romani tradidit.

In catena Thom. Aquinatis in Math. 16.

Dicit quidem *Ruffinus. Nullam hæresin in Ecclesia Romana sumpsisse exordium: & morem ibi servari antiquum.* Sed non vidit, quæ postea consequuta sunt tempora, nec de futuro loquitur. Adhæc non simpliciter sed in Symboli recitatione dicit, servari in Ecclesia Romana morem antiquum. Sed si recentiorum Pontificum vidisset decretales, & hodiernos mores, nō de Symbolo ita loquutus fuisset.

In expos. Symbo. in princip.

Cyprianus ubi dicit: *Perfidiam ad Romanos habere non posse accessum*, nihil aliud intelligit, quam esse illos adeo prudentes & cautos, ut ab hæreticis decipi non queant. Loquitur quoque non de hæresi tantum, sed de quavis alia fallacia & errore & de Romanis sui temporis; quibus tamen in sententia sua de hæreticorum Baptismo cedere noluit. Adhæc revincitur Cyprianus Scripturæ testimoniis & rationibus paulò super à nobis productis.

Lib. 1. Ep. 3.

Hie-

Lib. 3. contr. Apol. Ruffini.

Hieronymus asserit: *Romanam fidem Apostolica voce laudatam non recipere præstigias, nec mutari posse.* Sed ut fides hæc per se non posset mutari, vel præstigiis obscurari, possunt tamen homines Romani fidem rectam deponere. Et ut constantissimi essent homines Romani in fide, nihil tamen hoc attinet ad hanc hominum colluviem, qui veteribus extinctis Romanis, in eodem quidem loco habitant, sed & doctrina & religione & vita eis dissimilimi sunt.

Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua non habet verba à Bellarmino citata. Verùm ut dixisset: *Veterem Romam rectam habere fidem,* non tamen dixit, hanc fidem in urbe illa perpetuam fore. Nec potuit ille, si quid hujusmodi dixisset, quæ futura essent providere.

Quid *Martinus Quintus & Sixtus Quartus,* Pontifices, aliique homines impurissimi & ineptissimi de sede Romana & ejus doctrina ac fide senserint & dixerint, non multùm pius quisque moveri debet. Erant enim illi homines nõ nave, & leves & indigni, quorum testimonio quisquã fidem adhiberet. Præterea testimonium illud Martini alienum est. Neq; enim aliud dicit, quàm hæreticos esse habendos, qui de fide & Sacramentis aliter sentient, quàm Ecclesia Romana. At nixus est falsâ hypothesi & definitione hæretici. Ac potest populus Romanus à fide veteris Ecclesiæ puriore discedere, & nos hoc multis hactenus ostendimus, ac pluribus declarabimus. Sed quid nos eorum dicta excutiamus, qui nihil pensi habuerunt, quid in rem suam dicerent?

Quare etsi satis constare potest ex disputatione nostrâ, populum Romanum posse à fide Christi deficere, ac proinde desinere Ecclesiã Christi esse: tamen hoc luculentius apparet, quòd nihil contra hanc sententiam afferre potuerunt acerrimi & acutissimi ejus propugnatores, quod apud viros doctos & non planè iniquos ullum pondus habere mereretur.

CAP. VII.

Hæreses Scribarum & Pharisæorum Judaicorum tàm in superflua legis interpretatione, quàm gloriatione de operum supererogatione & interpretatione justitiaq; legis Papistas imitari.

Scribarum & Pharisæorum hæreses apud Papistas.

TEMPUS est transeundi ad Scribarum & Pharisæorum Judaicorum hęreses, quibus Papistę etiam non sunt inimici, sed amicissimi. Epiphanius enim hæresi 15. ante Christũ notat Scribas Judæorum hæreseos, quia *superfluam quandam legis interpretationem induxissent, & opera ultra legem invexissent.* Deinde hæresi 16. ante Christum insimulat hæreseos Pharisæos, *quia requiescerent in lege, justitiam in ea ponerent, & in ea gloriarentur:* ut Rom. 2. & 3. etiam Apostolus de iisdem perhibet. De utrisque eadem tota Euangelica historia tradit & testatur.

Pariter Papistæ semetipsos hæreseos notant, quoniam instar Scribarum introducunt *glossas suas & expositiones Papales, nimis quidem superfluas, & cum textu pugnantes.* Adhæc putant se *opera posse facere Supererogationis* supra legem, & *remissionem peccatorum iis mereri,* de qua gloriantur. Quæ ex persuasione *perfecta imple-*

impletionis legis divinæ proficiſcuntur: Unde & *juſtitiam in operibus legis quærunt.*

1. Gloſſas & traditiones more hæretico Papiſtas Scripturæ præferre.

Pro *priore* prodit Bellarminus, qui nimirum apertè & abundè in diſputationibus de verbo Dei libris 4. comprehenſis tomo 1. præſertim lib. 3. & 4. ex profeſſo pro univerſa Eccleſia Romana traditiones, explicationes & gloſſas Paparũ atq; Papiſticorum Doctorum tutatur, legiq; Moſaicæ & Euangelicæ anteponit.

Lib 1. c. 1. & ſeq. Et hæc ſunt ejus axiomata: 1. Sacra Scriptura veteris & novi Teſtamenti tum demum eſt verbum Dei, & regula fidei, ſi juxta ſenſum Eccleſiæ (puta Romanæ) intelligatur. 2. Libri verè Canonici in veteri Teſtamento ſunt etiam Tobias, Judith, Baruch, Sapientia, Eccleſiaſticus, duo priores Machabæorum, & additiones quædam ad Eſteram & Danielem: licèt in Hebræo Canone nunquam fuerint. 3. Fontes Hebræi & Græci, etſi nunquam perierunt, nec planè depravati ſunt (quod alii Pontificii magna ex parte aſſerunt) non tamẽ adeo puri & incorrupti ſunt, ut aliæ editiones ad illos exigi debeant. 4. Vulgata Latina verſio in omnibus publicis lectionib. & concionib. & diſputationibus pro authentica habenda eſt; ita ut nemini liceat ab ea, quãtumvis juſtiſſimæ cauſſæ prætextu, provocare. 5. Vernaculæ Scripturarum verſiones nec neceſſariæ, nec admodum utiles, ſed potiùs ſæpè noxiæ ſunt: & proinde earum lectio nemini permittenda, niſi qui facultatem ab Epiſcopo impetraverit. 6. Eædem verſiones in Eccleſia publicè uſurpandæ ſunt, nequaquam, quum de precibus, cantionibus, aliiſque id genus ſacris officiis agitur: quippe quæ tribus tantùm præcipuis linguis peragi debeant. 7. Sacra Scriptura non ita perſpicua & intellectu facilis eſt, ut per ſe abſque Eccleſiæ auctoritate & explicatione, ad decidendas fidei controverſias ſufficiat: ſed adeò potiùs obſcura eſt, etiam in rebus ſcitu neceſſariis, ut ſine ductu & magiſterio prædictæ Eccleſiæ, ſcilicet Romanæ, etiam à fidelibus intelligi non poſſit. 8. Non unus tantùm, ſed quadruplex eſt genuinus Scripturæ ſenſus, nempe literalis, allegoricus, anagogicus & tropologicus; tametſi ex ſolo literali firmæ probationes peti poſſunt. 9. Supremus & infallibilis Scripturæ interpres ac controverſiarum Judex, non eſt ipſa Scriptura, aut Spiritus ſanctus in ea loquens: ſed vel Eccleſia, ſcilicet Romana, vel Concilium, vel denique Pontifex Romanus. 10. Nec Principibus ſecularibus, nec privatis fidelibus: ſed ſolis Eccleſiaſticis præſulibus, de fidei cõtroverſiis juxta verbum Dei judicare licet. 11. Fides noſtra tum quoq; nititur verbo Dei, non hominum, quum nititur teſtimonio Eccleſiæ, vel Concilii, vel Pontificis, ſenſum Scripturæ nobis explicantis; quippe de quibus ex Scripturis apertè conſtat, errare eos in fide non poſſe. 12. Non omnia dogmata, ad fidem & vitam Chriſtianam atque ſalutem neceſſaria, in Scripturis continentur: ſed multa etiam hujus generis ex traditionibus non ſcriptis vel Chriſti, vel Apoſtolorum, vel Eccleſiæ petenda ſunt. 13. Scriptura ſine traditionibus non admodum neceſſaria eſt. Traditiones autem ſimpliciter neceſſariæ ſunt. 14. Apoſtoli & Prophetæ non divino aliquo juſſu, ſed fortuitis occaſionibus ad-

Ibid. cap. 7. uſq; ad 16. *Ibid. c. 10.* *Ibidem.* *Cap. 15.* *Cap. 16.* *Lib. 3. cap. 1. 2.* *Cap. 3.* *Cap. 4. & ſeq.* *Cap. 9. & 10.* *Ibid.* *Lib. 4. cap. 2. & 3.* *Cap. 4.* *Cap. 4. &c.*

ad hæc vel illa ſcribendum adducti ſunt. 15. Proprius & præcipuus Scripturæ finis eſt, non ut ſit negata fidei, ſed tantùm ut ſit commonitorium quoddam, utile ad conſervandam doctrinam ex prædicatione acceptam.

Et ſimilia multa dicit Bellarminus Papiſtarum nomine, ut nullus Scribarum tam confidenter & impudenter, tamque abſurdè & blaſphemè contra legem veterem ac novam loquutus videatur. Nec eſſe has privatas ſententias, ſed publicas & communes, cunctis Papiſtarum ſcriptis & ſermonibus proditur, quibus non alia evomunt. Et quis neſcit, eos in tota religione non ſolum gloſſis Canoniſtarum, Sententiarũ, Scholaſticorumq; niti, ſed cumprimis *Paparum opiniones, placita & leges in Decretis & Decretalibus, Conciliiq; Tridentini canonibus ac ſtatutis comprehenſas*, Legi divinæ non modò exæquare, verumetiam præferre? Graviùs etiam Papæ puniunt eos, qui violant illas, quam qui hujus evadunt tranſgreſſores. Hoc enim apertè diſtinct. 19. c. *Si Romanorum* ſanciunt. Hinc fit, ut Papæ mãcipia ſibi magis à Papa quàm à Deo metuant: & contra Papam derelinquere non facilè præſumant, contra Deum verò peccare quivis impunè audeat. Et quis recenſere poſſet, quomodo Scripturas ad ſuos ſenſus, & ſuas opiniones atque ſomnia flectant?

Leges Papales à Romanẽſibus legi divinæ anteferuntur.

Multi quoque ex ipſis perfrictæ frontis homines eò dementiæ, audaciæ & impudentiæ prolabuntur, ut ſpreta lege divina, de legibus ſuis Lojolanis ſumma in Decalogum divinũ contumelia, abjecto omni pudore dicere non vereantur: *Hæ ſunt noſter Decalogus. Si has leges corde & factis cuſtodierimus, verè juſtificabimur, neque damnari poterimus. Nam perfectiora & meliora tradunt lege divina.* Auctor eſt Helias Haſenmüllerus in hiſtoria Jeſuitici ordinis cap. 9. pag 344.

Hujuſmodi ſententiæ, ritus & mores veterum judicio Patrum rectè & manifeſtè ſunt inter hæreſes poſitæ. Hoc enim non ſolùm teſtatur ſanctus Irenæus lib. 3. cap. 1. & 2. adverſus hæreticos, verum etiam Eusebius lib. 3. c. 28. ubi ex Gajo Cerinthum hæreticum citat, aitque: *Eum prætextu revelationum velut à magno Apoſtolo acceptorum, portentoſa dogmata in Eccleſiam Dei invehere tentaſſe, hócque contendiſſe, ut ea, quæ ſcripta erant, inflecterentur ad ſuas revelationes & traditiones.*

Damnant priſci Patres hæreſeos, quotquot doctrinas humanas divinis Scripturis anteponũt.

Ac ſanctus Augustinus: *Non ob aliud*, inquit, *ſunt hæretici, niſi quod Scripturas non rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatem pertinaciter adſerunt.* Libro. 7. de Geneſi ad literam, capite 9.

Et quoniã Pontificii ex verbis Chriſti Joh 16. 12. *Multa habeo, quæ vobis dicã, ſed non poteſtis omnia portare*, argumententur: Quos Chriſtus non omnia docuit ad ſalutem neceſſaria, illi non potuerunt omnia ad ſalutem neceſſaria ſcribere. Sed Apoſtoli ſunt illi, quos Chriſtus non docuit omnia ad ſalutẽ neceſſaria. Ergo Apoſtoli non potuerunt omnia ad ſalutem neceſſaria ſcribere: acper conſequens ſuas *traditiones* Papiſticas eſſe ea, quæ Apoſtoli non potuerint portare: Respondet Auguſtinus: *Hæreticos ſolere hoc argumento uti, & dicere ſuas immunditias eſſe ea, quæ Chriſtus ait, adhuc habeo multa dicere, ſed*

Hom. 96. in Joh.

non

non potestis omnia portare. Et sanè nulla tam tetra hæresis est, quæ non ex hoc loco posset defendi.

Sed nos præterea negamus *Minorem.* Nam etiamsi Apostolos tum non docuit Christus omnia ad salutem necessaria, minimè sequitur tamen eum neque posteà docuisse. Versu enim 13. scriptum est, eum subjunxisse: *Quum autem venerit ille*, id est, Spiritus veritatis, quem paulò antè promiserat, *introducet vos in omnem veritatem.* Et hoc in die Pentecostes, Act. 2. factum est. Quos autem Spiritus sanctus introduxit in omnem veritatem, illi potuerunt omnia ad salutem necessaria scribere. Sed Apostoli sunt illi, quos Spiritus S. introduxit in omnem veritatem. Ergo potuerunt omnia ad salutem necessaria scribere. Ad quid igitur Glossis, Decretis, Decretalibus, Legendis Papalibus, similibusque à Scripturis sacris recedentibus & supra eas elatis traditionibus opus, nisi quod hæreticas esse inde colligitur?

De præscriptione advers. hæret.

Tertullianus quoque: *Unde extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quàm unusquisque de suo arbitrio adversus aut protulit, aut recepit?*

Vincentius Lirinensis: *Hæretici*, inquit, *non contenti tradita semel & accepta antiquitus credendi regula, nova ac nova, indies quærunt, sempérque aliquid gestiunt religioni addere, mutare, detrahere.* Contra hæres. cap. 26. Omitto alia ejusmodi veterum Patrum testimonia, quibus deflectentes à scripto Dei verbo ad Traditiones in caussa fidei ac religionis, quemadmodum Pontificii hodie facere consueverunt, inde hæreticos & fieri & esse judicant, vide Sibrandū & Witakerum contra libros Bellarm. de verbo Dei, & Pezelium in refutat. Catechis. Jesuit. à pag. 234. usq; ad 301.

2. Gloriatione de operum superogatione & impletione legis Papistas se facere hæreticos.

Pro *altero*, videlicet gloriatione supererogationis operum & impletionis perfectæ legis divinæ apud Pontificios æquè ac Pharisæos regnante, contendit Bellarminus, quàm acerrimè lib. 2. de Monachis c. 2 & 6. ac 7. ut summa sit: *Monachatum esse statum religiosum seu perfectionis Euangelicæ, in quo quicunque degant ii & LEGI divinæ satisfacere, & salutem æternam faciliùs sibi mereri, & pro aliis opera superrogationis*, hoc est, *indebita quidem, sed Deo perquam grata & accepta, eòque etiam inprimis satisfactoria, præstare possunt. Fundamentum sunt consilia Euangelica, à præceptis Christi verè diversa, imò longe iis excellentiora: ut quorum observatio quidem necessaria non sit, majorem tamen & Deum promerendi, & pro aliis satisfaciendi vim, quàm observatio mandatorum Dei, habeat.* O temeritatem & arrogantiam immanem!

Nos Euangelici igitur *nulla omnino hominum merita* verè & propriè dicta coram Deo agnoscimus. Et nominatim *opera supererogationis* (quæ rectius haud dubiè *superarrogātia* dici possent) tanquam gratiæ divinæ, à Christo nobis exhibitæ, prorsus inimica, & *hæresi Scribarum, Judaicarum affinia* constanter repudiamus. INTERIM facilè concedimus, in sacris Scripturis aliqua ejusmodi *Consilia* nobis aliquando proponi, quæ non immeritò à præceptis, necessariò observandis, distinguuntur. Verum *observationem illorum consiliorum*, quatenus in genere sine specialibus circumstantiis accipiuntur, per se prorsus *adiaphoram esse*, nec ullo modo gra-

 tiam

tiam Dei, aut salutem æternam promerere, proque aliis satisfacere, è Scriptura edocti contendimus. Denique eadem hæc *Consilia* nonnunquam generalem illam naturam deponere, & contra *in præcepta commutari*, affirmamus. Nempe ob speciales quasdam caussas & circumstantias, quæ opus aliquod alioqui per se liberum ac sua naturâ indifferens, aliquando necessariũ efficere possunt. Rationes & Argumenta nostrorum vide tum apud Danæum, Junium, Vorstium, qui ex professo adversarii Bellarmini defensionẽ operum supererogationis redarguerunt, tum Harmoniam confessionum sect. 18. Aretium in problematibus vel locis communibus de Votis, Monachatu atque operibus supererogationis, &c. Martyrem de votis contra Smithæum, &c.

Operum supererogationis vanitas.

Videbimus tamen hîc paucis nonnulla, ut vanitas Pontificiorum in jactandis operibus superfluis lippis & tonsoribus nota, omnibus notior fiat.

1. Percelebris est locus, Luc. 17.10. ubi Christus inter alia jubet, *ut quum omnia fecerimus, quæ facere in mandatis habuimus*, hoc est, quæcunque ad Dei gloriam & hominum salutem (hæc enim omnia dilectio Dei & proximi requirit) fieri à nobis possunt, *servos inutiles nos esse agnoscamus*: quippe qui ea fecerimus, quæ facere debuimus, & jussi sumus. Atqui nec *servus* sibiipsi, sed tantum Domino suo acquirere potest. Neque *indebitum* quicquam is facere potest, qui omnia ad honorem Domini sui facere tenetur. Nec denique *meritum*, propriè dictum, ibi reperiri potest, ubi debitio regnat, & quidem tam multiplex debitio, qualem nos apud Deũ semper agnoscere debemus. Ergo nulla sunt merita supererogationis.

2. Mandatur nobis, *ut Deum ex toto corde, totóque animo, & omnibus viribus nostris diligamus, ac proximum nostrum, sicut nosipsos.* Unde efficitur, quicquid ad Dei gloriam, vel ad proximi utilitatẽ, aut salutem facere possumus, id facere nos debere: & proinde nullum verè bonum opus reliquum manere, quod non sub aliquo Dei præcepto reverà comprehendatur. Quid enim tandem excipi potest, quod non verè contineatur sub hac gemina charitate? præsertim prout in novo Testamento utraque plenius explicata est? Quare si omnia pietatis officia ad hæc duo summa capita revocanda sunt, quæ satis cõstat esse juris præceptivi: *nulla* certè restabunt *opera* bona, prorsus *indebita*, quibus excellentius etiam meritum quàm aliis ascribi possit. *Math. 22. 37. Deut. 6. 5.*

3. Philip. 4.8. *omnia cogitare, procurare & facere jubemur, quæcunque sunt vera, honesta, justa, pura, amabilia, & boni nominis: imò si qua virtus, & si quid laude dignũ.* Nihil ergo excogitari ampliùs potest, quod quidem verè bonũ, & Deo gratum sit, quod non facere teneamur: si modò propter speciales caussas & circumstantias id facere queamus. Neq; enim Apostolus hoc loco tantùm *consulit*, sed verè & seriò *præcipit*: sicut ex ipso contextu apparet. Ex quo sequitur nullum dari aut fieri verè opus bonũ, quod non aliquo modo Christianis à Deo mandatum sit. *2. Pet. 1. 5. 6. 7. 8. 9.*

4. Complura sunt sacræ Scripturæ loca, in quibus *omnia nostra Deo & Christo*, ac propter hunc etiam proximo deberi

beri asseritur. Idque partim jure creationis, partim jure redemtionis, &c. Ut 1. Cor. 6. 20. ubi Deum *glorificare* jubemur, *tum in anima, tum in corpore nostro*, quippe quæ Dei propria sint. Ac Luc. 1. 34. 35. Tit. 2. 11. 12 13. 14. 1. Pet. 2. 5. & passim alibi: ubi de *Redemptione nostra* agitur, *per Christum idcirco facta, ut Deo nos perpetuò gratos præstemus*, &c. Unde consequitur, omnes tum animi, tum corporis nostri vires ad cultum Dei sive immediatum, sive mediatum, necessariò impendendas esse: & proinde nihil boni à nobis fieri aut proficisci posse, quod non summo jure Deo & Christo, &c. debeatur. Ex quo efficitur, nulla esse opera verè bona, quæ Deo supererogare possimus.

Ephes. 4. 13. & 5. 1. 2. 1. Pet. 2. 21. & 3. 15. 16. 1. Joh. 2. 6. & 3. 6. 7.

5. Exstant multa præcepta, quibus jubemur *Christum ipsum strenuè imitari, tanquam exemplar perfectissimum à Deo nobis propositum*. Imo quibus jubemur esse *perfectis*, & quidem ita, *uti Pater noster cælestis est perfectus*. Vide Math. 5. 48. Ac Johan. 13. 34. 1. Johan. 3. 11. 16. ita jubemur nos *invicem diligere, uti Christus nos dilexit*: ita scilicet, *ut mortem quoque pro aliis debeamus*, &c. Ex quo patet Christianorum esse, omnia summa facere, hoc est, ad summam perfectionem contendere: & proinde nihil reliquum manere, quod non ad Dei gloriam & proximi salutem facere teneamur, dummodò id facere possimus. Ergo nulla sunt opera supererogationis coram Deo.

6. Habentur contra operum supererogationem ea ipsa loca, ubi *speciatim* ea ipsa, quæ adversarii pro *consiliis* habent, tãquam *vera præcepta* nobis à Spiritu sancto inculcantur. Vide Math. 5. *de hostibus etiam diligendis, & injuriis omnibus tolerandis, &c.* Et cap. 10. 37. *de omnib. & reb. & personis licet alioqui charissimis, propter Christum deserendis.* Vide & Luc. 14. sub finem, ubi Christus negat, *eos esse discipulos suos qui non ex animo renunciãt omnib. quæ habẽt.* Ut hinc obiter intelligas illa, quæ Math. 19. 27. 29. tradit *de facultatib. omnibus vẽdendis*, &c. etiã præceptũ quoddam tum generale, tũ speciale cõtinere. Huc etiam pertinent ea loca, in quibus omnes Christiani nõ modò *facultatibus suis*, sed & *sibiipsis*, hoc est, suæ ipsorum vitæ, imò & voluntati propter Christum renunciare jubentur: adeoque *animas suas*, item, *parentes, fratres, sorores, amicos*, & quicquid in hoc mundo charissimum est, propter eundem Christum *odisse*. Unde conficitur nullum consiliis ejusmodi, qualia Põtificii intelligunt, locum in Christiana perfectione relinqui: quum nulla tanta sit *perfectio moralis* seu *spiritualis*, quæ non omnibus Christianis imperata sit. Math. 10. 37. 38 & 16. 25. Luc. 9. 23. Joh. 12. 25.

7. Postremò sumitur argumentum ex 1. Cor. 9. 18. unde ipsi Pontificii potissimũ *opera supererogationis* elicere solent. Nã Apostolus illic inter alia disertè fatetur, se propter speciales quasdã caussas non modò *voluisse*, sed & *debuisse* gratis Euangeliũ in Achaja prædicare, quod alioqui sine illis caussis apud illos, ut & apud quosvis alios, facere non tenebatur. Imò dum *mercedis* à Christo promissæ ibidem meminit, non *singularem* aliquam, sed *ordinariam* illam mercedem, quæ omnibus fidis operariis promissa est, haud dubiè intelligit. Et hoc tum ex opposita *pœna* denunciatione, nisi hoc fecerit: tum maximè ex similibus exemplis curso- Math. 10. 10.

rum, &c. de quibus agit in fine ejusdē capitis, abundè percipi potest. Unde colligitur ea quoque *opera* interdum fieri *necessaria*, quæ alioqui per se adiaphora sunt. Et propter speciales quasdam rationes, sive incidentes occasiones, ea nobis aliquando speciatim *præcipi*, quæ alias in genere accepta, tanquam adiaphora hominibus tantum *consuluntur*. Ac per consequens nulla esse *supererogationis* opera, quæ quidem verè bona, imò præ aliis coram Deo meritoria sint. Vide plura de hoc argumento in commentariis Petri Martyris ad cap. 9. prioris ad Corinth. ubi hæc quæstio doctè & copiosè tractatur.

Objectiones Pontificia pro operibus supererogationis.

Sed superarrogantiâ tantâ tamque projectâ Romanæ Ecclesiæ doctores laborant, ut pro *Consiliis* & *operibus supererogationis* multa in medium afferāt, quæ apud Bellarminum præcipuè lib. 2. de Monachis cap. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. unum in fasciculum colliguntur. Et *primò* quidem ea definit, quod sint opera Christianæ perfectionis; non quidem omnibus Christianis imperata, sed tamen à Christo demonstrata & iis omnibus, qui ad perfectionem aspirant, amicè consulta.

Hæc igitur *quatuor* modis à præceptis sive operibus ad salutem necessariis differre docet. *Primùm*, ex parte *materiæ*: quæ in consiliis difficilior & longè perfectior sit, quam in præceptis. *Deinde* ex parte *subjecti* recipientis, quod in cōsiliis speciale ac definitum, in præceptis autem universale atque indefinitum sit. *Tertiò* ex parte *formæ*, sive observationis: quæ in consiliis arbitraria, in præceptis autem necessaria sit. *Denique*, ex parte *finis*, itemque *effectus*, qui in consiliis longè excellentior sit, quàm in præceptis, quum illic majus præmium, hîc autem minus spectetur. Talia igitur *consilia* verè à *præceptis Euangelicis* distincta, nobis ab ipso Deo proponi, & quidem sub spe amplioris mercedis, seu præmii, si illa servaverimus, partim ex Scripturis cap. 8. & 9. partim ex *Patribus* cap. 10. & 11. partim denique ex *naturali ratione* cap. 12. probare conatur: de quibus breviter agemus.

1. Ex *Scripturis* citat locum Isaiæ: *Ne dicat Eunuchus, ego sum lignum aridum*, &c. Hic enim de *Eunuchis voluntariis*, non autem *ita natis, aut vi factis* agi videtur. Quibus tamen *ampliorem mercedem* quàm aliis piis ipse Deus ibidem promittit: quippe qui elegerint ea, quæ Deo inprimis placent, &c. Simile quiddam de iisdē Sapientiæ 3. ℣. 13. 14. narrari videtur, &c. Ergo sunt opera supererogationis majus præmium merentia. *Isa. 56. 4.*

2. Profert testimonium Math. 19. ubi de *triplicibus Eunuchis* agitur ℣. 12. & nominatim ii laudantur, qui seipsos *propter regnum Dei castrant*. Hoc est, qui sua sponte perpetuam castitatem vovent, idque ad regnum Dei faciliùs promerendum. Id quod iis omnibus faciendum Christus ipse suadet, qui sermonem hunc capere possunt. Ibidem quoque consulit ADOLESCENTI cuidam, *ut omnia sua vendat in usum pauperum: eiq; hoc nomine thesaurum in cœlo promittit*. At non omnes Christiani, nisi per votum huc sese adstrinxerint, idem facere tenentur. Ergo dantur supererogationis opera. *Vers. 21.*

2. Ad-

3. Adducit 1. Cor. 7. 25. 26. consilium Apostoli, quo suadet *ut cœlibatum conjugio preferamus*. Non modò propter temporales aliquas commoditates: sed etiam propter regnum cœlorum, &c. Sic enim futurum promittit, ut *beatiores* esse possimus, hoc est, beatitudinem æternam faciliùs promereri.

1. Cor. 9. 15. 16. 17. 18. 4. Affert exemplum Apostoli, qui gloriatur de suis operibus supererogationis: *quod* scilicet *Euangelium gratis predicarit*, &c. quodq; eo nomine singulare *premium* præ aliis sit promeritus: quum alioqui facere id non teneretur. Ergo opera supererogationis sunt.

5. Producit verba Apocalyp. 14. 3. *de novo cantico* illorum, qui *virgines* semper fuisse dicuntur, neque unquã cum mulieribus sese polluisse. Qui etiam propterea peculiare hoc canticũ, tanquam signum cujusdam singularis præmii, seu divinæ prærogativæ, cecinisse dicuntur, &c. Ergo merita supererogationis dantur.

Act 2. 34. & 4. 32. 33. 6 Sumit rationem ab *exemplis Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ*, ubi illi & fideles possessiones suas vendidisse, & pretium earum pauperibus dedisse indeque vitã communem ac cœlibem duxisse dicuntur. Quod tamen facere nulla lege jubebantur. Id verò non tã facilè fecissent, nisi Christum ita consuluisse, atque ipsum opus coram Deo valdè meritorium esse credidissent. Simile quiddã Act. 21. 9. de *quatuor filiabus Philippi* Euangelistæ narratur; quæ *virgines ac cœlibes* ideo mansisse videntur, quod ita consuluisset Christus, & majus premium à Deo mereri possent. Ergo vera sunt opera & merita supererogationis.

7. Ex *Patribus, ut Origene, Tertulliano, Eusebio, Basilio*, & quibusdam aliis testimonia citat, quia illi opera supererogationis agnoverint, dum quædam bona opera singulariter præ aliis subinde commendant. Et licet ea non ita disertè præcepta esse fateantur, verè tamen bona, imò aliis etiam bonis operibus excellentiora esse tradunt: quibus scilicet magna & singularia præmia promereamur, sive per modum meriti consequamur. Loca inspiciantur in ipso Bellarmino.

8. Postremò *rationem* hanc naturalẽ adjungit, quod quemadmodum in omni re, sive opere per se bono: sic etiã in Christianismo *duplex sit perfectio*. Altera *necessaria*, quæ simpliciter ad ipsum esse, sive ad essentiam rei pertineat. Altera *arbitraria*, & tantùm necessaria secundùm quid, hoc est, ad bene esse, sive ad majorem rei vel operis dignitatẽ. Exempli gratia: Homo habẽs animã & corpus, est perfectus naturâ ad esse. Si verò formosus, vel probus, aliam habet perfectionem, naturæ ornatum. ITEM: Quemadmodum in Republica duo genera præmiorum sunt constituta, videlicet *ordinaria*, pro uniuscujusque laboribus, ipso alioqui jure debitis: tum *extraordinaria*, pro singularibus quibusdam factis heroicis vel meritis (verbi gratia cujusmodi sunt in militia tũ stipendia ordinaria, tum triumphi, aliique id genus extraordinarii honores, &c.) ita similiter in Ecclesia Christi duplicia præmia, quæ duplicibus item meritis operum bonorum respondeant, omnino statuenda esse videntur.

Cæterùm ad hæc argumenta respõderi Solutio.

deri potest, ut facilè nullius ponderis esse appareat. Quod enim ad dicta Scripturæ attinet, præterquam quod in plerisq; argumentis inde ductis vel ignoratio Elenchi, vel fallacia figuræ dictionis, vel compositionis & consequentis occultatur, reverà etiam impertinenter omnia ad hanc quæstioné producuntur: ut & suprà in nostrorum argumentorum commemoratione ostendimus.
1. Nam partim hoc tantùm in iis asseritur, esse quædam *consilia* de rebus adiaphoris, *à præceptis* in specie sic dictis aliquatenus distincta: id quod nos minimè inficiamur.
2. Partim verò in genere tradunt, esse quædam opera per se *adiaphora* seu *indebita*: quæ tamen aliquando per accidens, respectu specialium caussarum, & Deo grata & hominibus salutaria sint: id quod itidem ultrò fatemur. At neutrum horum in controversia est: quippe in qua tantũ de operibus moraliter bonis, & per se Deo gratis, imò coram Deo meritoriis scilicet & tamen simpliciter indebitis, agatur.

Cœlibatus & virginitas indifferens est.

Ad *priorem* igitur ordinem pertinét ea loca, quæ in *secundo & tertio*, itemq; *sexto* argumento citantur, quatenus ibi cœlibatus præ conjugio eligendus esse suadetur.

Ad *posteriorem* referenda sunt ea loca, quæ in *quarto* & *sexto* argumento, de singulari promptitudine & zelo, tum Apostoli Pauli, tum Ecclesiæ primitivæ afferuntur.

In *primo* autem & *quinto* argumento, itemque parte *secundi* vera præcepta pro consiliis adducuntur, sicut ex ipsa locorum inspectione & consideratione accuratiore patet. Nam Isa. 56. 4. non de *spontaneis*, sed de *natis* seu *factis eunuchis* agitur: iisque sub novi Testamenti statu, dummodò pietatem coluerint locus honestus in Ecclesia promittitur, & talis quidem locus, qualem in veteri Testamento habere non poterant, obstante nimirum lege illa ceremoniali, quæ *eunuchos & spadones, uti & spurios, &c.* ab omni Ecclesiæ ministerio excludebat: de qua Deut. 23. videre est. Similiter etsi liber Sapientiæ apocryphus est, tamen cap. 3. 13. 14. de eunuchis ejusdem generis agitur, deq; operibus eorum *non indebitis*, sed *verè præceptis*. Sic Math. 19. 15. 21. *Adolescenti illi reverà præcipitur*, non autem tantùm consulitur, ut omnia sua vendat. Nempe quia propter certas caussas huic juveni externum illud opus necessarium tunc erat, quod aliis alioqui in genere & per se adiaphorum est: etsi internus affectus omnibus est necessarius.

Denique Apoc. 14. 3. *generatim de veris Christianis*, qui tropicè virgines, ob castum Dei cultum, vocantur, omnino disseritur. Confer in 2. Cor. 11. de Epitheto virginum.

Supererogatio ut à Patribus vetustis intelligatur.

Verùm *ad dicta Patrũ*, quod attinet, ea juxta distinctiones jam allatas commodè explicari possunt ac debent. Nã SUPEREROGATIO, quâ opus aliquod ex consilio ultra impletionem legis totius divinæ Deo gratum sit ac meritorium, veteribus ignota fuit. Quamvis enim dicant virginitatem supra debitum offerri, & supra leges esse: & multos ipsa superare mandata, plusq; impendere obsequio, quàm acceperant præcepto, tamen ita legem impleri, ut non simus prævaricatores, aut singulare præmium vitæ æternæ promereamur,

mur, non dicunt. Volunt igitur supererogationem fieri, non quod officium aliquod præstari possit ultra legem moralem integram, ac meritorium supra modum fieri: sed quod sit tamen ex singulari Dei gratia.

1. *Primò*, ultra negativam partem. CHRYSOSTOMUS homil. 8. in Roman. 4. *Non furari*, inquit, *aut non occidere cujuslibet esse posit*: CREDERE *verò, posse Deū, quæ aliàs impoßibilia sunt, sublimi quodam animo opus habet, vehementer erga Deum affecto. Generosæ quippe dilectionis hoc signum est. Honorat quidem & ille Deū, qui præcepta illius implet: verùm hoc multò magis, qui per fidem philosophatur.* Ac postea: *Ille quidem Deo obedivit: hic illum vehementiùs glorificat.*

2. *Secundò*, ultra actus externos. Idem Chrysostomus hom 3. in 1. Cor, statuit Philosophos supererogationem habuisse. *Nónne*, inquit, *præcepta ejus adeò levia sunt, ut multi philosophica tantùm ratione illa excesserint?*

3. *Tertiò*, ultra unum aliquod mandatum. AUGUSTINUS serm. 18. de verbis Apost. *Ambierunt*, inquit, *virgines illam majorem pulchritudinem cordis sui. Quid jubes? Ne adultera simus, hoc præcipis? Amando, te plus facimus, quàm jubes: scilicet hoc mandato.*

4. *Postremò*, ultra mandatum cæteris hominibus commune. AUGUSTINUS de opere Monachorum cap. 5. *Ampliùs erogabat Apostolus Paulus, qui suis, ut ipse testatur, stipendiis militabat.* OPTATUS lib. 6. cōtra Parmenianū. *Virginitas*, inquit, *voluntatis res est, non neceßitatis.* Sic & alii Patres virginitatem vel cœlibatum supra legem ponunt, id est, supra ordinariam observationem legis

1. Cor. 9. Act. 2. 33.

inter cæteros Christianos usitatæ & vulgatæ, quæ est: *Non est bonum hominem esse solum, faciam ei adjutorium, quod sit coram eo. Ideò derelinquet unusquisque patrem ac matrem suam, & adhærebit uxori suæ, eruntque caro una.* Gen 2. 18. 24. Math. 19. Supra hanc igitur legem virginitatem extulerunt, quia putabant esse statum Angelicum ὑπερβολικῶς, non δογματικῶς & κατηγορικῶς.

ATHANASIUS tamen virginitatem extra consilia in *præceptis* posuit lib. de incarnatione verbi, dicens: *Quis hominem vel post mortem, vel in vita auctor servandæ* VIRGINITATIS *fuit?* Et paulò post: *Attamen noster Salvator & omnium* Rex CHRISTUS, *tantùm valuit* IN HUJUSMODI PRÆCEPTIS, *ut pueri nondum maturi legem disciplinæ, virginitatem quæ supra leges est, profiteantur.* Et in Apologia ad Constantinum: *Nusquam*, inquit, *alibi sanctum illud & cæleste æterna* VIRGINITATIS MANDATUM *feliciter adimpletur, nisi duntaxat apud nos Christianos.* Sed in hoc Athanasius, quoad præceptum, ex imbecillitate humana est hallucinatus. Ac ipse & alii Patres, si aliter quàm Scriptura sacra tota hac de re senserunt, adversus veritatem præscribere non possunt. Qua de caussa ipsi dicta, & testimonia sua examinari ad normam sacræ Scripturæ volunt, & catenus recipi tātùm, quatenus analogiæ fidei & Propheticis atq; Apostolicis scriptis congruunt. *Patribus ut credendū.* Videre hoc est apud Augustin. ad Crescentium, lib. 2. cap. 32. & Chrysostomus in Psal. 95. Nam ille: *Ego hujus epistola auctoritate*, inquit, *non teneor, quod literas Cypriani non ut Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero. Et quæ in*

in divinarum Scripturarum auctoritati cõgruit, cum laude ejus accipio: quod autem non congruit, cum pace ejus respuo. Hic: *Si quid*, ait, *dicatur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat.*

Ratio in divinis sub obedientiã fidei captivanda est. *Rom.* 10. 7. *Deus.* 12. 32. *Isa.* 19. 13. *Math.* 15. 9.

Denique *naturalis ratio* in hoc negotio fidei ac cultus divini sub obsequiũ verbi divini religenda est, præsertim quum nulla sit identitas, ac ne quidem affinitas inter Christianismum & politica hominum instituta, inter quę divina præmia & humana. *Illic* enim omnes ad eandem perfectionem vocantur, & si qua est imperfectio, ea fidelibus ex gratia condonatur, ut habetur Isa. 42. 7 8. Math 9. 20. & denique omnia præmia, præsertim æternæ salutis, ex GRATIA, non ex merito conferuntur. Tit. 3 4 5. Ephes. 2. 4. 5 6. 7. 8 9. 10. Rom. 3. 24. 28. Rom. 11. 6. Rom. 5. 17. *Hic* verò perfectio varia requiritur, pro statuum & vocationum varietate, nec juris remissio facilè locum habet: & deniq; alii alios sibi verè & propriè demereri solent.

In summa: nec sacra Scriptura, nec Patres probati, nec ratio sana docet, esse quædam opera supererogationis, quibus licet alioquin indebitis, excellentiora quædam præmia, vulgò fidelium denegata, promereri possint.

Pontificii Theologi supererogationem improbant.

Quin supererogatio, quæ hodie docetur, & nimis diu in Ecclesia radices egit, aliqua ex parte à non postremis Theologis ipsorum Pontificiorum improbata est. ANSELMUS de conceptione virginis Mariæ, cap. 21. scribit: Nullus potest reddere quantum debet. Solus Christus reddidit pro omnibus, qui salvantur, plus quàm debetur. THOMAS Aquinas in 2. 2. quæst. 184. art. 3. vult perfectionem consistere essentialiter in observatione mandatorum, & instrumentaliter in observatione consiliorum. In quam sententiam allegat dictum Abbatis Mosis: *Jejunia, vigilia, &c. non sunt perfectio, sed perfectionis instrumenta, quia in ipsis non consistit disciplinæ illius finis, sed per illa pervenitur ad finem.* *Collect. c. 7.*

Neve ad reprimendas has opinionis de operum supererogatione cristas Lectori pio quid desit, legat eruditissimam de eadem tractationem CHRISTOPHORI PAZELII, in refutatione Cathechismi Jesuitici à pagina 551. usque ad calcem, & Mathæi SUTLIVII Angli de Monachorum institutis & moribus capite 4. & 10. 11 12. 13. 14 15.

C. Quia quorund. est Joh. 22. de verbo sig.

Hinc JOHANNES XXII. Papa sententiam Franciscanorũ, *quod Christus habuerit simplicem usum facti, & quod in eo esset posita Euangelica perfectio, hæreticam esse statuit.*

Persuasio de impletione legis hæretica.

Nec reticendus est fons præsumptionis de operũ supererogatione. Est is persuasio Monachorum & similium apud Papistas, *legem à se perfectè impleri posse*, ut etiam de eo glorientur, ac se ex operibus legis justos esse jactent. Hîc verus est Pharisaismus, ut ex parte tota secunda cap. 5. ad Mathæum, & Romanos 2. ac 3. constat. Papistæ adhuc longiùs prolabuntur. Nec enim de *possibilitate* tantùm gloriantur, sed FACILEM etiam in hac vita arbitrantur (Catechismus Romanus fol. 337. Johannes Cochlæus in artic. 8. August. Confess.) quin ita levem ac facilem, ut homo, qui sit alacrior, adhibitâ mediocri diligentiâ, *supererogare etiam possit*

sit(uti diximus) hoc est, non solùm perfectâ obedientiâ mandata Dei implere, verùm juxta illud Pelagianum: *Non deest, qui impleat sed deest, qui jubeat plura,* etiam præstantiora, sublimiora, difficiliora atque sanctiora præstare opera, quàm lex præscribat, possit. Unde Conradus Wetter dixit: *Plura non facere, quàm Deus præcepit, est servum inutilem esse.* Concil. Trident. sess. 6. cap. 18. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini justificato esse ad observandum impossibilia, anathema sit.*

Sotus Assertion. Cathol. de lege. Bellarm. lib. 4. de justif. cap. 13. Conradus Wetter contra Jacobum Andreæ pag. 91.

BELLARMINUS lib. 4. de justif. cap. 10. *Opera,* inquit, *justificatorum non modò verè & propriè justa, Deóque grata sunt: sed etiam adeò perfecta, nullísque peccatis inquinata ut ipsi justi legem Dei perfectè per hæc implere censendi sint.*

Totum hoc est in Christum, ejúsq; meritum sanctissimum, & Euangeliũ inprimis, contumeliosum. Si enim in nostratum virium facultate positum erat, legem Dei implere, quid opus erat Christum Dei Filium *mitti in carnẽ & fieri victimam, ut legi subiret,* debitámque Patri obedientiam in ea perfectè præstanda exolveret? Sic ex una parte depugnat contra Papisticam impletionem legis Christi victima & obedientia.

Rom. 8. Gal. 2. & 4. Act. 15.

Ex altera parte dimicat adversus illam nostra infirmitas & impotentia. Nam lex Dei non absolvitur exteriore obedientia aut disciplina, quam aliquo modo potest præstare homo etiã non renatus: nec qualicunque interiori conatu voluntatis: sed requirit ardentissimos motus, munditiem cordis, integritatem naturæ, & perfectissimam non modò exteriorem, verùm etiam interiorem omnium virtutum hominis obedientiam ex toto corde, ex tota anima, tota mente, adeoq; ex omnib. exteriorib. & interrorib., superiorib., inferioribus virib. potentiis, facultatib., partibusq; totius hominis, erga omnia & singula mandata Dei. Hîc autem fatiscunt & languescunt omniũ hominum, quantumvis sanctorum vires & facultates, ut cum Apostolo *carnis imbecillitatem & intelligentiam pravã, quæ inimicitia est adversus Deum,* agnoscamus, *impotentiam legis, quæ nihil potest in carne, deploremus,* eosque *qui in carne sunt, Deo placere non posse,* profiteamur & defleamus. *Lex enim spiritualis est, nos omnes carnales sumus,* teste Apostolo, *& venditi sub peccatum.* Et quoad vivimus, peccati legem in membris nostris sentimus, *ut Deum non eâ, quâ debemus, dilectione prosequamur, & quod volumus bonum,* non perficiamus. Imò nullus peccator implet legem Dei. Omnis homo est peccator. Ergo nullus homo implet legem Dei. Ubi *assumptio* est Apostolorum Rom. 3. 10. 10. 12. 1. Joh. 1. 8. Christi Math. 6. 12. & Davidis Psal. 14. 3. & 51. 7. *Propositio* similiter Apostoli, dicentis: *Peccatum est transgressio legis.* Quicunque autem transgreditur legem, non potest dici legem implere. At omnes & singuli homines, excepto Christo, legem Dei transgrediuntur. Ergo nemo hominum potest dici legẽ Dei implere, excepto Christo, Heb. 4. 15. Unde & Augustinus: *Quum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frenetur, non omnino ex tota anima Deus diligitur. Tunc quum nulla erit lex in membris, ex toto corde diligimus Deum.* Et Chrysostomus: *Lex jubet omnia fieri,*

Deut. 6. 1. Math. 22. 37. Luc. 10. 27. Math. 5. 20.

Rom. 8. 3. 6. 7. 8.

Rom. 7. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

1. Joh. 3. 4.

De perfecta justitia.

Ad cap. 2. epist. Rom.

quæ in ipsa scripta sunt, ac non facientem punit. Omnes igitur illi mortui sumus, eò quod NULLUS EAM IMPLET.

Impossibilia quomodo Deus nō præcipiat.

Ad dictum verò, quod Tridentini in desperatæ suæ caussæ prætextum ex Hieronymo arripiunt, *Deum impossibilia non præcipere*, Hieronymus ipse, quum sibi objiceretur, simpliciter respondit: *Sunt impossibilia naturæ, sed possibilia gratiæ.* Gratiam autem dextrè oportet interpreteris, non de hac tantùm, quæ voluntatem sanat, & ad obedientiam legalem instruit: sed eam inprimis, quæ quod in præceptis Domini non servatur, gratis condonat. Sic explicat epist. 15. ad Hieronymum Augustinus, cujus non minùs pia, quàm elegans est sententia: *Tunc tota lex impletur, quando quicquid non fit, ignoscitur.* Idem: *Firmißimè tene*, inquit, *posse quidem hominem, quem nec ignorantia literarum, nec aliqua prohibet imbecillitas, vel adversitas, verba Legis & Euāgelii sive legere, sive ex ore cujusque prædicatoris audire, sed divinis mandatis obedire* NEMINEM *posse, nisi quem Deus gratiâ suâ prævenerit, ut quod audit corpore, corde etiam percipiat, & accepta divinitùs bona voluntate atque virtute, mandata Dei facere & velit & posit, &c.*

De fide ad Pet. c. 31.

3. justitiam in legis operibus quærendo Papistas sicut Pharisæos fieri hæreticos.

Pro *posteriore* quod nimirum Papistæ instar Pharisæorum, pro exploratis hæreticis à veteri orthodoxa Ecclesia habitorum, *justitiam in Lege quærant* & ponant, testimonium ferunt plurimi Romanę Ecclesię doctores ac theologi.

Primùm enim *Legi* quoq; *naturæ* vim justificandi inesse, non pudet ipsos dicere ac docere. Nam sub tenebris anteactæ ætatis fuit Bartholomæus Latomus, qui contendit in suis Scriptis: *Abrahamum* (quem ante legem per Mosem latam vixisse constat) *non aliam de Christo doctrinam habuisse, quàm Socrates, Plato & alii Ethnici habuerunt.* Atqui hi solam habuere legē naturæ. Ergo si Abraham (ut Scriptura testatur) justificatus est tantum lege naturæ, justificatum esse oportet. Ac quamvis fidei mentionem faciat Scriptura, quâ Abrahamus sit justificatus: tamē si de sententia Latomi, Abrahamus non aliam doctrinam quam Ethnici illi habuit, fidem illam quâ justificatus est, legem tantummodo naturæ, quam solam Ethnici illi habuêre, fuisse necesse est. Sed apertè convincitur Latomi sententia Rom. 4. 2. 3. ac per totum totius epistolæ ad Romanos statum, ut & ejus ad Gallatas.

Gen 15. Rom. 4. 3. Gal 3. Jacob. 2.

Nihilominus permulti Papistæ sentiunt & loquuntur: *Ante Mosen justificatos fuisse homines lege* NATURÆ: *sub Mose & post Mosem lege Mosis: in novo Testamento salvari & justificari eos lege Euangelicâ*, quæ observationem operum legis Mosaicæ præcipiat, ut sequetur postea.

Schleidanus lib. 23.

In concilio Tridentino Monachus Franciscanus Tridenti publicè concionatus est, *Gentiles qui vitam honestam duxerint, etiā sine cognitione Christi* (id est, Lege sola naturæ) *servatos esse, & hanc esse genuinam Pauli sententiam in epistola ad Romanos, capite secundo.* Qua de re Theologi protestantium, qui à suis Magistratibus ad concilium missi fuerant, ad Cæsaris Oratores ac Legatos sunt conquesti.

Jacobus Payva Andradius, qui non minus interfuit ei concilio & postea Decretorū ejus interpres ac patronus est

est factus, judicat (ut & alibi monuimus) Philosophos Ethnicos eâ, quam ex Philosophia habuêre cognitione salutem consequutos. Eam cognitionem appellat fidem, quâ sint salvi facti. Quo minùs mirari possumus, etiam Latomum per doctrinam Ethnicorum subintellexisse fidem Abrahami: ut supra ostensum. Verba ANDRADII sunt: *Nullum dubium est, fidem necessariam esse ad justitiam, & vitam æternam. Justus enim ex fide vivet. Illa verò fides & vera Dei cognitio ad justitiam & salutem æternam, non tantum ex sacris literis divinisq́; oraculis, sed ex iis etiam rebus, quæ sensibus subjiciuntur, haberi potest.* Hæc Andradius. Ergo satis manifestum, Papistas etiam in observatione operum Legis naturæ justitiam atque salutem collocare.

Habac. 2. 4.

DEINDE audaciùs justitiam in observatione & impletione Legis Mosaicæ quærunt atque ponunt, non aliter ac Pharisæos fecisse cõstat. Eccius in Enchiridio huc torquet illud Christi: *Si vis ingredi vitam, serva mandata.* Math. 19. 17. quæ nempe Mosis lege præcipiuntur, ut ibi versu 18. Dominus ipse ea recenset. Idem dictum Concilium Tridentinũ Sess. 6. c. 7. huc transfert.

PETRUS CANISIUS in Catech. ait: *Justitiam Christianam esse facere legem, declinare à peccato, & facere officium justitiæ.* fol. 47. censura Colon. 147. Eandem sententiam esse Jesuitarum penè omnium, Helias Hasenmüllerus refert in Historia ordinis Jesuitici, cap. 9. art. de Justificatione.

Idem Bell. lib. 4. de Justif. cap. 10.

Censura Coloniensis: *Misericordia Dei,* inquit, *in qua nostra omnium salus consistit, hac est, quòd Deus rectè operantibus, hoc est, Legem implentibus vitam æternam promiserit.* pag. 26. Hinc omnium sententia huc recidit: Opera pertinent ad Legem. Papistæ volunt justificari per opera. Ergo per Legem.

Debetur huic hæresi singulare studium prolixæ confutationis quia fundamentum ipsum fidei Christianę turpissimè & confidentissimè lacerat ac destruit. Sed ante oculos tantùm habebimus accuratissimam & exactissimam tractationem Apostoli Pauli in Epistola ad Rom. & Galatas, ubi insignem doctrinam de justificatione hominis peccatoris coram Deo gratis, absque operibus Legis propter unius Christi Mediatoris obedientiam & satisfactionem solâ fide apprehensam pulcherrimè & jucundissimè tradit atque inculcat. *Refutatio.*

Indicat is disertè, verbum *justificare* esse prorsus forense. Et est justificari Apostolo, cœlestis JUDICIS sententiâ absolutum à condemnatione & reum pro justo haberi ac pronunciari. Quod patet ex antithesi *justificationis & condemnationis*, quam ille instituit Rom. 8. 33. *Quis intentabit crimina adversus* ELECTOS *Dei? Deus est, qui justificat. Quis est qui condemnet?* Idem ex antithesi Deut. 25. 1. 1. Reg. 8. 22. Proverb. 17. 15. Isa. 5. 23. Math. 12. 37. discitur. *Justificare verbum forense.*

Dicit verò Apostolus, *dupliciter* tantummodo hominem justificari. NIMIRUM, vel *sua justitia*, id est, ex operibus seu ex LEGE. Ut Rom. 2. 13. *Factores*, inquit, LEGIS *justificabuntur*: subintellige, si qui sunt. Hæc justitia Legalis dicitur. Vel *aliena*, videlicet Christi. Hæc justitia Euangelica nuncupatur. Et fidei Christum apprehendenti tribuitur Rom. 5. 19. *Fide justificamur.*

Justificari ex lege & operibus nemo potest.

Jam *ex operibus justificari vel ex Lege*, non significat, ut Adversarii sentiunt, justitiæ habitum ex operibus justis secundum Legem factis acquirere, vel justum fieri ex operibus. Sed justum judicari & pronuntiari propter obedientiam Legi præstitam. Seu operibus justificari dicitur is, qui eâ est vitæ puritate & sanctitate in cogitationibus, dictis & factis, ut testimonium perfectè observatæ legis divinæ, ac justitiæ inhærentis & præstitæ apud Dei tribunal inveniatur.

Hoc modo nemini mortalium vel hominum justitiam contingere, ac proinde etiam neminẽ justificari docet Apostolus. Age igitur, ipsum in Epistolis suis argumentantem audiamus, exordio ab epistola ad Romanos facto.

1. Ex epistola ad Romanos argumenta

1. Argumentum peti potest à differentia Euangelii & Legis, Rom. 1. ỽ. 26. sic: *Si solum Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, tum non Lex. At solum Euangelium est potentia Dei, &c. Ergo minimè lex.*

Ex Apostolo constat tàm *Proposito* quàm *Assumptio*. Ille enim hîc Euangelio tribuit τὸ δυνατὸν, vocans Euangelicum δύναμιν ad salutem credenti. Legi autem tribuit τὸ ἀδύνατον Rom. 8. 9. dicens: *Nam Legis impotentia quum nihil posset, &c.* Potẽs verò & impotens, δυνατὸν καὶ ἀδύνατον sunt ἀντιφατικὰ & contradictoria. Quum igitur Lex impotens sit (videlicet propter ἀσθένειαν & impotentiam) in negotio salutis & justitiæ perficiendo, Euangelium autem potens, consequitur Legem justificare non posse.

Rom 8. 3

2. Argumentum petitur ex Rom. 1. ỽ. 17. sic. *Si justitia quæ coram Deo valet, patefit per Euangelium ex fide in fidem, tum non per Legem ex operibus. Verum primum. Verum igitur & secundum.*

3. Sumitur rursus ex cap. 1. Rom. 7. ita. *Justus vivit ex fide. Lex operum non est ex fide.* Gal. 3. ỽ. 12. *Ergo justus ex lege operum non vivit.*

4 Ducitur ex Rom. 2. ỽ. 12. *Omnes sine lege & in lege peccantes pereunt, atque damnantur. Omnes homines sine Lege & in lege peccant* Rom. 3. 10. 11. 12. 13. 14 15. 16. 17. & 23. *Ergo omnes homines sine lege & in lege pereunt atq; damnantur, non justificantur.* *Rom. 5. 12.*

5. Ex Rom. 3 ỽ. 19. *Quod totum mundum coram Deo obnoxium facit condemnationis, id non facit quenquam justum, vel neminem justificat. At Lex totum mundum coram Deo obnoxium facit condemnationis. Ergo lex neminem justum facit:* vel *neminem justificat.*

6. Ex Eodẽ versu: *Quod omnium hominum ora obturat, justitia gloriam nemini relinquit, & neminem justificat. Lex omnium ora obturat. Ergo Lex justitiæ gloriam nemini relinquit, & neminẽ justificat.*

7. Ex versu 21. Rom. 3. *Illud sine quo justitia ipsa obtingit, non potest esse caussa justitiæ.* Ea enim est natura caussarum συνεκτικῶν, ut absque iis effecta non extent. *At sine lege justitia obtingit*, teste Apostolo, Rom. 3. 21. *Ergo lex non potest esse caussa justitiæ.*

8. Ex ỽ. 20. & 28. ejusdẽ cap. *Duæ contradictoria propositiones de una & eadẽ re nõ possunt simul esse vera. Lex justificat, & lex nõ justificat, sunt duæ propositiones contradictoria. Ergo duæ hæ propositiones, lex justificat, & lex non justificat, simul vera esse non possunt.*

Ex his autem vera est negativa, quia est Apostoli dicentis: *Ex operibus legis non*

Rom 3.20. & 28. *non justificatur omnis caro,* Item: *Concludimus igitur fide justificari hominem absque operibus legis.* Ergo affirmativa huic à Papistis opposita, necessariò falsa sit oportet.

9. Iterùm è ℣. 20. capitis ejusdem: *Unde est peccati agnitio* ἐπίγνωσις, *inde non est peccati* ἄφεσις, *remissio & absolutio. Ex lege est peccati* ἐπίγνωσις, *agnitio. Igitur ex lege nō est peccati* ἄφεσις, *remissio & absolutio.*

Lev 18.5. Deut. 27. 26. Gal. 3.10. 10. Ex ℣. 24. *Quod habetur gratis, non acquiritur ex Lege.* Promissiones enim legis non sunt gratuitæ, sed conditionem præstandorum operum, & qui servet eam perfectè salvum futurum, qui non faciat opera & perfectè eam præstet, maledictum fore, annexam habet. Quorum *illud* à nemine fieri potest, juxta testimonia Proverb. 20. 9. 1. Reg. 8. 46. Psal. 143. 2. Rom. 7. 21. Philip. 3. 12. *Hoc* ergo nisi sit remissio per Christum, ratum fieri debet pro Dei justitia severa: secundum dicta Jacob 2. 10 Gal. 3. 10. Rom. 4. 15. 2. Corinth. 3. 7. Rom. 7. 5. 7. Jam assumo: *Justitia vel justificatio nostra habetur gratis,* δωρεὰν τῇ χάριτι τοῦ θεοῦ, testante Apostolo Rom. 3. 24. Id est, exclusis operibus, non modò fidem antecedentibus, sed consequentibus. Item: Ex gratuito dono & liberalibate atque misericordia, vel clementia. Huic consentiunt loca Rom. 4. 16. *Propterea ex fide est hæreditas, ut sit per gratiam.* Et 11. 6. *Quod si per gratiam, jam non ex operibus: alioquin gratia, nō esset gratia* &c. Hinc concludo: *Ergo justitia vel justificatio nostra non obtingit ex lege.*

11. Ex cap. 3. ℣. 9. *Lex neminem justificat, qui peccatis est obnoxius.* Nam perfectam observationem ἀναμαρτήτως & ad unguem exigit, Deut. 6. 1. Math. 22. 37. Luc. 10. 27. *Omnes homines ad unum peccatis sunt obnoxii,* ut Scriptura sacra Prov. 20. 9. 1. Reg. 8. 46. Psal. 13. & 17. 2. & 35. 26 Rom. 3. 9. 10. 11. 12. 13. 14. &c. testatur. *Ergo lex neminem justificat.*

12. Ex Rom. 4. ℣. 3. 4. *Hominis justificati est gratuita justitia imputatio. A lege non potest proficisci gratuita justitia imputatio. Ergo quoque à lege non potest proficisci justificatio.*

ASSUMPTIONEM sic probamus. Lex enim non in imputata acquiescit justitia, sed requirit inhærentem, habitualem & actualem justitiam. Nec quicquam tribuit secundùm gratiam, sed secundùm debitum & mercedem, ut Apostolus Rom. 4. ℣. 3. 4. 5. 6. asserit, unde & Major illustratur atque demonstratur.

13. Ex eodem cap. ℣. 11. *Sigillum justitiæ non est ejusdem caussa.* Differunt enim τὸ αἴτιον & τὸ σημεῖον, ut prius & posterius. *Lex operum & ceremoniarum justificatis est justitiæ sigillum. Ergo non est justitiæ caussa.*

14. Ex ℣. 13. *Quod absque conditione servandæ legis promittitur, absque lege, similiter acquiritur. Hæreditas & justitia absque legis conditione promittitur. Ergo hæreditas & justitia similiter absque lege acquiritur.*

15. Ex ℣. 14. *Si ex lege obtingit hæreditas, irrita fit fides & promissio. At non fit irrita fides & promissio universo semini.* Testatur hoc Apostolus ℣. 16. inquiens: *Propterea ex fide est hæreditas, ut sit per gratiam, ut firma sit promissio toti semini, &c. Ergo ex lege non obtingit hæreditas.*

16. Rursum ex ℣. 16. *Si firma debet esse universo semini salutis promissio, non potest ea pendere ex lege & operibus.* Si enim

pro-

32. Ex ℣.15.17. *Testamento comprobato & recepto nihil potest aut debet addi. Prima Dei promissio, quæ affert justificationem absque conditione legis, est testamentum Ergo huic Testamento nihil addi potest aut debet.*

33. *Si data fuisset lex, quæ posset justificare, verè ex lege esset justitia: At non data est lex, quæ possit justificare. Ergo non est verè justitia ex lege.*

34. *Quod est pædagogia ad justificationem, non est caussa justificationis. Lex est pædagogia ad justificationem. Ergo lex non est caussa justificationis.*

35. Ex Gal.4.℣.24. *Quod generat ad servitutem, non justificat. Justificatio enim est libertas* à peccato, & à servitute peccati quædam quasi manumissio. *Lex autem generat in servitutem. Ergo lex non justificat.*

36. Ex Gal.5.2.4. *Qui per legem quærunt justitiam, excidunt à gratia, & Christum amittunt. Papistæ per legem quærunt justitiam. Ergo Papistæ excidunt à gratia, & Christum amittunt.*

Plura ex eadem epistola congerere liceret: sed his contentus, ea aliquanto fusiùs percensui, ut adversariorum pervicacia magis patesceret, quod & tam luculentis Apostoli argumentis ac testimoniis in tam clara luce recalcitrare erubescunt, & Christo in Apostolo loquenti. 2.Cor.13.3. contradicere quàm credere malint.

Quum autem plurimum referat probè certum fieri, nos è contra propter Christum fide apprehensum absolvi à peccato, nunc etiam id planum faciemus, & Deo juvante comprobabimus.

Justificari ex fide per Christum gratis sine operibus omnes possunt.

Fide enim justificari in sacra Scriptura is dicitur, qui sua, id est, operum justitiâ destitutus & exclusus, alienam, id est, Christi justitiam per fidem apprehendit, quâ vestitus, in Dei conspectu non ut peccator, sed tanquam justus ἄμωμ☉ & ἀνέγκλητ☉ coram Dei tribunali comparet.

Justificatio quid sit.

Nam justificatio non est Spiritus S. donatio, regeneratio, seu novæ qualitatis infusio, justitiæve acquisitio: aut si Philosophicè loquendum sit, non μεταβολὴ, seu motus ad justitiam acquirendam. Quemadmodum vult Bellarminus lib.2. de Justificat. cap.2. esse motum ab injustitia ad justitiam, seu ab expulsione peccati inhærentis per succedentem virtutis infusionem, sicut quando in motibus physicis una qualitas expellitur, altera introducitur. Sed *Justificatio* est sententia Judicis cœlestis, quâ credenti & fide Christi meritum apprehendenti propter hoc ex mera sua gratia non imputat peccatum ad mortem, sed imputat justitiam Christi in Euangelio oblatam, ad suam gloriam & vitam æternam.

Justificationis caussa.

Caussa justificationis hujus efficiẽs est Non Homo sive à se, sive ab alio symbolum conferens. Nam in actu justificationis tantùm subjectivè & παθητικῶς sese homo habet. Sed Deus, qui obedientiam Christi homini peccatori credenti acceptam fert. Stat enim illud Jehovæ Isa.43.25. *Ego sum, qui deleo prævaricationes tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Quod Axioma Theologicum, tanquam verum, Scribæ Judæorum, aliàs suis operibus nimis tribuentes, etiam agnoverunt, ac propterea dixerunt: *Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?* Et Apostolus: *Sed credit in Deum, qui justificat impium,* id est,

Efficiens.

Marc.2.7.

Rom 4.5.

est, eum, qui in sese impius est, justum censet in Christo. Similiter cap. 8 ℣. 33. *Deus est*, inquit, *qui justificat, quis est, qui condemnet?*

Adjuvans. Caussa συνεργὸς & cooperans justificationis est Christus, qui merito & obedientia sua justificationem nobis acquisivit, testante Apostolo Rom. 5. 9. *Justificati sumus sanguine ipsius.* Et 2. Corinth. 5. 1. *Reconciliati sumus per ipsum.* Et Rom. 3 24. 25. *Justificamur per redemptionem factam per* JESUM CHRISTUM. *Quem proposuit Deus placamen per fidem fuso sanguine suo, ad declarandam justitiam suam per remissionem* precedentium peccatorum.

Materialis seu meritoria. Ideo caussa Meritoria seu MATERIALIS nostræ justificationis non est fides, non charitas nostra, non opera neque merita nostra, vel Sanctorum, non passiones, non Sacramenta: SED *Christus* cum sua justitia. Nec principaliter tantùm, cujusque opera seu merita minùs principaliter vel secundariò, sed SOLUS CHRISTUS in solidum, & quidem quatenus fide apprehenditur. Cui testimonium quoque fert sanctus Petrus, dicens: *Ut qui sciatis, vos non caducis rebus, argento, vel auro fuisse redemptos ex vana vestra conversatione, ex Patrum traditionibus accepta* (illorum scilicet de quibus dicitur Ezech. 20. 18. *In statutis Patrum vestrorum ne ambuletis, & jura illorum ne observetis*) *sed* PRETIOSO SANGUINE, *utpote Agni immaculati & incõtaminati*, nempe *Christi*. Quodãmodo etiam Johan. Baptista digito Christum monstrans, ait: *Ecce* AGNUS *Dei, qui tollit peccatum mundi.* (1. Pet. 1. 18.)

Antecedens vel praeveniens. Caussa verò προηγουμένη & præcedens non est futurorum bonorum operum aut fidei provisio, nec præsentium æstimatio, sed SOLA DEI GRATIA. Non illa gratis data aut infusa, sive fides, sive charitas: Sed GRATIA GRATIS DANS, hoc est, Dei benevolentia seu εὐδοκία & erga nos homines amor & misericordia. Quod sex argumentorum generibus evincitur. (Ephes. 1. 9. Tit. 3. 4.)

I. Ex *Etymo Hebræo.* Chanan enim significat gratificari, vel ex gratia dare, & sæpè jungitur cum verbo miserendi. Unde interpretes frequenter vertunt misericordiam, ubi in Hebræo est gratia. Exod. 33. 19. ait Deus: *Gratiosus ero, cui fuero gratiosus.* Quod ita reddit Apostolus Rom. 9. 15. ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, *miserebor, cujuscunque misertus fuero.* Genes. 6 8 dicitur de Noa, quod *invenerit gratiam in oculis Domini*: idque *per fidem*, interpretante auctore epistolæ ad Hebræos cap. 11. 7. Vide etiam Daniel. 9 18. Psal. 56. 1.

II. *Ex conjugatis*: χάρις, χαρίζομαι, χαριτόω, *gratificor, condono, gratis acceptũ fero.* Vide Luc. 7. 42. 2 Cor. 2. 10. & 12. 13. Ephes. 1. 6. & 4. 32. Col. 2. 13 & 3. 13. Absurdus est Stapletonus, verbum χαριτοῦν Ephes. 1. 6. exponens: *Multis gratiarum donis replevit*: nimirum ante jacta mundi fundamenta: in Antidotis Rom. 3 pag 97.

III. Ex συνωνυμίᾳ. Nam justificatio & salvatio tribuitur in Scriptura *gratiæ* Dei in Christo. Rom 3. 24. *Justificantur gratis δωρεὰν*, id est, exclusis operibus, non modò fidem antecedẽtibus, sed consequentibus, seu ex gratuito dono ac liberalitate. Ephes. 2. *Gratia estis servati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est.* Alibi ascribitur Dei *misericordia*

cordia, Psalm.51.1. Math.15.22.&18.33. Rom.9.18. & *benignitati* sive bonitati, τῇ χρηστότητι καὶ φιλανθρωπίᾳ Tit.3.4.5. Ac enunciatur admodum ἐμφατικῶς: *Non ex operibus justitia, qua fecimus nos, sed ex sua misericordia salvavit nos.* Et postea ℣.7. *ut justificati illius gratiâ.*

IV. *Ex oppositione.* Nam gratia Dei in articulo justificationis opponitur legi operibus, debito, merito, Rom.3. 20.24.& 6 14.15. *Non estis sub lege, sed sub gratia. Quid igitur: Peccabimus, quod non simus sub lege, sed sub gratia? Absit* Ac Rom.11.6. *Quod si per gratiam non jam ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Si ex operibus, jam non est gratia. Alioquin opus jam non est opus.* Gal.2.16. *Scientes non justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem* JESU CHRISTI, *etiam nos in Christum Jesum credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis, propterea quod non justificabitur ex operibus legis ulla caro.* Idem Gal.3.℣.11.12.21. 22.23.24 docet. Quæ oppositio pessimè habet Adversarios.

V. *Ab effectis istius gratiæ.* Gal.1.15. *Deus vocavit me per suam gratiam,* inquit Paulus. Atqui vocatio est divinæ misericordiæ opus, 2.Tim.1.9. Sic 1.Cor.15. 10. *Gratia Dei sum id, quod sum.* Confer 1.Tim.1.16. Inprimis insignis locus est Heb.4.℣.ult. *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut accipiamus misericordiã, & inveniamus gratiam ad auxilium opportunum.* Thronus gratiæ dicitur, id est, misericordiæ, ut colligitur ex ℣.14.15. & quia conjunguntur gratia ac misericordia. Denique fit mentio auxilii opportuni. Atque auxilium nostrum à Deo est misericordi & benigno, Psalmo 123.

VI. Sacræ literæ accuratissimè solent distinguere inter *gratiam Dei,* qua justificamur, & inter *dona gratiæ,* vel *per gratiam collata,* quæ justificationem sequuntur. Non itaque confundi debet caussa cum effectu, ut & alibi monuimus. Plura vide apud Balthasarum Menzerum in disputatione 5 contra. Joh. Pistorii tessaradecadem de Duce seductorum Christianorum.

Organica est multiplex. I. Externæ tres: Harũ *prima* est annuntians & offerens beneficium justificationis, nempe vox Euangelii, Rom.1.16. *Justitia enim Dei per illud patefit ex fide in fidem.* Hinc dicitur *sermo vitæ* Act.5.20. *Verbum salutis* Act13.62. *Verbum & Ministerium reconciliationis,* 2.Cor.5.18. *Secunda* ὑπηρέται & administri ac testes, non autem ἔμποροι venditores sunt Ministri Ecclesiæ & Doctores, juxta dicta Joh.20. 23.1.Tim.4.16. *Attende tibiipsi & doctrinæ, persiste in ipsis: id enim si feceris, & teipsum servabis, & alios, qui te audiunt.* Roman.10.17. *Tertia* sunt Sacramenta, alterum quidem initiationis, alterum redemptionis & confirmationis, ut Rom.4.11. Et accepit circumcisionẽ sigillum justitiæ fidei. Item 1. Cor.11. 23.24. *Accepit Jesus panem,* &c. Ac Tit.3.5. *Servavit nos per lavacrum regenerationis & renovationem Spiritus sancti, &c.* *Instrumens alia.*

II. *Interna duo:* 1. Spiritus sanctus, de quo 1.Cor.6.1. *Justificati estis per Spiritum Dei in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Et Ephes.1.13. *In quo etiam postquam credidistis, obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis.* Rom.8.16. *Quotquot enim Spiritu Dei ducuntur, ii sunt filii Dei.*

2. FIDES, quæ est ὄργανον ληπτικὸν

instrumentum à Deo datum, & quasi minus apprehendens & recipiens oblatam justificationis gratiam Nã Paulus Rom.3.28. *Colligimus igitur* FIDE *justificari hominem absque operibus legis.* Sic passim Gal.2.16. Ephes.2.8. Rom.3 30. & 4.5.13. & 5.1. & 6. 8.11. & 10. 4.9.10. 11. Luc.7.50. Johan.3.16.&c. *Per fidem, ex fide, fide,*&c. Item: *Credenti, qui credit,* &c.

Non tamen justificamur fide sua dignitate, seu merito: nec quâ opus seu nova qualitas; nec vi aut efficacia justificandi à charitate desumpta: nec propterea quod charitatem sibi adjunctam habeat, aut per eam operetur: nec quia Spiritum Christi participat, quo justus credens reddatur, quia non in nobis, sed in Christo jubemur justitiam quærere. SED quod oblatam in Euangelio & ex Euãgelio justitiam Christi recipit & amplectitur veluti manus. Roman.1.16.17. *Revelatur justitia Dei ex fide in fidem.* Nam quoad justificationem, res est merè passiva fides, nihil adferens nostrum ad conciliãdam Dei gratiam, sed à Christo accipiens & apprehendens, quod nobis deest.

Imputari fides ad justitiam ut dicatur. Rom.4.3. 4.5.

Imputari autem *fides in justitiam* dicitur in sacris Scripturis: Idque non absolutè, sed relativè; quando videlicet fides non solâ, sed cum objecto suo CRUCIFIXO intelligitur. Ut Rom. 3.22. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes credentes.* Et versu 25. *Per fidem in sanguine Christi.* Quibus locis fidei vox per Metonymiam continentis pro re contenta Christum crucifixum intelligit & designat, sed fide apprehensum. Hoc sensu *fides Abrahami imputata est ei ad justitiam. Et fides cuilibet credenti imputatur ad justitiam,* Id est, Christus crucifixus apprehensus fide censetur nostra justitia. Censetur, inquam, à Deo è tribunali suo sententiam justitiæ pronunciante.

Rom 4.9.

Quemadmodum igitur manus, quę recipit thesaurum donatum, non ditat, sed *thesaurus*: Sic nec fidei opus, vel actio nos justificat, sed ipse Christus, quem fide apprehendimus.

Imputatio & imputare quid sit.

Et hoc est, quod Theologi orthodoxi *primò* veram verbi *imputare* significationem ex ipso Apostolo Rom.4. ỿ.3.4 5. &c. eruunt. Ac inveniunt & dicunt, Apostolum *duplicem* facere imputationem. Unam secundùm debitum: *alteram* secundùm gratiam: ut illa respiciat opera & legem: hæc fidem & Euangelium.

Secundum debitum.

Imputatio secundùm debitum est, cujus fundamentum est in ipso operante, cui fit imputatio. Id quod sic Paulus effatur Rom.4.4. *Ei, qui operatur, merces imputatur ex debito:* Ubi ex relato inter mercedem & opera, & merces imputatur propter opera.

Secundum gratiam.

Imputatio secundùm gratiam est, cujus fundamentum non est in eo, cui fit imputatio, sed in gratia & misericordia vel benevolentia Dei justificantis impium ac peccatorem. Id Paulus ita effert Rom.4.5. *Ei, qui non operatur, sed credit, qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitia.* Unde etiam vocatur imputatio fidei.

Ad justificationem itaque hominis peccatoris coram Deo pertinet *imputatio secundùm gratiam,* dicente Apostolo: Non secundùm debitum, sed *ex gratia*, vel secundùm gratiam *imputari fidem pro justitia,* non operanti, sed *credenti.*

Et

Et definitur ea imputatio fidei Psal. 32. ✻. 1. *Remissio iniquitatum, & tectio peccatorum, & non imputatio peccati.* Ut etiam ipse sanctus Paulus Rom. 4. ✻. 7. 8. interpretatur.

Unde Orthodoxi rectè colligunt: In credentibus non hęrent fundamentum ejus gratuitæ imputationis, sed contrarium reperiri fundamentum, nempe damnationis, si Deus vellet judicare secundùm rigorem justitiæ: nimirum peccatum, quod proinde obtegendum est. Illam imputationem esse relationem, scilicet Dei ex gratuita misericordia propter Christum credentibus & fidem in hunc habentibus peccata non imputantis, sed imputantis illis Christi justitiam. Quumque Deus neminem justificet sine justitia: quæ in hominibus (qui universi sunt peccatores, & destituuntur gloriâ Dei) nulla reperitur: fundamentum in Christo quærendum est, qui pro nobis legi subjectus, eam perfectissimè implevit. Gal. 4. 4. 5. factus à Deo nobis justitia 1 Cor. 1. 30. *ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*, 2. Cor. 5. 21. Isai. 45. 24. *In Domino mihi sunt justitia.* Vetus interpres habet: *In Domino dicet, meæ sunt justitiæ, incommodiore versione.* Et ✻. 25. *In Jehova vel Domino justificabitur & laudabitur omne semen Israël.*

Rom. 3. 10. 23. & 5. 11.

Deinde Theologi orthodoxi dicunt, nos justificari fide correlativè, & ratione objecti fidem imputari in justitiam. Quæ assertio inde manifesta est, quod apud Paulum Rom. 3. 27. 28. opponitur hæc Enunciatio, *Fide sumus justi*, propositioni huic, *justificamur ex operibus*, tanquam contradictoriæ. Quare ex natura contradictionis perspicuum est, non justificari quemquā fide in quantum est opus, sed in quantum Christi meritum apprehendit & includit.

Sive autem fides instrumentum, sive conditio, aut caussa sine qua non, justificationis appelletur: item sive apprehendendi, sive impetrandi, aut disponendi aut simili aliquo verbo, *modus* justificationis exprimatur, de eo parùm sollicitos esse convenit, modò sensus pius sit & verbo Dei consentaneus: nempe qualem modò ante à delineavimus.

Solam fidem justificare.

Et si fide dicimur justificari, intelligendum est *sola* id *fide* fieri. Nam justificamur gratis propter Mediatorem Christum solum, non propter nostra aliqua merita vel opera donamur remissione peccatorū & reconciliatione, quia nullo alio medio, quam fide, non autem ullis operibus, Christum atque ejus meritum appehendimus & nobis applicamus. Christus enim solus est *μεσίτης mediator, ἱλαστὴρ recōciliator & propitiator, ac λύτρον, pretium pro peccatis nostris.* 1. Tim. 2. 5. *Unus mediator Dei & hominum homo Jesus Christus. Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris.* Heb. 8. 6. *Christus melioris Testamenti Mediator est* Heb. 9. 15. *novi Testamenti Mediator.* Et cap. 12. 24 Gal. 3. 20. Math. 20. 28. *ut daret animam suam λύτρον pretium & satisfactionem pro multis.*

Non igitur excludit bona opera & alias virtutes in renatis exclusiva par icula *sola*: sed ne virtutes & bona opera sint *λύτρον*, hoc est, pretium redemptionis pro peccatis nostris. Alioquin bona opera tàm externa quàm interna fides requirit. Paulus enim

Opera bona fides exigit & parit.

Rom.3.31.ait *per fidem Legem stabiliri, non abrogari*. Ac Christus Joh.15.12.&13.34. Hoc est mandatū meum, ut diligatis vos mutuo. Ac Rom.8.12. *Debitores sumus Dei, non carnis*. Et Ephes.4.1. jubet, ut dignè ambulemus vocatione, qua vocati sumus. 1. Thess. 4.3.4.5.6. fusè utramque caussam complectitur, hoc est, Deum præcipientem bona opera facere, & vocationis nostræ rationem. Fines autem illorum sunt, non justificatio & vitæ æternæ vel regni cœlorum meritum atque adeptio, sed alii quinque.

1. Ut obediamus Deo, & eum honoremus pia nostra conversatione 1. Sam.15.22. Math.5.16.

2. Ut proximis nostris operibus juvemus. Hos.6.7. Math.9.13 & 12.17. Gal. 6.1.2.3.9.

3. Ut extent fidei nostræ certa signa ac testimonia. Non debet enim esse mortua & ociosa, sed bonis operibus efficax & fructifera. Math.7.17.

4. Ut vitemus pœnas, quas Dominus malè operantib. comminatur. Psal. 38.12. Propter iniquitates corripit homines. Nec simpliciter malè operantibus, sed bona negligentibus. Math.25.35. *Sitivi, & non dedistis mihi*, &c. Math. 7.21.

5. Ut Spiritum sanctum habitantem in nobis retineamus. Ephes. 4.30. *Ne contristetis Spiritum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemptionis*. Hi veri sunt fines bonorum operum, non autem ut merito eorum apud Deum justificemur.

Atqui pollicetur sanè Deus bona opera facientibus mercedem & beneficia tam præsentis quàm futuræ vitæ Psalm. 84 1. Tim.4.8. Math.5.12. & 10.24. & 19.21. Sed non sub cōditione operum, quæ ipsa nobis procurent illa beneficia, sed quæ ostēdant & arguant tanquam effecta notiora nobis, participes nos esse conditionis illius, quæ est in fœdere gratiæ, quaque sola impleta procurantur illa beneficia, nec ut debita, sed ut gratuita præmia rependuntur.

Hinc MERITUM apud veteres non est condignitas boni operis ad mercedem & justicationem coram Dei tribunali potiundā, sed est ipsum bonum opus Deo placens, & gratum non ex se & dignitate sua, sed dignatione divina, vel gratuitâ acceptatione per Christum. Et ita nominatur apud Doctores veteres bonum opus MERITUM, ut bene agendum magis incitemur. Hoc fatetur *Bellarminus* lib. 3. de gratia & libero arbitrio cap.12. Et *meriti* nomen sic accipiendum esse, inde apparet, quod omnia *gratiæ* in solidum tribuunt veteres. Bernhardus serm.61. in Cantic. *Meritum meum miseratio Domini*. Et meritum propriè acceptum opponunt gratiæ. Idem serm. 67. in Cant. *Non est, quò gratia intret, ubi meritum occupavit*. Et serm.68. *Sufficit ad meritum, scire quod non sufficiat meritum*. Ergo opera gratiæ merita sunt per metaphoram, non propriè, quia sunt dona Dei: ut vita æterna est merces, non propriè, sed per Metaphoram. In hanc sentētiam BERNHARDUS sermone 1. de Annunciatione docet, merita revera non mereri. *Neque*, inquit, *talia sunt hominum merita, ut propter ea* VITA ÆTERNA DEBEATUR EX JURE: *aut Deus aliquam injuriam faceret, nisi*

Meritum operum q ale.

nisi eam donaret. Nam ut taceam, quod merita omnia omnino Dei dona sunt, & ita homo magis propter ipsa Deo debitor est, quàm Deus homini: quid sunt merita omnia ad tantam gloriam? Et distributio præmiorum gratia est, non merces meriti. Nam FULGENTIUS: *Gratia etiam ipsa*, inquit, *ideo non injustè dicitur, quia non solùm donis suis Deus dona sua reddit, & quia etiam ibi tantùm gratia divina retributionis exuberat, ut incomparabiliter & ineffabiliter omne meritum, quamvis bona & ex Deo data voluntatis atque operationis excedat.*

Ad Mon. lib. 1. c. 10.

Objectio.

Eludunt hæc Adversarii, eò, quod dicunt, *saltem tribuere Christi meritum operibus nostris vim & efficaciam, ut promereatur Dei gratiam & favorem.* RESPONDEMUS: Promeritus est Christus nobis justificationem, regenerationem & vitam æternam, ac perfectissimum est ejus opus & beneficium. Verùm ut nos ipsi mereamur, vel minimũ aliquod beneficium, nedum maxima & excellentissima illa, meritus non est. Derogaretur enim meræ Dei gratiæ & merito Christi, si nos ullo pacto in communionem meriti veniremus cum ipso. Quare Paulus ita sejungit opera & gratiam, ut positis operibus negaverit gratiam, quod absurdũ quoad homines operibus confidentes & Apostolo occasionem præbentes. Nam: *Operanti*, inquit, *merces non imputatur ex gratia, sed ex debito.* Correctionis ergo mox subjungit: *Ei verò, qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitia.* Ac alibi docet, eam esse discordiam inter *opera*, quæ isti dicunt meritoria, & *gratiam*, ut ex his uno posito, alterum statim perimatur. Sed satius esse opera cedere & interire, quàm gratiam. Etenim: *Lex*, inquit, *præterea introiit, ut augeretur peccatum, vel ostensa. Sed ubi auctum est peccatum, superabundavit gratia. Ut quemadmodum regnaverat peccatum in mortem* (vide quid efficiant opera legis, nedum humanarum traditionum) *ita etiã gratia regnaret per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.* Ergo gratia operibus longissimè & plurimum præstari ac opera ei meritissimo cedere debent. Ad hæc: *Quod si per gratiam*, inquit, *jam non ex operibus, alioqui gratia non esset gratia. Sin ex operibus, jam non est gratia, alioquin opus jam non est opus.* Jam anteà autem decîdit controversiam, utrum ex iis antecellat, ac ait: *Scimus autem, quod quæcunque lex dicit, iis, qui in lege sunt, dicat, ut omne os obstruatur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei. Propterea ex operibus legis nulla caro justificabitur in conspectu ejus. Per legem enim agnitio peccati. Nunc verò absq; lege justitia Dei manifestata est, comprobata testimonio legis ac Prophetarum. Justitia*, inquam, *Dei per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt. Non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt & destituuntur gloria Dei. Justificantur autem* GRATIS, *id est, ejus* GRATIA *per redemptionem factam per Jesum Christum.* Ac paulò post: *Ubi igitur gloriatio? Exclusa est. Per quam legem? Operum? Non. Imò per legem* FIDEI. *Colligimus igitur,* FIDE *justificari hominem absque operibus legis.*

Rom. 1. 17. Gal. 2. 21. Math. 6. 24. Rom. 4. 4.

Rom. 5. 20. 21. & 11. 6.

Rom 3. 19. 20, 21.

Versu 22. 23. 24.

Versu 27. 28.

Idem dicẽdum de MERITO Christi & nostro: Quum enim meritũ Christi & gratia simul necessariò consistant, MERITUM Christi & NOSTRUM simul cohærere nõ possunt Math. 6. 4.

Jure

Jure igitur SCOTUS in 1. sent. d. 17. q. 2. censet, *Opera non habere proportionem cum vita æterna, & ideo acceptari ad mercedem ex gratia*, nempe ut suprà Bernhardus exposuit.

Excit. l. 9. Et Nic. CUSANUS: *Notabis*, inquit, *quod* MORS CHRISTI SOLA *potuit* MERERI VITAM ÆTERNAM, *quia consummata mors meretur vitam immortalem. Alii omnes Martyres non merentur ex sua morte vitam æternam, quia omnis alia mors cujuscunque est citra maximã & in infinitum distat à morte consummata: quæ* SOLA *est* MERITORIA *vitæ maxima, scilicet æterna.*

Objectio alia. Instant Adversarii objicientes locum Apostoli Jacobi 2. 21. &c. ubi Abrahamum & Rachabã dicat justificatam fuisse operibus, & tandem inferat. ℣. 24. *videtis igitur quod ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantùm.* RESPONDEMUS, id ab Apostolo fieri, quia non de caussa agit, sed de effectu, ex quo justificatio agnosci possit. Nam *Versu 21.* *quum obtulisset Abraham Isaacum filium suum super altare, ex operibus justificatus est* (inquit) hoc est, compertus est fuisse justificatus etiam anteà per fidem, idque *ex operibus tanquam testimoniis justificationis*. Et sic homo renatus, vel fidelis ac credens in Christum justificatur, id est, comprobatur esse illa persona, quæ Christi obedientia & justitia justificatur, ex vitæ sanctificatione, qua tanquam effectus illam sequitur, & de illa testatur. Quomodo etiam Deus dicitur in extremo illo die justificaturus electos suos ex ipsorum operibus. Nam duo sunt principia rerum, unum *Existentiæ*, alterum *Cognitionis*. Ita fides ut principium Existentiæ facit, ut simus justi: Opera autem ut principium Cognitionis faciunt, ut cognoscamur justi. Ideo Dominus in extremo judicio proponet principium cognitionis justitiæ fidei, quod incurret in oculos omnium creaturarum, ut ipse ait: *Venite benedicti Patris mei*, &c. Math. 25. 34.

Deinde Jacobus non disputat contra doctrinam Pauli de *justificatione fidei*, sed cõtra opinionem Pseudo Christianorum, quibus fides quidem perpetuò in ore est, nullis verò bonis operibus eam probant & ostendunt. Jacobus ergo negat fidem operibus destitutam nomen fidei mereri, nedum justificare. Atque negationem suam innuit ℣. 18. scribens: *Ostende mihi fidem tuam absque operibus.* Sententia est: Nõ poteris absque operibus probare, te fide præditum esse, ac proinde fides, quã jactas, fides non est. Huic negationi subjicit Apostolus per Prolepsin objectionem eorum, contra quos disputat, dicentium: At credimus Deum esse: Ergo fidem justificantem habemus. Hanc igitur objectionem Jacobus antevertit & elidit concedendo antecedens, negando autem consequens, & confirmando negationem exemplo pari dæmoniorum. Concedo, inquit, te credere: sed nego te fide justificanti præditum esse: quum & ipsa dæmonia idem credant, quæ tantum abest, ut hac fide serventur, ut potiùs percellantur.

Hinc ℣. 20. largitur adversariis fidẽ toties jactatam, ut nominent, sed fidẽ mortuam, id est, fidem non συνωνύμως univocè & propriè, sed ὁμωνύμως, æquivocè sic dictam, qua ratione cadaver

vet homo dicitur. Quo simili versu ultimo capitis utitur.

Tandem ℣.21.ad caput caussæ accedit,& exemplo Abrahami docet, nos non otiosa illa & sterili seu mortua, quæ solâ linguâ commendatur,sed actuosa hac,quæ operibus se probat,fide justificari. Concludit itaque hoc enthymemate:

Versu 24.

Abraham justificatus est ex operibus,

Ergo ex operibus justificatur homo,& non ex fide tantùm.

Antecedens est ℣.21. Et confirmatur singulari Abrahæ facto: quod Hebræos 11. ℣.17. inter præstantissima fidei effecta numeratur. ℣.22. caussam proximam facti Abrahæ, quo justus à Deo filium unigenitum oblaturus erat,exponit,quæ fuit fides viva. Unde generale axioma Apostolus deducit: Fides justificãs *per bona opera*,q̃bus probatur,ac hominibus intuenda & imitanda proponitur, perficitur.

Versu 23. concludit exemplum Abrahæ,accommodans id ad locũ Gen. 15.6.& ostendens,Abrahæ non fidem otiosam & operibus nudã,mortuámque,sed eam,quæ offerendo Isaaco sese exseruit, imputatam fuisse ad justitiam.

Per metonymiam effecti, quâ effectum, scilicet, opera,pro caussa,id est, fide caussa sua efficiente ponuntur.

Unde constat, Apostolum ℣.21.22. 24.25. voce operum metonymicè intelligere fidem,bonorum operum matrẽ. Nam pro æquipollentibus accipit hasce: *Abraham justificatus est operibus* ℣. 21.Et: *Abrahamo fides imputata est,*℣.23. Rom.4.3. *ad justitiam.* Qua posteriore enunciatione Paulus,ut videre est Roman.4.& Gal.3.justitiam operum,quã urgebant hypocritæ,penitus convellit & prosternit.

Ergo, testantibus Apostolis,& quidem uno ore testantibus, justitia imputatur non operibus,sed *fidei,nec fidei mortua & otiosæ, sed actuosa* isti, quæ in Scriptura metonymicè nomen operũ sortitur. Facessant igitur *Sophistæ*, qui opera bona propriè sic dicta, caussas justificationis & salutis fingunt: quum potiùs sint fructus & documentum fidei justificantis. Facessant itidem Pseudoeuangelici,fidem ejusmodi somniãtes,quæ omni virtute bonorum operũ producendorum destituitur. Quum Scriptura ei demum fidei justitiam tribuat,quæ bonis operibus sese conspiciendam præbet.

Hinc etiam ruit vana illa JUSTIFICATIONIS in primam & secundam distinctio. Quorum *illa* remissione peccatorum & reditu in gratiam cum Deo,& inhærente in nobis qualitate ita definitur,ut ejus caussa efficiẽs principalis statuatur gratia Dei,máterialis Christi meritum,instrumentalis fides cum spe & charitate conjuncta. *Hac* verò prioris istius conservatione, augmento, continuatione, perfectione,ac deniq; salutis adoptione & possessione per nostra opera describitur, ut ea omnia & singula merito operum, in statu gratiæ & ex gratia factorum, tribuantur. Nam contra è Scripturis divinis *una justificatio*,quâ fidei veræ,vivæ & per charitatem ac bona opera efficacis est,*discitur*. Ac ubicunque operibus bonis salus & vita æterna tribuitur,ibi *metonymia effecti*, quâ opera fidei justificantis & servantis effecta,pro fide perpetuò usurpantur, intelligi ac designari solet.

Distinctio justificationis in primam & secundam, falsa est.

FINIS justificationis gratuitæ primus

Justificationis caussa finalis. 1. Cor.1.29. mus & summus respectu Dei, est ipsius GLORIA. *Ut qui gloriatur, in Domino glorietur.* Quod & Ephes.1.6.18.& 2.9.& 1.Pet.2.9.confirmatur.

2. Proximus respectu nostri est *consolatio nostra pax conscientiæ, certitudo salutis, ipsaq; salus & vita æterna.* Rom.5.1. 10.& 19.21.& 8.32.33.Rom.5.24.5.& 8. 35.

Effecta & adjuncta. ADJUNCTA & effecta justificationis præter jam dicta, sunt. I. Donatio Spiritus sancti Rom.8.15. *Accepistis Spiritum adoptionis,* &c. II. Sanctificatio & nova obedientia, Rom.6.12. *Permanebimúsne in peccato, ut gratia auctior fiat? Absit. Ne regnet igitur peccatum in mortali vestro corpore.* III. πληροφορία adeptionis, *quod simus filii Dei,* Rom.8.16. IV. Certitudo gratiæ præsentis, & futuræ perseverantiæ, Rom.5.2. V. Gloriatio de spe gloriæ Dei & de vita æterna, Roman.5.4.& 8.35. VI. Εὐθυμία, patientia & gloriatio in afflictionibus, Rom. 5.5.

Impietas Papistarũ in fine & effectis justificationis. Refutantur ergo hic impia Papistarum dogmata. 1. *Quod* fides vera possit separari à dilectione, & sic justificatio à sanctificatione. 2 *Quod* nemo de sua fide & justificatione certus esse possit absque revelatione speciali. 3. *Quod* nemo certò sentiat se moveri à Spiritu sancto, ut justum seu justificatum. 4. *Quod* justificati per peccata & lapsus possint totaliter excidere gratiâ & perire. 5. *Quod* de perseverantia in fide nemo certus esse possit. 6. *Quod* de vita æterna nunquam certò sit statuendum, sed semper hæsitandum: quæ omnia abnegationem extremi articuli fidei important: *Credo vitam æternam.*

Objectiones plures Papistarum & earum refutationes vide in scriptis nostrorum editis

CAP. VIII.

In imaginum cultu Pontificios hæresi Anthropomorphitarum, Audianorum, Simonianorum, Basilidianorum, Carpocratianorum, Gnosticorũ, Armenianorum, Montanistarum & Staurolatrarum atque Ethnicorum studere.

DE variis etiam hæresibus veterum circa imaginum cultum antiqui Scriptores multa literis memoriæque prodiderunt, quas Pontificii ad amussim exprimunt.

Anthropomorphitæ Deo corpus humanum, figurâ formatum & membris articulatum tribuerunt: teste Isidoro & Thoma Aquinate libro 1. contra Gent.cap.21. Hoc autem non etiam fit à Pontificiis, qui Deum Patrem formâ cani senis: Filium formâ juvenis, Spiritum sanctum formâ columbæ, artubus ac membris tam humanis quàm columbinis eisdem attributis effingũt? Nec defenduntur locis Scripturæ, quibus illos speciem & formam externam quandoque assumpsisse dicantur, Daniel 7.& Math.3. Directè enim Deut.4. 16. Isa.40.25. Exod.20 4. confutantur: quum Deus sui imaginem vel similitudinẽ nullam ab hominibus fieri velit. *1. Antropomorphitæ.*

Audiani, ut ait Augustinus, *cogitatione carnali Deum fingebant similitudinem hominis corruptibilis:* Papistæ verò & Deo Patri & Filio & Spiritui sancto similitudines affingunt corporeas, & in templis spectandas ac colendas proponũt. *2. Audiani. Hæres 50.*

Simo-

3. *Simoniani.* *Simoniani* referente Edero Babylonio pag.5. imaginem colebant Simonis & Silenas, quorum hæresin sequuti sunt.

Sic religiosorum *ordines Pontificii*, nempe, *Dominicani, Franciscani & cæteri*, imagines illorum hominum, qui primi auctores ordinum exstiterunt, ut *Dominici, Francisci, Claræ & reliquorum*, colere solent.

4. *Basilidiani.* *Basilidiani* imagines ac simulachra colebant, & incantationes quasdam atque invocationes adhibebant. Testis est Irenæus lib. 1. cap. 23. dicens: *Utuntur autem & imaginibus & incantationibus & invocationibus*. Num hoc ipsum non faciũt Pōtificii? Utũtur certè imaginib. & ad cultum, & ad exercismos, & ad incantationes. Nuper etiam edidit Hieronymus Menglius volumen exercismorum, atque id Minoritarum Generalis approbavit.

5. *Carpocratiani.* *Carpocrates* pictas quasdam imagines in pretio habebat, tum aliorum, tũ Christi, authore Irenæo lib. 1. cap. 24. qui scribit: *Etiam imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes, formam Christi factam à Pilato illo in tēpore, quo fuit Jesus in hominibus.* Sic Christum Pontificii & pingunt & sculpunt, & ejus formam à Luca Euangelista pictam fuisse tradunt. *Secta Carpocratis*, inquit Augustin. hæres. 7 *fuisse traditur socia Marcellina, quæ colebat imagines Jesu & Pauli, &c. adorando, incensumq; ponendo.* Nónne igitur & Papistæ imagines illas colunt adorando & thus incendendo.

6. *Gnostici.* *Gnostici* imagines Christi, Apostolorum, Aristotelis, Pythagoræ, Homeri & aliorum depictas colebant & adorabant, teste Irenæo & Epiphanio ac Theatro Theodori Zuingeri Basiliēsis fol. 124. At ab hac ceremonia & culpa minimè abhorrere Pontificios, praxis totius religionis ipsorum prodit atque probat.

Armenii & Jacobitæ crucem Domini Christi venerabantur, ac proinde *σαυρολάτραι* dicti sunt, teste Euthymio in Panoplia. Et Nicephorus lib. 18. cap. 53. de Jacobitis seu Armeniis ait: *Imagines etiam Patris & Spiritus sancti effigiant.* 7. *Armenii & Jacobitæ.*

Nec minùs inter *Montanistas* Hæreses hanc quoque Tertullianus in libro de anima & corona militis recenset, quod *crucis signo in adoratione ac cultu utendum docuerit Montanus* & ejus complices. Horum vestigiis insistentes Papistæ, cruci signo plurimum & maximum honorem in omni religione impendunt, 8. *Montanistæ.*

Similiter Johannes Damascenus eos heræseos condemnat, *qui colebant imagines Christi, beatæ virginis & Sanctorum*, ut Gentes idola, Hæresi 16.

Ac si illum Simonianorũ, Basilidianorum, Carpocratianorum, Gnosticorum, Armeniorum, Jacobitarum, Audianorum deniq; Montanistarum, consuetudines ac superstitiones, veteris Ecclsiæ Doctores ac fideles orthodoxi hæreticā cōsuevêre, ac pro hęsibus damnavêre, non possunt Pontificii excusari, & ab hæresi immunes dici, quorum hac in re similia studia, instituta, facta, ritus, consuetudines, moresq; re ita sese exserunt, ut gravior & insanior illorum culpa esse videatur ac deprehendatur. Quod quum eruditissimè & fusissimè pbet Christoph. Pezelius in Refut. Catechis. Jesuit. à

pag. 201. usque ad 232. Rodolphus Hospinianus Tigurinus in lib. 2. de origine erroris circa res ad Templa pertinentes à capite 10. usque ad 22. adjectâ argumentorum & objectionum Papicolorum refutatione, ergo hoc labore hic supersedeo.

Excusatio cultus imaginum cõmunis & trita.

Unum hoc perquàm necessarium explicare paucis non prætermittam. Ut idololatræ, & hæretici veteres simulachra & imagines colere negabant, sed tantùm se intueri effigiem ejus rei dicebant, quam colere deberent, de quo Augustinus in Psalm. 113. concione 2. Sic Pontificii idololatræ & hæretici respondent, se non ipsas statuas & imagines adorare, sed personas quarum hæ statuæ atque imagines sint, & quarum nominibus honoreque consecrantur. Sed illos utrinque licet Lactantii Firmiani verbis lib. 2. cap. 3. refutare, quibus ait: *Cur igitur oculos in cœlos non tollitis? Cur ad parietes, & ligna, & lapides spectatis? Quid sibi templa, quid aræ? quid denique ipsa simulachra volunt, quæ aut mortuorum, aut absentium sunt monimenta?* plura seqq. cap. de ista hæresi lege.

CAP. IX.

Veterum Anomorum hæresi, obedientiam Legis respuenti, Pontificios conspurcatos esse.

AUgent hanc hæresin in imaginum cultu religioso Papistæ *Anomorum* hæresi, quam itidem sequuntur & defendunt, quum multa contra Legem Dei & faciant & doceant. *Annomi* enim (qualis fuit Eunomius) Græcè dicti sunt, quia contra Legem Dei multa docuêre, ac in summa statuêre, *Legis divinæ obedientiam non necessariam esse.*

Tam exactè autem Anomorum hæresi respondent Papistæ, primum in *genere*, deinde in *specie* Legi Dei sese adversos atque immorigeros præbeant. Imò magis quam Anomi contra Legem divinam agant.

I. Transgressionem legis parvidunt Papistæ.

In genere hisce Legi repugnant. Dicunt. *Non omnia esse verè & propriè peccata quæ Lege Dei arguuntur. Pronunciant enim falsum esse axioma, Quicquid legi Dei repugnat, peccatum esse.* Censura Coloniensi, fol. 46.

Addunt fol. 194. *Quædam peccata contra quæ Lex tonat & fulminat, adeo sunt in se & per se levia, ut factores nec sordidos, nec malos, nec impios, nec Deo exosos reddere poßint.*

Deut. 6. 2. Math. 22. 37. Levit 18. 5. Rom. 10. 5. Gal. 3. 12. Deut. 27. 26. Jac. 2. 10. Gal. 3. 10. Rom. 5. 23.

Sed hæc ipsa Legis divinæ descriptio refutat. Nam Lex Dei est doctrina, præcipiens omnibus obedientiam omnium Dei mandatorum perfectam interiorem & exteriorem in rebus sanctissimis & justissimis. Ac vitam æternam promittit sub conditione, si homines omnia fecerint, maledictionem verò & pœnas temporales atque æternas minatur, si vel in minimo defecerint.

Pergunt tamen, & quod sine stupore legi atque audiri nequit, & sentiunt: *Cum verò alia multa, quæ voce Legis quidem nõ arguuntur, & tamen sunt multò graviora & damnabiliora peccata, quàm illa quæ legi Dei repugnant, scilicet quæ committuntur contra traditiones humanas, contra receptos abusus & inveteratos errores.* Censura Coloniensis fol. 309. Unde colligitur omnino pluris Papistas facere

cere Traditiones ac Decreta, quæ Papæ & Paparum ministri eructant, quā Dei mandata. At à Christo disertè redarguuntur, dicente: *Frustrà me colunt, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum. Nam omisso mandato Dei tenetur traditiones hominum*. Marc. 7. 7. 8.

Tam confidentes tamen etiam sunt Papistæ, ut negando misericordiam Dei, quâ Christus ad implendam pro nobis legem, nosque à maledictione ejus redimendos datus nobis est, potiùs eam esse misericordiam Dei in Christo statuunt, quod ipsimet legi satisfacere, suisq; ie illis operibus satisfactionum salutem promereantur. Nam dicunt: *Misericordia Dei in Christo, quàm Euangelium celebrat, in qua nostra omnium vita & salus consistit, hæc est: quod Deus addidit legi promissionem, qui fecerit hæc, vivet in eis.* Levit. 18. 5. Gal. 3. 12. Ac sententiam illam: *In sola Dei misericordia cōsistit nostra omnium salus*, ita explicant: *Summa fuit Dei misericordia, ut rectè operantibus vitam æternam promitteret*, &c.

Fol. 26.

Rom. 7. 10. Verùm refelluntur ab Apostolo, testante: *Inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse, mortem*. Et idē, legem adeò non posse impleri à nobis, nobisque vitam efficere ait, ut dicat: *Legem irā operari, ac ministerium esse mortis & damnationis*. Ergo misericordia potiùs Dei est in Christo, quod nobis legem perfectè præstare non valentibus Christum donavit, *qui nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio*, Gal. 3. 13. Hinc Apostolus Gal. 3. 11. *Quod autem per legem nullus justificetur apud Deum, manifestum est. Siquidem, Justus ex fide vivet*. Heb. 2. 4. Nam quisquis fide in Christum præditus hoc

Rom. 3. 10. & 4. 15. 2. Cor. 3. 9. Gal. 3. 11.

Gal. 3. 19. 20.

consequitur: *Ego per legem legi mortuus sum, ut vivam jam non lege, sed vivat in me Christus.* Etenim hic: *Qui credit in me*, inquit, *habet vitam æternam*. Joh. 6. 29. 40. 47.

Nihilominus fol. 84. incipiunt magna vehementia affirmare, *renatos in hac vita posse suis operibus legis perfectionem assequi*. Dicunt igitur: *Nemo tantam impietatem in homine ferat, ut seriò alicui imperat, quod absolvere non possit, & tamen nisi præcepto obtemperet, supplicia interminetur. Ergo nisi velimus Deo vel inscitiam, vel impietatem impingere, dicendum est nos ea quæ Deus in Lege præcepit posse perfecta & integra obedientia implere.* Quasi verò scriptum sit, per legem agnitio virtutis nostræ, quid scilicet & quantum possimus præstare: ac non potiùs. Per Legem agnitio peccati, quid scilicet præstare non possimus. Ac utuntur omnino hic Papistæ Pelagianorum argumentis, ut infra ostendemus. Quare AUGUSTINUS utrosque confutat libro de perfectione justitiæ, dicens: *Renatos qui aguntur Spiritu sancto, tamen in hac vita non posse pervenire ad illam perfectionem, quam Lex requirit, sed illam demum futuram in altera vita.* Rom. 3. 20.

2. De dilectione Dei Papistas contra legem docere.

Secundò dicunt Pontificii, Deum non intensivè supra omnia, sed appretiativè tantum diligendum esse. Sic Sylvester Prierias Dominicanus, palatii, quod vocant, sacri Romæ magister, Lutheri Antagonista, dixit: *Esse de honestate, non de necessitate, ut Deum supra omnia diligamus.* Sic etiam Molanus Theologiæ practicæ tractat. 3. cap. 16. conclus. 1. num. 11. Quod perinde est, ac si dicerent, non requiri à nobis ut Deum intensissimo affectu supra omnia amemus, sed satis esse, si eum maximi

ximi pretii esse, & amore intensissimo dignum esse sciamus ac ducamus. Sed Lex requirens, *ut Deum toto corde, & tota cogitatione,* &c. *diligamus*, omnem certè animi intentionem exigit. Idem Molanus in libro de Theolog. practic. tractatu 3. cap. 8. conclus. 3. numero 19. ait. Non præcipi nobis à Deo, *ut pro inimicis in speciali oremus.* At debemus ex Lege in speciali *inimicos diligere*: Ergo & in speciali *pro iis orare* debemus. Nam Christus quædam Legis capita Math. 5. explicans, inter ea versu 43. & 44. inquit: *Audistis quod dictum sit: Diliges proximum tuum; & odio habebis inimicum tuum. Ego verò dico vobis: Diligite inimicos vestros, benedicite iis qui devovent vos, benefacite iis qui oderunt vos, &* ORATE *pro iis qui* VOS INFESTANT *& persequuntur vos.* Luc. 6. 27. Præterea idem alibi scribit, nempe tract. 3. cap. 16. conclus. 3. num. 22. non præcipi, *ut inimicum benevolo animo & amicè salutemus.* Deinde in tract. 2 cap. 20. conclus. 2. numero 16. sic scribit: *Qui manifestum defectum ignoranti non indicat, non est injustus.* At Philosophi ipsi hoc injustum esse dicunt, nedum Lex, ubi bovem errantem in viam reducere, & asinum sub sarcina succumbentem sublevare jubet. Exodi 23 ℣. 4 5. &c. Deut 22. 1. Idem adhuc in tractatu 2. cap. 23. conclus. 3. num. 51. sic scribit. *Qui minimum malum consulit, ut omittatur majus, non peccat.* Quod annon etiam est contra legem Exod. 20. ℣. 17. & Jacob. 2. ℣. 10. *Quisquis totam legem servaverit, offenderit autem in uno, omnibus tenetur.*

Deut 6.4 Marc. 12 30. Math 22. 35.

Deut. 15. 8. Levit 19 18.

3. Transgressio & depravatio legis divinæ instar Ancmonum & Pharisæorum apud Papistas usitata.

TERTIO in specie mandatis Legis divinæ reluctantur. Nam ut Pharisæi cuncta & singula Legis divinæ præcepta falsarunt, depraverunt, truncarunt & mutilarunt, quemadmodum ex Math 5. & 15. atque 19. & Rom. 2. ac 10. patet, ANOMI autem eis obsequium non deberi statuerunt: ita hodie circa omnia & singula Papistæ facere consueverunt.

Contra primum Decalogi præceptum Papistæ manifestissimam præcipiunt & committent idololatriam, soliti *Sanctos* cœlites non venerari tantùm, sed religiosè adorare. Nec non horrenda ἀποθεώσει Sanctos faciunt Deos, divinitatis propria eis tribuentes & divina beneficia ab ipsis votis, precibus, desideriisque expectantes ac flagitantes. Trid. Concil. Sess. 25. Et in hac idololatria non acquiescunt, sed PAPAM Romanum insuper Deum constituunt ac nominant, ἰδιώματα καὶ ἀξιώματα Dei nefando ausu ei ascribentes, juxta illud:

1 præcepti violatio.

Oraclo vocis mundi moderaris habenas.
Et merito in terris diceris esse Deus.

Ipse etiam Papa, annon Deum se haberi & salutari gestit? Sic quæ contra Dei Legē, quæ Dei ἑνότητα & unitatem nobis severissimè & sanctissimè inculcat, πάνθεον καὶ πολύθεον quoddā, hoc est, Ethnicā Deorū multitudinem sceleste atque impiè inducunt & usurpant.

Quanta rabie & assiduitate *secundum* Decalogi præceptum de cavenda idololatria in imaginū & simulachrorum omnis generis cultu violant, ut proximo capite ostendimus? Quid enim aliud sunt apud ipsos imagines tum Dei Patris, Filii & Spiritus sancti, tum Sanctorum cœlitum, tam in templis & sacellis prostantes, quā in parietibus pictæ, nisi simulachra & idola

2. præcepti violatio.

idola? Nec est, quòd se elabi posse putent trita illa sua distinctione δυλείας, λατρείας & ὑπερδυλείας. Nam ut δυλείαν & ὑπερδυλείαν, quem humanum tantùm cultum esse volunt, etiam per idololatriam creaturis tribui, ab illis probari potest: ita λατρείαν, quam propriè divinum cultum esse volunt, etiam creaturis tribuunt. Exempli gratiâ: nõ modò *hominibus Sanctis* nunc in cœlo triumphantibus, verùmetiam *inanimatis rebus*, ut lignis, lapidibus, metallis, coloribus, ex quibus faciunt imagines, simulachra & idola.

Negãt quidẽ hoc, & pernegant furiosissimè pariter ac pertinacissimè, sed illis probationes firmissimas ob oculos ponimus. *Quicunque [1] adorat imagines ligneas, sive lapideas, aureas vel argenteas, vel ex quacunque materia confectas, [2] cultu λατρείας, [3] easq́ Gentili more veneratur suffitu, cereis, devotione, [4] sicut ipsa exemplaria, quorum sunt imagines, [5] & sic in imaginibus adorat Deum contra ipsius præscriptum, [6] vel etiam imagines in se & propriè, [7] inferiore tamen cultu & reverentia veneratur, [8] eisque tribuit affectus misericordia & clementia, sensus, visus, auditus, tactus, motus & divina effecta atq; [9] exauditionem & [10] miracula, is adorat ligna, lapides, aurum, argentum, metalla, aliásque materias & eas inanimatas, atque ex eis facit idola, id quod verissimè est idololatria. Papistæ id faciunt. Ergo ligna, lapides, aurum, argentum, metalla, aliasq́ materias & res inanimatas adorant, & ex eis idola faciunt, id quod verissimè est idololatria.*

PROPOSITIO tota per se fide dignissima est apud verè Christianos orthodoxos & Catholicos, & ea illius membra, quæ Pontificii negare solent, tum à Rodolpho Hospiniano lib. 2. de origine erroris in rebus ad templa pertinentibus à cap. 10. usque ad 22. tum à Balthasaro Menzero disput. 7. contra Johan. Pistorium, tum à Christophoro Pezelio in refutat. Catechis. Jesuitici à pag. 20. usque ad 232. tum denique à Guil. Perkinso in Catholici reformati artic. 9. pag. 207. tum Joh. Rainoldum de idolol. Romanæ Ecclesiæ, tum Ursinum in explicat. Catecheticis, & volum. 1. tract. Theologicorum ad 1. & 2. præcept. Decalogi, tum denique Martyrem, Musculum, Aretium in locis communib. tit. de cultu Dei, Angelorum & hominum, ac Vorstium, Junium, Sibrandum, aliosque qui adversus libros Bellarmini de Ecclesia triumphante vel cultu Sanctorum, item imaginum, reliquarumq; scripserunt.

ASSUMPTIONEM ordine in præsentiarum probabimus. I. *Papistæ adorant imagines, ligna, lapides, aurum, argentum, metalla aliasq́ materias & res inanimatas.* Testis est viva & ob oculos posita praxis Papistarum, quæ tale suppeditat argumentum: *Quicunque procidit ante imagines è quacunque materia lignea, lapidea, argentea, aurea, ac simili factas, & eas honorat votis, cereis, suffitu, anathematis, oblationibus, salutationibus, genuflexionibus, expansione manuũ, & apertione capitis,* &c. *is imagines, ligna & lapides, aurum, argentum, metalla & inanimatas materias atque res adorat. Papistæ sic procidunt ante imagines, ex illis materiis factas, easq́ modis jam recitatis honorant. Ergo Papistæ imagines, ligna, lapides, aurum, argentum, metalla & inanimatas materias atque res adorant.*

Excipiunt Papistæ, se quidem procidere ante imagines & dictas illas ma- *Exceptio Papistica.*

terias

terias, easq; modis commemoratis honorare, sed hîc nullam subesse idololatricam adorationem, quia adoratio generatim notat quemvis honorem, etiam humanum, nec adoratio referatur ad ipsas imagines & materias dictas, & tota ea res tantùm spectet ad excitationem animorum ad Deum.

RESPONDEMUS ingenuè, Papistas affirmare definitionem, & negare definitum. Sic enim ipse Deus adorationem & vocem adorare definit, *incurvare se sculptili, seu imagini ex quacunque materia facta, procidere ante eam, & eam colere.* Unde hoc axioma universale est: *Quicunq; procidit ante imaginem, seq; ei incurvat, & eam colit, is imaginem adorat.* Quò nihil facit generalis significatio verbi adorandi, quum tota quæstio sit de cultu religioso.

Exod. 20. 5.

Præterea Doctores Pontificii ipsi fatētur adorationem ab ipsis tribui imaginibus & rebus inanimatis atque materiis, è quibus facta sunt. GREGORIUS de Valentia lib. 2. de Idololatria cap. 7. asserit, rectum esse ac licitum simulachrorum sive imaginum cultum: nimirum quia honor ille divinus tribuatur *non sicut Deo, sed sicut imaginibus.* Et Bellarm. lib. 1. de imaginibus Sanctorum, cap. 12. ac 20. docet: *Idem honor debetur imagini & exemplari, & proinde Christi imaginem esse adorandam cultu latria* (id est, verè divino) *Beata Maria cultu hyperdulia, Sanctorum aliorum cultu dulia.* Ejus sententia plurimos nominat auctores. Inprimis cap. 12. lib. 2. hæc ponit de praxi & factis ipsorum Pontificiorum communibus: *Lignum crucis adora* Et can. 14. Septima Synodus decrevit, inquit, *imagines adorandas.* Ibidem: Crucem à toto populo *adorari* solitam. Idem Costerus in Enchiridio pag. 449. Et Coloniensis Cens. pag. 55. 68. *Christiani non tam simulachra adorant, quàm prototypa ipsa per imagines.* Quæ loquutio ex comparativa, non exclusiva. Et pag. 65 *Historias imaginum honoro, &* PALAM ADORO. Et pag. 66. *Concilium vult pari honore Christi imaginem cum sacris libris Euangeliorum adorandam esse.*

II. Cultu λατρείας, verè divino. Nimirum imagines Dei & Christi ac Spiritus sancti. Quoniam idem honor (uti dixerunt suprà) debetur imagini & exemplari, teste Thoma, Cajetano, Bonaventura, Gabriele Vasquez, & alii, quos memorat Bellarm. lib. 2. de cultu Sanctor. cap. 20. Sic Costerus in Enchiridio pag. 438. & 439. *Non alius,* inquit, *in imagine honoratur, quàm ipsum πρωτότυπον. Ex quo non obscurè consequitur, omnē honorem, qui prototypo debetur, etiam imagini exhiberi posse.* Hæc ille, approbatus à Papistis.

III. *Easque gentili more venerantur suffitu, cereis, devotio neque alia ac ratione.* Id quod constat ex quotidiana experientia. Esse autem istum ritum gentilem præter historias Ethnicorum probant Augustinus 40. epist. Euseb. lib. 3. 4. Sozomenus lib. 2. cap. 4. Arnob. lib. 7. contra gentes, Lactant. lib. 6. cap. 2. Et fatetur Ludovicus Vives.

IV. *Sicut ipsa exemplaria, quorum sunt imagines,* quod in secundo membro jā ostensum, sed ampliùs probatur Concilii Tridentini Decreto, quod Papistis sacrosanctum est & certissima veritatis norma, licet projectè & manifestè veritati sacrarum Scripturarum repugnet. Nam id sancit: *Honor, qui imaginibus*

nibus exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant. Ita ut per imagines, quas osculamur & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus. Seff. 25.

V. *Et sic in imaginibus adorant Deum contra ipsius præscriptum.* Nam quicunque divinum honorem sive cultum exhibet ei rei, quæ non est Deus, is contra ipsius præscriptum agit. Papistæ divinum honorem sive cultum exhibent imaginibus, quæ non sunt Deus. Ergo Papistæ contra Dei præscriptum agunt. PROPOSITIONIS firmitas pendet ex præcepto ipsius Dei: *Non habebis Deos alienos coram me.* Quã quidem Thom. Aquinas, Pistorius & plerique alii Papistæ concedunt. Et *vult Deus* non aliter & alibi *quæri ac inveniri*, quàm *in Verbo suo & Sacramentis* modo à se præscripto, non in imaginibus, quas Exod. 20. vetat, *& adorari vult in Spiritu & veritate* Joh. 4. & *in nomine Christi vera fide*, non in imaginibus, universa Scriptura attestante. Exod. 20.

VI. *Vel etiam adorant Papistæ imagines in se & propriè.* Quam opinionem defendunt Paresius in lib. de tradit. Catharinus in tract. de Imaginibus Sanderus lib. 2. cap. ult. de Imag. & Gabriel Biel in 3. sent. d. 9. quæst. unica, & in canonem Missæ lect. 49. Pistorius pag. 304. disputationum suarum. Sic Bellarminus lib. 2. de Sanct. imaginibus cap. 21. *Imagines Christi*, inquit, *& Sanctorum veneranda sunt, non solum per accidens, vel impropriè, sed etiam per se & propriè, ita ut ipsa terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solum ut vicem gerunt exemplaris.*

VII. *Inferiore tamen cultu & reverentia*, iisdem quos membro 6. modò allagavi testibus. Gabriel Biel enim ait: *Imaginem adorari eàdem adoratione cum exemplari, nõ tantũ univocè, sed & analogicè* Hoc enim est dicere, coli imagines cultu inferiore quàm ipsum exemplar, teste Bellarmino lib. 2. de imagin. sanct. cap. 20. Ac idem lib. 2. cap. 25. *Cultus*, inquit, *qui per se & propriè debetur imaginibus, est cultus quidam imperfectus, qui analogicè & reductivè pertinet ad speciem ejus cultus, qui debetur exemplari.*

VIII. *Tribuunt imaginibus Papistæ affectus misericordiæ & clementiæ, & sensus, visus, auditus, motus, tactus, divináque effecta.* Canit enim Ecclesia Pontificia de CRUCE (teste Bellarmino lib. 2. de Sanct. cultu & imag. c. 20.) *O crux ave spes unica, auge piis justitiam, reisq; dona veniam.* Quod horrendum & blasphemum sacrilegium est, quo Deo & Christo summus honor eripitur. Deinde, turpis & indigna Christianis committur fallacia *Homonimiæ*, quam jam ad figuram seu signum atque imaginem crucis torquentur ea dicta Scripturæ & Patrum, quæ de cruce, id est, *morte & satisfactione Christi pro nobis* loquuntur. Gal. 6 14. Philip. 2. 8. 9. Col. 1. 19. & 14. 1. 2. 24. Genesis 22. 1. 9 19. Act. 4. 26 27. Johan. 3. 11. & 7. 16. & 8. 26. & 12. 44. & 14. 24. Num. 21. 10. Luc. 24. 36. Præterea nonnullas imagines ita artificiosè constructas habent Papistæ, ut videãtur illæ movere labia, annuere oculis & videre, lachrymas profundere, aliisque indiciis affectus suos declarare erga suos adoratores, item sese de loco in locum movere. Lege dissertationem de Idolo Hallensi pagina 39. 40. & alibi. Item Rodolph. Hospinianum

Phil. 3. 9. Rom. 3. 24. & 5. 19. & 4. 5 & 8. 32. 2. Cor. 5. 15. Act. 10. 43. & 13. 38.

spinianum de Monachatu lib. 6. cap. 14. pag. 249. ubi historiam Monachorum Dominicanorum recenset.

IX. *Atque exauditionem.* De qua multa exempla vel veriùs figmenta, colligere solent ii, qui historias, quas vocant Legendas Sanctorum contexunt. Et de qua quotidie Pontificii gloriantur.

X. *Et miracula.* Qualia etiam *reliquiis Sanctorum* attribuit Pistorius pag. 303. in disputatione 7. Ducis sui. & Bellarminus signo crucis, lib. 2. de Sanct. Imaginibus cap. 29. & Justus Lipsus *Idolo Hallensi*, atque auctores historiæ Mariæ Lauretanæ *Simulachro S. Mariæ.* Adversus ea sufficit unica dissertatio de Idolo Hallensi.

Quæ quum ita sint, quid caussæ est, cur Papistæ contra praxin quotidianã & studia atque facta, dictaque sua assidua negent, se adorare ligna & lapides, &c. atque ex his idola facere, & proinde præcepto 2. decalogi divini obedientiam instar Anomorum hæreticorum non præstare? Certè enim si nihil tamen unum hoc eos posset convincere, quod Bellarminus asserit: *Verum crucis Dominicæ* LIGNUM, *cui Christus ipse aliquando affixus sanctitatem singularem contulit, & quod olim ab Helena Constantini M. matre mirabiliter inventum fuit, ejusq; frustula qualibet planè religioso & plus quàm civili cultu adoranda sunt.* Et quã certo inde Anomi esse cõvincãtur Põtificii, quòd in Officiis & Catechismis suis secundum præceptum aut erraserunt, aut occultarunt, aut omiserunt.

Lib. 2 de cultu Imagin. cap. 16. 27.

In officio B. Mariæ & alibi.

3. Præcepti Decalogi violatio.

Contra *tertium* Decalogi præceptum solvunt Papistæ juramenta legitimo præstita Magistratui & privatis personis. Johan. Mariana Jesuita Toletanus de Regib. lib. 1. cap. 6. Johan. Castellus in Apologia per totam & maximè in 2. parte totusque liber de Henrici III. abdicatione docet: *Quando subditi Romano Catholici Imperatorem, Regem sive Principem suum pro tyranno habendum statuerunt, tum illum abdicare & seipsos omni obligationis nexu solvere possunt,* &c.

Perfidia Papistica.

Jacobus Simancha Episcopus Pacensis de Catholicorum instit. 64. cap. 46. n. 52. ait: *Ad pœnã & odium Hæreticorũ* (intelligit omnes à Romana Ecclesia dissentientes, præsertim Euangelicos) *pertinere, quòd fides illis data servanda non sit, non obstante juramento.*

Cardinalis Hosius scribit ad Regem Poloniæ: *Quòd licet juramento obligatus sit ordinibus Poloniæ, aquè se defensurum & eodem loco habiturum & Catholicos & Hæreticos, tamen eum nulla ratione teneri ad præstandum ea, quæ promiserit.*

Ad Regem Poloniæ Epist. 197. 201. 210.

Hujus prodigiosæ transgressionis legis divinæ tertio hujus præcepto Decalogi vetitæ, caput si quæras, in 3. Canone Concilii 2. Lateranẽsis jubentis, ut alibi à nobis refertur & refellitur.

Sed nomine quoque Dei abutuntur Pontificii *dejerationibus & maledictionibus seu impeccationib. per Dei sanctiß. mum nomen, carnem, sanguinem, venas, ventrem viscera, barbam, vulnera (horresco referens) crucem, mortem, paßionem, sacramenta, elementa, terram, potentiam.* Nonnullis in usu est per Dei spurium (ita æternum & verum Dei Filium JESUM CHRISTUM vocitant) per Dei scortum (quo nomine Filii Dei genetricem ac matrem, Mariam virginem intelligunt) imò per Dei

Jurandi licentia.

Dei cunnum jutare. Hæcq; immaniss. & summa cum licentia impunè inter eos fiunt. Imò passim ac præsertim in urbe Roma, in Papæ aula, & Cardinalium domibus audiuntur, nec nisi cum risu & summis interdum à gravibus hominibus apud eos reprehenduntur.

Adjurationes & exorcizationes Papistica. Adhæc Dei nomine abuti solent horrendum in modum, spiritus & spectra diabolica per id adjurantes, creaturas Dei, aquam, salem, herbas, balsamum, ceram, oleum, &c. exorcizantes & consecrantes. Ut quod ad chrisma dicunt: *Exorcizo te creatura olei per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlū & terram, & omnia, quæ in eis sunt, ut omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, omnisq; incursio Satanæ, & omne phātasma eradicetur & effugetur à te.* Ad oleū Catechumenorum: *Exorcizo te*, inquiunt, *creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jesu ✝ Christi, & Spiritus ✝ sancti, ut in hac invocatione individuæ Trinitatis, atque unius virtute Deitatis omnis nequissima virtus adversarii, omnis inveterata malitia diaboli, omnis violenta incursio, omne cœcū phantasma eradicetur, effugetur, & discedat à te.* Legatur ipsorum Pontificale, Benedictionale sive obsequiale, quæ assumi ab ipsis contra 3. Decalogi præceptum sacratissimum Dei nomen invanum, abundè testantur.

4. Præcepti violatio. Contra *quartum* Decalogi præceptum Papistæ non sanctificant Sabbathum, sed missificando, balando, & aliis modis profanant. Et extra Sabbathum Deo sacratum, quibuslibet ferè sanctis tanquam divis (ut gentes habuêre) Monachis & sanctimonialibus peculiaris dicant Festa ac ferias, quorū tum multitudine populum Christianum, à Christo in libertatem assertum gravant, ut conscientia Christianorum miserè oneretur, tum observatione religiosissimum mandatum quartum Decalogus divinitus sancitum, violāt. *Gal. 5. 1. Col. 2. 16.* Nam si septimo tantùm die feriandum est, & Sabbathum Deo sacratū observandum: reliquæ feriæ & festa tam Deo quàm sanctis ad cultum atque honorem constituta nullius auctoritatis sunt, & esse debent.

5. Præcepti violatio. Contra *quintum* Decalogi præceptū peccare *ἀστοργία*, & contemptu atque inobedientia & perfidia tàm erga parentes quàm Magistratus, à Deo maledicta, pro excellenti virtute in Papatu habetur. Docent enim & commendant, ut liberi invitis & repugnantibus, vel inconsultis parentibus amplectantur vitam Monasticam, & post eos in conspectum aut colloquium & cōgressum non admittant. *Bell. lib. 2. de Monachis cap. 36.* Nec *ἀμοιβὰς* & nutricationis operam illis præstent. In hunc finem quoque liberos ab officio parentibus debito absolvunt. Occinitur & inculcatur hìc à Pontificiis illud Hieronymi parum *ἱερὸν*: *Percalcatum perge patrem, SOLA in hoc genere PIETAS est, esse crudelem.* Commendatur hìc furtum & rebellio Francisci, qui patri suo furatus summam pecuniæ ad sacerdotem templi Dominicani detulit, cum quo aliquamdiu invito patre mansit. *In Legenda Francisci Majore cap. 2.* Et quum eum pater requireret, in foveam se abdidit, ibique de atroci persequutione apud Deum, scilicet, est conquestus.

Denique armatur hìc filius adversus patrem, & obedientia erga præceptum

Papa armat filium adversus Patrem.

ptum ejus dissuadetur. Nam Papa Paschalis 2. stringi praecepit gladium Henrici V. Imperatoris in viscera patris Henrici IV.

Et Adrianus ab obedientia paterna Henricum Angliae regem absolvit. Pater enim Ganfredus Comes Andegavensis (cui tres erant filii, Henricus, Ganfredus & Guilhelmus) morti vicinus testamento constituit, ut Henrico regnum Angliae, Comitatus Andegavensis Ganfredo cederet. Testes autē Episcopos jurare coëgit, non se passuros, defuncti corpus terrae mandari, antequam filii imperata patris se facturos promitterent. Jurant quidem in verbo Episcoporum filii, sed Henricus post adeptum regnum Angliae majori habendi cupiditate incēsus, ab Adriano à promissi obligatione absolvitur, eique lex de obedientia & honore filiorum erga parentes laxatur. Quo factum, ut ab aequitate, à jure, à lege recedendi licentiam consequutus, fratrem comitatu suo exspoliarit. Polydorus Virgil. lib. 13. Anglicae historiae.

Subditos etiam jubent & permittunt rebellare contra Magistratum. Canone enim 3. Concilii Lateranensis 2. decernunt: *Si Dominus temporalis, admonitus ab Ecclesia, terram suam purgare haeretica foeditate* (subintelligunt veritatem & simplicitatem doctrinae Evangelicae) *neglexerit, per Episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit infrà annum, significetur hoc summo Pontifici, & ex tunc ipse Vasallos ab ejus fidelitate denunciet absolutos, qui illum exterminatis haereticis* (Euangelii puri studiosis) *sine ulla contradictione possideant.*

Bellarminus de Romano Pontifice lib. 5. cap. 7. pag. 1075. & lib. de laicis, c. 21. & Paulus Windeck. in deliberatione de haeres. exstirpandis, Antidoto 10. & Eccius in Enchiridio cap. 25. & 26. non modò docent, *Romanenses non modò debere armis, ferro, igne & laqueo cum iis agere, qui de haeresi suspecti sunt,* id est, *Euangelicis, sed etiam, si subditi Lutheranum sive Calvinianum habeant Principem aut Regem, qui ipsos in haeresin* (Euangelii puri cognitionem atque studium) *inducere conetur* (ut in Anglia) *tum illos ab omni homagio & obligatione solutos esse: ipsisque liberum ac permissum, hujusmodi Regem vel Principem abdicare, exterminare & opprimere.* Quod directè pugnat cum doctrina Dei, Exod. 22. 28. Deut. 16. 18. Psal. 81. 1. &c. Gen. 9. 5. Jerem. 29. 7. Roman. 13. 1. &c. 1. Tim. 2. 1. 1. Pet. 2. 1. 13, & 2. 18. Luc. 3. 14. Math. 22. 21. Act. 8 37.

6. Praecepti violatio

Contra *sextum* Decalogi praeceptum Papistae plurimarum caedium, quas ipsa etiam reformidat natura, sunt auctores. Parricidiis liberos & subditos implicant, insontibus neces & insidias parant, inebriatique sunt sanguine Martyrum, quem superiori & praesenti seculo ac aliis effuderunt, tantùm ob Euangelii professionem. Imò eos, qui secum non faciunt, occidendos & concremandos docent, ut locis Bellarm. Windeki, Eccii suprà citatis, & apud Johannem Marianam extat.

Αὐτοκτονίαν etiam, qua quis sibi ipsi cruentas manus infert, & consciscit mortem, non verentur homines illi Antinomi adeò extollere, ut beatitudinis tandem in eo collocent. Adelheimus enim Manelsburiensis Abbas, virgines illas praedicat beatas, quae obser-

Lib. de virginitate.

servandam pudiciciam seipsos interficiant. Et citat dictum cujusdam Patris (fortè Hieronymi) *Propria manu perire non licet, absque eo, ubi castitas periclitatur.*

Attamen non lex modò divina, Exod. 20. 13. sed naturæ etiam facinoris hujus fœditatem abhorret, ut est apud Platonem in Phædone, Aristotelem 5. Ethnicorum, & Virgilium 6. Æneid. ubi ait:

-----Qui sibi lethum
Insontes peperêre manu, lucemq; perosi
Projecêre animas, quam vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem & duros perferre labores:
Fata obstant, tristiq; palus innatilis unda
Alligat, & novies styx interfusa coërcet.

Lib. 1. de civit. Dei cap. 17. Idem est Patrum hac de re judicium. AUGUSTINUS. *Nec propter bona assequenda, nec propter mala vitanda licet se interficere. Est enim homicidium, quod prohibetur lege Dei.* Et de Lucretia: *Laudari,* inquit, *castitas Lucretiæ non potest, nisi ejus damnetur homicidium.* Chrysostomus in Gal. 1. *Qui seipsos,* inquit, *occîdunt, nos dicimus sceleratos esse & pejores homicidis.* Et Canones improbant eos, *qui seipsos castrant.* Quod si ergo castrare seipsum non licet, occidere seipsum propter castitatem multo minùs fas est.

7. Præcepti violatio. Contra *septimum* conjugium divinitus institutū Sacerdotibus & Ecclesiasticis omnibus prohibent. *Concubinatum* palàm receperunt in Concilio Toletano 1. auctoritate Leonis 1. ut habetur Can. 17 15. &c. Qui palà adversatur Scripturæ, quæ scortatorem à communione tum fidelium in hac, tum cœlitum in altera vita longissimè relegat. 1. Cor. 6. 9. & 2. Cor. 6. Item 1. Cor. 7. dicente Apostolo: *Scripsi vobis, ne misceremini cum scortatoribus. Si quis frater appellatur, qui est scortator, cum ejusmodi ne cibum quidem capiatis.* INCESTUS probant tum dispensante Pontifice Romano in gradibus Lege divina expresè prohibitis Levit. 20. 1. Cor. 6. 9. tum ipse commixtiones incestiosas sectante, ut fecit Johannes 13 Alexander 6. Paulus 3. SODOMIAM Johan. de La Casa, Episcopus Beneventanus, Cameræ Catholicæ Decanus & Nuntius apud Venetos Apostolicus, peculiari libro Venetiis excuso celebret. Hinc eam Ecclesiastici & politici impunè exercent, in Italia præcipuè, quæ lege divina morte punitur. Scleid. lib. 2. Levit. 20.

8. præcepti violatio. Contra OCTAVUM non modica furta exercent, sed tota regna, nationes & provincias, suis Dominis per vim & fraudem eripiunt, suásque faciunt, aut vendunt. Pro pecunia quoscunque sceleratos justos pronunciant, honesta & inhonesta omnia, quæstui habent, exactionibus, mercibus, imposturis & tendiculis suis exhauriunt æraria, Ecclesias, familias omniumque penè crumenas: nec unquam satiantur. Probatur exemplis Hadriani 4. Gregorii 9 Bonifacii 7. & 8. Innocētii 3. 4. Clemētis 6. & 7. Nicolai 3. Gregorii 7. & 13. Et plura subministrat tum Henricus Echardus in Papa pharisaizante cap. 5. lib. 2. tùm Aphorismi doctrinæ Jesuiticæ anno 1608. editi, tum historia Gallica, Belgica, Germanica, Polonica, Ungarica, Bohemica, Anglica, Hispanica de Inquisitione hæreticæ (ut vocant) pravitatis, quæ est tyrannis in pios Euangelicos & Orthodoxos.

9. Præcepti violatio. Contra NONUM mendacia quævis libertimè & impudentissimè & con

fingunt. Pleni sunt hic ipsorum libri, Historiæ, Legendæ de Sanctis, de miraculis, apparitionibus & visionibus. Et annon mendacium fuit imprudens & impudens, quod Pontifices Romani Sozinus, Bonifacius & Cœlestinus palàm scripserunt & clamaverunt, in Decretis Cōcilii Niceni esse cōstitutū, ut Eclesiæ transmarinæ ad sedem Romanam provocarent, quum ne minutissimus quidem apex facta Codicum inspectione, hac de re in concilii Niceni Actis potuerit inveniri? Ac quia hoc in dubium vocare audet Bellarminus, perfortiter eum Guil. Witakerus de Pontifice Romano quæstione 4. pag. 493. 494. 495. &c. revincit.

Donatio etiam Constantini Magni, quam Pōtifices & Episcopi & Papistæ magno cum jubilio ac tripudio in ore circumferunt, mendax, fabulosa, suspecta & conficta est ut à Witakero quæst. 4. de Pontifice Romano pag. 437 438. 439 &c. probatur ut & à Sulivio de pontifice Romano pag. 53. 241. 552. Quot effuderunt mendacia in Lutherum, Zuinglium, Calvinum, Bezam, aliosque nostros Doctores, atque adeò in Ecclesias & Cōfessiones nostras? Quod fraudes & falsationes committunt in Scripturarū dictis, Apocryphis & Canonicis libris, Patrū scriptis, Conciliorum Decretis, Canonibus Apostolorum, Episcoporum primitivæ Ecclesiæ, Decretalibus, nostrorumque scriptis & actis.

10. *Præcepti violatio.* Contra DECIMUM concupiscentiam tum in renatis negant esse peccatum, tum ardentissimè & impudentissimè exercent. Dicunt enim & sentiunt: *Concupiscentiam, quæ reliqua est in renatis, licet repugnet Legi Dei, tamen non esse propriè, verè in se vel ex se & sua natura peccatum.* Censura Colloniensi fol. 39. Quare verò hoc tantopere urgeant, ipsi explicant fol. 194. ut scilicet hæc fulcra regni Pontificii stabiliant: *Hominem renatum posse in hac vita Legi Dei perfecta obedientia satisfacere,* contra S. Pauli ad Rom. 7. sententiam, & Christi Luc. 17. 10. Item: *Bona opera renatorum posse consistere in judicio Dei, & opponi iræ divinæ,* Censf. Colon. fol. 50. 176. 181. 185. 186. 201. Item *Hominem in hac hac vita posse esse sine peccato.* Censura Coloniens. de Peccato. Ut hæc non sit perpetua beatitudo in hac vita: *Beati quorum tecta sunt peccata.* Psalm 32. 1. 2. Quæ omnia & contra Legis divinæ sententiam dicuntur, & ab obedientia vera Legis abstrahunt. *Censf. Colon fol. 42. 53.*

Et tamen etsi sciunt Papistæ, Esse id non solum Anomorum, sed etiam Pelagianæ hæresis si negetur, concupiscentiam esse vel in regeneratis peccatum, tamen strenuè ac pertinaciter negant.

Negare eos illam & Censf. Colon. de Lege & peccato & ex Bellarmini lib. 5. de Amissione Gratiæ & Statu peccati cap. 5. 6. 7. 8. 9. nimis clarè apparet. At redarguitur à sacra Scriptura Rom. 6. 12 dicente: *Ne regnet igitur peccatum in mortali corpore vestro, ut obediatis peccato in cupiditatibus corporis. Neque sistite membra vestra arma injustitiæ peccato.* Quod testimonium Augustinus de concupiscentia agere dicit. *Tract. 41. in Joh.* Unde conficitur: Peccatum cui regnum debemus auferre, est verè peccatum. Concupiscentia perpetuò in Sanctis & rege-

generatis manens est illud peccatum, cui regnum auferre debemus. Concupiscentia igitur semper manens in Sanctis & regeneratis est verè peccatum. AUGUSTINUS contra Julianum Pelagianum lib.5.cap.3. *Concupiscentiam adversus quam bonus pugnat Spiritus peccatum disertè appellat, quia, inquit, inest illi inobedientia contra dominatum mentis.* AMBROSIUS reliquam in renatis concupiscentiam vocat *iniquitatem*, apud Augustinum lib.2.contra Jul.cap.5. HILARIUS *malitiam* appellat, apud August. lib.2. contra Jul.c.8. CAJETANUS ait: *concupiscentiā* de qua Apost. loquatur *peccatum esse etiam formaliter, pro, quanto est pars peccati originalis.*

In Rom.c.7 v.8.

Exercere illos eam probat, quòd Sacrifici & Monachi & reliqui Ecclesiastici apud eos aliorum filias & uxores non concupiscunt tantummodò, verùmetiam ad stuprum & libidinis suæ usum in claustra & lupanaria sua vi atque astu rapiunt. Exemplo est historia Henrici II. Episcopi Augustini cum Agneta Imperatoris conjuge. Item Episcopi Spirensis Friderici cum Elisabetha Rodolphi I. Cæsaris uxore. Adhæc cœnobium ad sanctum Germanum Spiræ, quod ob filias & uxores sub specie religionis stupratas, funditus est eversum.

INNOCENTIUS: *Noctu*, inquit, *filium Veneris agitant in cubile, manè filium virginis sacrificant in altari. Nocte Venerē amplexantur, manè virginem venerantur.*

Serm. 11 in die cinerum.

HONORIUS Augustodunensis: De Clericis, Monachis & Monialibus: *Plerique*, inquit, *illorum gulæ, & illecebris dediti sunt, multi in immunditia sorde computrescunt. Hi à tenera ætate impudicitiam discunt.* Et paulò post: *Omnibus fornicariis pejus prosternuntur, &c.*

In Dial. de prædest.

Quid, quod Torrensis, in libro de residentia contra Ambrosium Catharinum Senensem, Dominicani ordinis, qui & Concilio Tridentino interfuit, & concionem die 3. Febr. Anno 1546. ad extollendam Romani Pontificis auctoritatem habuit, objicit Catharino: *Quod negârit legem Mosis esse legem Dei, & Pauli præcepta esse Christi præcepta?* Quod, ut antecedentia, non esse hæresin blasphemam atque impiam, Pontificii nunquam probabunt.

Mosis Legem non esse Dei. Catharinus statuit.

DE

DE HODIERNIS HÆRESIBUS ET HÆRETICIS,

PARTIS SECUNDÆ, LIBER SECUNDUS.

HARTMANNO SPRINGLIO Auctore.

CAP. I.

Pelagianorum, Donatistarum, Eunomianorum & Catharorum hæreses multas ac varias de libero arbitrio, originali peccato, impletione legis, gratiâ, prædestinatione, fide & operum meritis, per Pontificios defendi.



QUOMODO Pontificii in doctrina cum antiquis aliquot veterum hæresiarcharum hæresibus conspirent, ut hinc illos verè hæreticos esse constet, superiore libro demonstratum est. Sunt tamen plures veterum hæreses, quibus idem ampliùs & clariùs sequenti libro potest convinci in iisdem, ut ulla via hæreseos labem effugere queant.

Prodeût enim PELAGIANI, quorum dogmata pleraque olim in Ecclesia Dei publicè hæreseos damnata, Pontificii sequi deprehenduntur. Iis consensisse *Donatistas & Eunomianos, & Catharos* ex Augustino, Epiphanio & aliis patet. De illis Augustinus hæresi 88. agit, & Hieronymus in Dal. contra Luciferianos ac passim. Præcipuæ eorum hæreses sunt, quas ordine recensebimus, & cum Papistarum doctrina conferemus.

Prima Pelagianorum hæresis fuit communis, *hominem fuisse moriturum, etiamsi nô peccasset*, teste Augustino de hæresi cap. 88. Eam à Physicis & Epicuræis sumpserunt. 1. *De Adami morte sentiunt Papistæ ut Pelagiani.*

Nec *Papistæ* ab ea alieni sunt, quod probabimus. 1. *Augustinus Steuchus* Papista magni nominis idem affirmat. Mortem enim *naturalem* esse dicit, & peccatum non esse mortis caussam asserit. *Infantes enim mori, etiamsi peccato careant, & Adamum moriturum fuisse, quãtumvis non peccasset.* *Annotat. in Genes.*

2. *Bellarminus* ejusdem sententiæ ac hæreseos principia in libro de gratia primi

1. Primi hominis ponit. Nam cap.5. dicit, 1. *Mortē & defectus omnes fluere à natura*, ut à caussa per se. Posita caussa per se, ponitur effectus. In homine ante peccatum ponebatur (juxta illius sententiam) caussa mortis per se. Quidni etiam mors? Absolutè cap. 6. dicit. 2.
2. *Hominem esse pulverem*. At pulvis naturâ corruptibilis, etiam sine peccato. 3.
3. Absolutè dicit: *Hominem naturâ mortalem*. Non igitur mortalis ex peccato. Quin toto c.6. contendit: 4. *Corruptio-*
4. *nem sub qua & mors, convenire homini in puris naturalibus, etiam sine culpa*. Aut igitur de hominis phantasmate, & nunquam ac nusquam exsistente id dicit, aut cum Pelagianis sentit. Ibidem
5. dicit: 5. *Corruptionē defectus, mortem fluere, à conditione materiæ & naturæ, ex contrariis composita*. At hæc conditio materiæ, compositio naturæ fuit ante peccatum. Ergo ante peccatum (juxta illius argumentum) homo fuisset moriturus: quod volunt PELAGIANI. Neque hi alia argumenta olim habuerunt.

3. Eandem hæresin hodie *Sociniani* aperti & occulti defendunt, nec alia habent pro sua hæresi argumenta, quā hæc ipsa Bellarmini ac Pelagianorum. In iisdem igitur castris cum Pelagianis Bellarminus militat, & si alii ejus doctrinam in hac re sequuntur, in eadem transeunt: quamdiu principia Pelagiana tuentur.

Neque est, quod dicat Bellarminus, fuisse hominem naturâ mortalem, *sed ex dono supernaturali non fuisse moriturum ante peccatum*. Nam donum illud supernaturale nullum fuit in eo, ac solidè à D.D. Pareo in explicatione & castigatione libri ejus de gratia primi hominis plus satis est refutatum. Et posito etiā supernaturali, in alium lapidem impingere & dicere cogitur, mortem vel omninò non esse effectum peccati, sed naturæ: vel saltem esse effectum peccati per accidens, quorum *prius* rursus cum Pelagio habebit commune, *posterius* erit falsum. Nam tum omnes Scripturæ, quæ mortem esse effectum, pœnam, stipendium, aculeum peccati testantur, tantùm essent per accidens veræ, per se falsæ: tum dicendum esset, Christum moriendo pro nostris peccatis, non liberasse nos à caussa mortis per se (quia non liberavit nos à natura) sed tantùm à caussa mortis per accidens: quo nihil falsius, absurdius, ἀθεολογώτερον. Gen 2.17. Ezech. 18. 4. Rom 6. 23. 1. Cor. 15. 56.

Quare etsi cap.8. & 9. libri de gratia primi hominis, Bellarminus de morte, peccati pœnâ, multa disputat: tamen tantummodò tergiversatur, & nihil nisi inanem fucū facit, quo Pelagianismus Sophistarum tegitur. Adhæc Pelagianismi cum omnibus suis spectatoribus à D.D. Pareo validè convincitur, & in rationibus, quas contra veritatem affert, revincitur.

STATUM igitur Adami ante lapsum, quoad mortem, sic intelligere & tenere expedit. Fuit Adamus partim *mortali* corpore ante lapsum donatus, quia mori potuit, ut eventus ipse docuit: partim *immortali*, quia potuit non mori, nempe si Deo obtemperasset. Hoc colligitur ex comminatione Dei: *Quacunque die comederis*, nempe de arbore vetita, *morte morieris*: Gen. 2.17. nimirum per amissionem gratiæ, per separationem animæ, per privationem *Status Adami quoad mortem, qualis verè ante lapsum fuerit.* Rom. 5. 12. 1. Cor. 15. 21.

M gloriæ

gloriæ. Filii verò resurrectionis non poterunt ultrà peccare, nec mori, ut Luc.20.36. Christus asserit.

Mori ut posset Adamus, habuit ex conditione naturæ: erat enim sumtum corpus ejus ex terra madida, & proinde ex quatuor elementis, & quatuor humoribus intrinsecam potentiam ad corruptionem habentibus. Cujus testis est Deus, dicens: *Pulvis es,* Gen.3.19. & proinde naturâ fragile.

Ut autem posset *non mori*, habebat non ex constitutione naturæ, sed ex beneficio gratiæ. Nam Deus hanc gratiam concesserat homini, ut posset non mori, si ejus mandatis obsequeretur. Nam si Deus Israëlitarum vesti-

Deut. 29.5. mentis & calceamentis præstitit, ut per annos 40. non sint obtrita, non mirũ si obedient homini ejusdem potentia præstaretur, ut haberet statum quendam immortalitatis, quo sine defectu esset annosus.

Anne autem externa vi opprimi, aut fame ... ficare, aut morbis extingui, aut ... dem senio contabescere

*Psal.*91.1. & 121.5.6.7.8. potuerit, si quæratur, negamus. Nam 1. adversus noxia vigilabat divina providentia & Angelorum custodia: 2.

Gen 1.29. & 2.16. & 3.1. Adversus ciborum inopiam dederat Deus multos multarum arborum fructus. 3. Adversus morbos ex humorum intemperie, & animi cruciatus, data erat ei justitia originalis, quæ omnem *ἀταξίαν* impediebat, & corpus animæ subjiciebat, & lætitiam in corde vovebat. 4. Adversus senium datum erat lignum vitæ, & translatio hominis ad statum gloriæ. Ac proderat ei ad illam immortalitatem retinendam *arbor vitæ.* Nam tum arbor vitæ inde dicta est per *μετωνυμίαν* effecti, Gen.2.9. quia significatione caussæ ex effectu, manducata fuisset vitæ caussa conservans. Ac proinde vitam Adami ac hominum conservare poterat: tum arbor vitæ dicta est Sacramentali significatione Christi, in quo vita erat, & qui vita est nostra, Joh.1.4. & Coloss.3.4.

5. Sed quomodo proderat, inquis? Sunt, qui existiment IPSAM per se, seu sua vi sibi à Deo indita, seu inspiratione salubritatis occultæ profuturam fuisse homini adversus omnes infirmitates, morbos & senium, & ad hominẽ in vita immortali conservandum, si statis temporibus uteretur. Hoc significare videntur verba Domini, Gen.3.22. *Nunc ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de arbore vitæ, & comedat, & sic vivat in seculum.*

Alii statuunt, eam fuisse duntaxat Sacramentum & symbolũ GRATIÆ, per quam homo viveret in æternum, si in Dei præceptis perseveraret: & eatenus profuturam fuisse ad immortalitatem, quatenus Sacramenta prosunt ad id percipiendum, cujus sunt Sacramẽta. Quam sententiam & nos probamus ac probanti eam contra Bellarminum lib. de gratia primi hominis cap. 18. Clarissimo D. D. Pareo firmis augmẽtis assentimur. Hocque eò magis, quia etiam Augustinus eandem tenet, dicens: *Erat in lignis cæteris alimentum, in isto Sacramentum.* Lib.8. de Gen. cap.4. Rationes ei contradicentes refutat ibidem, in capite ultimo Bellarmini libri de gratia primi hominis, D. D. Pareus.

Præter fructum tamen illius arboris vitæ, nihilominus opus habuisset cibis Ada-

Adamus ad vitæ sustentationem. In hunc enim finem plantavit Deus arbores in Paradiso. Et Gen. 2. 16. dicitur, dedisse homini *in escam omnem herbam & fructum arboris*, ut per horum edulium immortalitatis donum conservaret. Sed & homo factus erat in animam viventem, sicut cætera animalia, sed absque necessitate moriendi, si in statu liberi arbitrii & gratiæ perstitisset.

Quid itaque ad extremum factum fuisset de homine, si non peccasset? Nō semper in terris vixisset: sed translatus fuisset & migrasset tandem in cœlum & æternæ gloriæ statum. Quod obtigisset ei post definitum tempus, saltem longissimum, puta 300. vel 4000. vel aliàs aliquot millium annorum: ut Augustinus & Theologi incorruptiores docent. Fuisset autem hoc factum sine morte quidem (quæ est dissolutio animæ à corpore, sed non fuisset, quia peccatum ejus caussa aculeus non fuisset) sed nō sine immutatione aliqua, qualem Dominus præfiguravit Math. 17. 2. 3. 4. & Apostolus 1. Cor. 15. 51 futuram dicit in corporibus electorum, qui superstites in adventu Domini hinc in cœlum ac beatorum domicilium migrabunt.

Hinc ergo constat, verè esse hæresin, si quum Pelagianis sentiatur & affirmetur, *hominem fuisse moriturum, etiamsi non peccasset*. Nam hæc sententia est cōtra dicta Gen. 2. 17. & 33. Rom. 5. 12 & 1. Cor. 15. 21.

Usus doctrinæ de immortalitate & mortalitate Adami. Quorsum istarum rerum expositio? Servit institutioni & consolationi nostræ. I. Instituit *Pontificios*, ut cautiùs & diligentiùs suorum Doctorum sententias ad Heraclium sacræ Scripturæ lapidem exigant, quò longiùs ab ista hæresi abesse queant. Simul omnes caussam & conditionem mortis edocet. Ea est: quòd *sicut per unum hominem peccatum in mundum introiit* (teste Apostolo Rom. 5. 12.) *ac per peccatum mors, ita in omnes homines mors transiit, quia omnes peccant*. II. Consolatur pios, quia licet Rom. 5. 17. mors corporalis & temporaria per Adamum eos ob peccatum corripiat: tamen per Christum ab æterna morte redempti, remissionis peccatorum & translationis in regnum cœleste certi sint. Docet hoc idem Apostolus inde colligere, dicens: *Si per unam offensam mors regnavit per* UNUM, *multò magis ii, qui redundantem illam gratiam & donum justitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unū Jesum Christum*. Ac paulò post: *Lex verò præterea introiit, ut augeretur offensa. Sed* Vers. 20. 21. *ubi auctum est peccatum, ibi superabundavit gratia. Ut quemadmodum regnaverat peccatum in mortem: ita etiam* GRATIA *regnaret per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum*. Itaque quod Adamo propter peccatum non contigit, ut nimirum à morte conservaretur & immortalis permaneret: id nobis contingit certò post mortem hanc corporalem propter remissionē peccatorum per Christum acquisitam, & fide apprehensam, utraque tam remissione quàm fide nobis gratia Dei procurata & communicata. III. Cōmunit nos lapsus Adami è statu immortalitatis consideratio, contra alteram Pelagianorum hæresin de originali peccato.

Nam secundò quæstionem: *Sitne aliquod peccatum originale, quod per genera-*

 tionem

2. De originali peccato Papistas variè sentire cum Pelagianis.

tionem ex parentibus trahatur? primus olim in dubium scribitur vocasse & negasse PELAGIUS Episcopus Africanus. Hæresis ergo ejus de peccato originis hæc fuit: *Peccatum Adami soli ipsi nocuisse, non autem posteritati. Quod verò omnes, qui ex Adamo originem trahunt, moriantur, fieri naturaliter. Nam Adamum etiam fuisse moriturum* (de quo anteà dictum) *quantumvis nunquam peccasset.* Itaque colligebat & volebat, homines *nunc nasci sine vitio & reatu, qualis fuit Adam ante lapsum.*

Hujus igitur hæreseos à Papistis Euangelicos insimulari, sed præter rationem & per meram calumniam, suprà lib. 1. cap. 29. exposuimus.

Verùm doctrina Pontificiorum cum Pelagiana hæresi de originali peccato collata, ipsos potiùs Papistas eâ turpiter ac variè infectos esse reperire licet. Fusè autem & latè quum ipse Papista Bellarminus Pelagianismum circa hanc rem in lib. 4. 5. & 6. de Amissione gratiæ & statu peccati explicare conetur, nos hic concisè & succinctè præcipuos articulos, in quibus Pelagiani & Pontificii conspirent contra verum de peccato originis doctrinam delibabimus ac confutabimus.

1. An sit peccatum originis verè peccatū, quomodo Papistæ cū Pelagianis negent.

1. QUÆSTIO est, *An ex peccato Adami aliquod peccatū propriè dictum in omnes homines derivetur?* Pelagiani veteres & recentes negarunt, atque negant. Euangelici orthodoxa fide præditi affirmant & directè quidem cum nullo Papistarum de affirmatione nostra est controversia. Nam & nos peccatum originis verè esse peccatum statuimus, & ipsi Pontificii hanc veritatem videntur defendere.

At modo probandi utrinq; penitiùs inspecto, Papistæ per sua principia sententiā suam ita exponūt, ut reverà peccatū originis propriè ac verè esse peccatum more Pelagiano negēt & evertant. Etenim cap. 1. libri 1. de amissione gratiæ peccatum propriè definit Bellarminus esse *dictum, factum, concupitum contra legem Dei*: & quidem propria voluntate *voluntarium.* Sed contrà libro. 4. cap. 3. & deinceps tradit: *Peccatum originale, quod ex Adamo in omnes homines naturaliter propagatur, est veri nominis, seu propriè dictum peccatum, non tamen est factum, aut dictum, aut concupitum aliquod voluntarium, prout peccatum propriè dictum in genere definiri debet.* Ergo quum neutrum eorum, quæ verè faciunt peccatum, peccato originali tribuat, verbo quidem hoc peccatū propriè & verè esse fatetur, reipsa autem non secus ac Pelagiani negat.

Deinde, *Concupiscentiam esse duplicem, unam in carne, alteram in anima: sed posteriorem solam esse peccatum originis. quod definiunt morbidam in anima qualitatem, prava desideria perpetuò excitantem,* communis totius Pontificiæ Scholæ Magister Petrus Lombardus & Henricus de Gandavo, Gregorius Ariminensis, & Johannes Dieto Lovaniensis doctor sentiunt, Bellarmino lib. 5. de Amiss. Gratiæ cap. 15. teste. Cæterum contra hanc doctrinam palàm *Gregorius de Valentia* Comment. Theolog. Tom. 2. disp. 6. quæst. 12. punc. 1. erroris insimulat & impugnat. Idem facit Bellarm. loco paulò ante dicto. Quin lib. 5. cap. 5. 8. 9. & deinceps concupiscentiam peccatum propriè dictum esse negat. Dicit enim: *Concupiscentia*

scentia prava, quæ præsertim post Baptismum remanet, nec ad peccatum originis quicquam pertinet, nec ullo modo peccatum aut est, aut propriè appellari potest. Rursus ergo cum Pelagianis peccatum originale esse verè peccatum inficiatur.

Alii docent contraria sententia: peccatum originis nihil aliud esse, *nisi illam primã Adami inobedientiã* Inter hos est præcipuus ALBERTUS PIGHIUS, qui in prolixo suo scripto, quod edidit post colloquium Vormatiense anno 1542. de concupiscentia tam ante quã post Baptismum considerata, indifferenter pronunciat, concupiscentiam cordis interiorem omnem peccati rationem amittere, & esse malum ἄκακον, καὶ ἀκατάκριτον, ἀμεμπτον καὶ ἀνέγκλητον. Et ita probat *peccatum originale non esse peccatum neque concupiscentiam*; quod dicit: *Peccatum non potest esse sine lege, cujus sit transgressio Sed parvuli, qui rationis usu sunt destituti, lege obligari non possunt.* Itẽ: *Illud quod prorsus vitare non possumus nec à nobis, sed ab alio à nobis inest, lege interdici nõ potest.* Tandem concludit. E. *Concupiscentiã originalẽ nec in parvulo nec in adulto, nec ante nec post Baptismũ propriè & verè esse peccatum, quia resultat ex compositione & temperatura partium corporis humani.* DEINDE conatur etiam probare, carentiam justitiæ originalis debitæ inesse, non habere rationem peccati, sive in parvulis sive in adultis. *Quia*, inquit, *lex nulla proferri potest, per quam obligentur omnes homines habere justitiam illam originalem, quæ Adæ data fuit. Et ut maximè esset talis aliqua lex peccatum deputandum esset illi tantùm, qui propriâ suâ culpâ justitiam illam originalem perdidit.* Ultimò ergo statuit: *Peccatum originale non esse defectum, non vitium aliquod, nõ depravationem, non habitum corruptum, nõ qualitatem vitiosam: sed esse tantùm reatum aliquem ab actuali transgressione Adæ ad posteros transmissum sine vitio aliquo & pravitate inhærente in ipsorum substantia.* Quã Pighii sententiam AMBROSIUS CATHARINUS probat & defendit. Nec ipsum Concilium Tridentinum improbat, sed liberrimam quidvis opinãdi licentiam relinquit.

Pighii Pelagianismus.

Præterea ANSHELMI sententia vulgata est, quod peccatum originale sit *carentia justitiæ originalis, debitæ inesse.*

Jam Pighium excusat DOMINICUS de SOTO, celebris Monachus & Caroli V. Imp. Confessarius seu Pœnitentiarius, & eum malè docere ait, NON ESSE IN SINGULIS HOMINIBUS PECCATA SINGULA ORIGINALIA: sed unum illud, quod commisit protoparens, esse originale delictum, cujus omnes rei sumus, & à quo denominamur peccatores. *Ac verò*, inquit Dominicus, *si sanè ille & absque præjudicio audiatur, tanta damnabitur ignorantia; neque si oculatiùs ipse sensum veteris opinionis æstimavisset, forsan eam repudiasset.* Hæc Sotus. Et quid si Polycrates hîc matrem, ut in proverbio est, pascat?

Super q. 68. 3. par. art. 2.

Ideò Bellarminus omnino illam doctrinam libera voce refutat, & ut *hæresin* damnat.

Lib. 5. c. 17. de amiss. gratiæ.

ANSHELMI verò opinionem dicit, *non ab omnibus convenienter intelligi*, quum obscurum, quomodo carentia illa sit propriè peccatum. Sic vertigine agitatus pergit, aliasque quinque de peccato originis Pontificiorum sententias contrarias cap. 17. commemorat.

rat. Idemque judicium est *Gregorii Valentiani* eodem, cujus jam memini, loco, & *Andreæ Vega* de justific. lib. 4. c. 1. & *Ruardi Tapperi* Lovaniensis Academiæ Cancellarii.

Tom 1. de peccat. orig. pag. 73. 74. Præterea hic *Ruardus* apertè statuit: *Peccatum originis non esse propriè peccatum.* Contrà Tapperum hac in re refellit Gregorius Valentianus, & hanc Ruardi sententiam *à veritate alienam*, imò PELAGIANAM *esse* docet, commentar. Theolog. tom. 2. disput. 6. quæst. 12. de quidditate peccati originis, part. 1.

In 2. sent. d. 30. art. 2. Quid quòd Gregorius Ariminensis ait: *Peccati originis reatum Baptismo tolli, essentiam verò illius tantùm minui.* Contrà Gregorius de Valentia hanc sententiam planè contra fidem esse (ac proinde hæreticam) asserit tom. 2. disput. 6. quæst. 12. part. 1.

Tandem Bellarminus sententiam Ecclesiæ suæ expressè de natura peccati originalis efferens, dicit: PARTIM *esse imputationem lapsus Adami:* PARTIM *inhærentē obliquitatem*, sive depravationē volūtatis, per quam formaliter omnes sint & dicantur peccatores, donec per Baptismū iniquitas hæc abluatur. Vocat item *reatum & maculam*, item *morbū & vitium naturæ*: deniq; *carentiam justitiæ originalis, sed sine ulla prava qualitate.* His vocibus peccatum originale describit.

Definitio peccati originalis recepta apud Papistas. Definitionem autem talem affert: *Si peccatum pro actione pugnante cum lege accipiatur*, PECCATUM ORIGINALE EST *prima Adami inobedientia ab ipso Adamo commissa, non ut erat singularis persona, sed ut personam totius generis humani gerebat. Si verò peccatum accipiatur pro eo, quod residet in homine post actionem, & unde homo non peccans, sed peccator nominatur,* PECCATUM ORIGINALE EST *carentia doni justitiæ originalis, sive habitualis aversio & obliquitas voluntatis, quæ & macula mentem Deo invisam reddens appellari potest.*

Sed hæc descriptio peccati originalis est opinio, respondens duabus opinionibus Alberti PIGHII, quam modò ut hæreticam insectatus est, & ANSHELMI in unam conflata, neque à Pelagiana hæresi abhorrēs, multisq; difficultatibus irretita. Nam etsi, quantum ad rei summam attinet, si modò captiones sophisticæ excludantur, nos Euangelici facilè acquiescimus: tamen quòd Papistæ principia hæreseos Pelagianæ obliquè ac subdolè imitantur & retinent, & ἀκυρολογίας atque improprias & absurdas phrases usurpant, sibique in re tota non constant, probare & admittere nequimus.

Suprà enim aliquoties dixit, peccatum originale duntaxat esse *reatum & maculam, & morbum ac vitium naturæ.* At nec reatus, nec macula, nec morbus, nec vitiū naturæ, prout physicè accipit Bellarm. est propriè peccatum. Quare vel hoc uno Pelagianismi restim induit. Hîc verò dicit, originale peccatū esse ipsum actuale peccatum Adami cum Pighio, & carentiam justitiæ originalis cum Anshelmo. Sed ne id quidem peccatum verè & propriè dictum exprimit. Nam per ipsum actuale peccatum Adami intelligit *imputationem primi lapsus*: quæ non est pars originalis peccati, sed ipse potius lapsus hæredum in lumbis Adami. Qui ipse tamen impropriè sic dicitur; siquidem propriè peccare non possunt, qui nondum actu sunt. Eo tamen sensu

peccare

Heb. 7.5. peccare dici possunt, quo sensu *Levi dicitur in lumbis Abrahami decimatus fuisse*, videlicet tanquam pars quædam ejus parentis, qui verè ista præstitit, &c. Hinc deinde oritur *reatus* pœnæ: qui & ipse aliter Adami, aliter nostri respectu accipiendus est. Pœnæ autem pars cæteri potest ipsa *corruptio*, seu depravatio naturæ, quod ad qualitates attinet. Atque hæc ipsa etiam, quatenus *universalis* est, & primo peccato assignanda est, ab alia quavis adventitia & speciali corruptione diligenter distingui debet, quam videlicet unusquisque sibi attrahere potest ac solet, imò etiam in sobolem aliquo modo transfundere, &c.

Quid igitur in Ecclesiæ Romanæ descriptione peccati originalis ampliùs desideratur? Duo potissimùm. *Primò*, obscurum vel falsum est, quòd dicit, originale peccatũ esse ipsum primum peccatum Adami. Hoc quidem etiam ex parte paulò ante indicatum; sed accuratiore explicatione eget. Etsi enim rectè dicitur, peccatum primùm admisisse Adamum, non ut personam singularem, sed ut patrem universi generis humani: tamen non rectè dicitur, peccatum originale fuisse in ipso Adamo, vel Adamum habuisse originale peccatum: quia sic caussa & effectus, actuale & originale peccatum apertè confunduntur. Primum igitur peccatum Adami, ut suprà quoque diximus, dupliciter consideratur. *Uno* modo respectu ipsius Adami. Sic autẽ fuit peccatum nõ originale, sed actuale originans, hoc est, originali peccato posterorum originem præbens. *Altero* modo respectu posterorum, qui in lumbis ejus, ut in massa idem peccatũ admiserant, indeque omnibus imputatur. Sic lapsus ille noster ad nostrum originale peccatum pertinet.

Secundò, etsi definitio Anshelmi, quam Pighii opinioni Bellarminus attexit, & inde suam opinionem sine omni auctore effingit, rectè intellecta concedi potest: tamen ab adversario depravatur, dum carentiam justitiæ tantùm physicè intelligit, qualis est carentia rectitudinis in curvo digito. Et vocat quidem *aversionem, perversionem, depravationem, corruptionem naturæ*. sed tantùm physicè intelligit, qualis est corruptio sanitatis in morbo: sine ulla prava qualitate, ob quam homo reverâ sit pravus & malus mortaliter in Dei judicio. At qui Scriptura sacra non tam de Physicis defectibus, quam de morali corruptione naturæ conqueritur & hominis naturam ream arguit quum dicit: *Omne figmentum cordis humani malum tantummodo omni tempore à pueritia*, Gen. 6.5. Et: *Quis dabit mundũ ex immundo?* Job. 14. *Cor hominis pravum & perversum, quis cognoscet illud?* Jeremiæ 17.9. *Prudentia carnis est inimicitia adversus Deum*, Rom. 8.2. Sed sine prava qualitate vel actione, ut vult Bellarminus, corruptionem hanc in originali peccato esse, nullum est peccatum propriè dictum.

Et hanc, non aliam esse Bellarmini sententiã, probatur PRIMO ex eo, quòd omnia illa Scripturæ loca, quæ de pravitate naturæ morali à nobis afferuntur, hactenus fortiter ipse conatus est eludere. De amissione grat. c. 7. 8 9. &c.

SECUNDO, quia suprà apertè scripsit corruptionem hominis in sola do- Cap. 5.

ni

ni supernaturalis amissione, non verò in ullius pravæ qualitatis accessu consistere.

Cap. 6. TERTIÒ, quia contendit, corruptionem naturæ nunc talem esse, qualis etiam fuisset in homine, si eum Deus in puris naturalibus condidisset. Unde manifestum est, Adversarium nec pravitatem moralem, nec peccatum propriè dictum in corruptione hominis agnoscere. Cum quo enim Deus, qui auctor peccati esse nequit, hominem condere potuisset, id propriè peccatũ non est, neque moralis pravitas, vel *ἀνομία*, vel culpa. At per Adversarium Deus potuit hominem in puris naturalibus condere cum illa corruptione naturæ, quæ nunc est in homine per peccatum. Ergo corruptionem naturæ in homine, Adversarius nequaquã agnoscit verè peccatum, vel *ἀνομίαν*.

Et sic vel cum *Pelagio* fingit hominẽ sine ulla corruptione morali: vel cum *Manichæo* Deum facit auctorem peccati. Atque ita intelligitur, quid in sententia Romanæ Ecclesiæ per Bellarminum prolatæ desideretur: & quod tota sit fucata, sophistica, falsa, hæretica. Argumenta quibus eam ipse tuetur, à D.D. Pareo in Explic. & Castig. lib. 5. de Amissione gratiæ cap. 17. 18 19. & alibi, atque à Conrado Vorstio in Antibellarmino refutantur.

Partes peccati originalis vera. Alioqui & Nostri Euangelici *duas* peccati originalis *partes* facere solent: videlicet, *defectionem* omnium naturalium hæredum Adami in lumbis ipsius, & quæ hinc consequuta est, naturæ *corruptionem*, sive mentis excæcationem & voluntatis perversionem, &c. Porrò, sive hanc corruptionem habitum vitiosum, sive peccatum habituale, itẽ sive qualitatem positivam, sive privationem aut carentiam justitiæ debitæ inesse, appellemus, parum referre videtur: si modo sensum commodè explicemus & teneamus. Hoc est, si peccatum omne, licet habituale, seu per modum habitus nobis inhærens, per se tamen sua natura nihil substantiale, nihilque positivum, sed privationem, tantùm contrarii boni, revera esse statuemus.

De Baptismo autem quatenus peccatum abluere, vel non abluere possit, sic tenendum. Nomine Baptismi, quo peccatũ verè & reipsâ purgatur, in hac caussa & omni disputatione de peccatorũ ablutione, aut ipsam tantùm interiorem ablutionem, aut saltem hanc simul cum signo accipiendum esse.

Alter error hæreticus Pelagianorum circa originale peccatum, cui consentiunt Papistæ, est, quòd Pelagiani *in parvulis peccatum esse negabant*. Rationem hanc attulerunt præcipuam, *quia peccatum nascatur ex voluntate & ratione, nec sit in parvulis voluntas & rationis actus*. *2. Infantes peccatum non habere, ut Papistæ cum Pelagianis sentiant.*

Sic non desunt in Papatu, qui peccatum negant in infantibus vitium aliquod insitum & inhærens esse, ac peccato originali eos carere sentiunt. Et hæc sententia ex superiore Papistarum sequitur. Si enim ipsum peccatum originale est (ut ait Bellarminus) carentia justitiæ originalis, sed *sine ulla parva qualitate*, certè infantes nondum actu peccantes, sentiuntur & existimantur à Papistis vitiositate & pravitate, imò peccato originali destituti esse. Hocque Pighius gravissimus & gratissimus illis Doctor non dissimulat, sed manifestè libro de controversiis agens de peccato

to originali, dicit: *Non remanere in baptizatis peccatum originis. Habere infantes quidem pœnam peccati, non autem peccatum.*

Lib. de orig. peccati. Ruardus Tapperus de originali peccato scribens, non veretur dicere: *In parvulo recens nato nihil inveniri, quod verè & propriè peccati habeat rationem.*

Acriter verò quidem illorum sententiam impugnat Bellarminus lib. 4. de amissione gratiæ & statu peccati, capite 14. ex professo docendum sibi sumens: *Ad filios fidelium peccatum originis pertinere, quemadmodum ad filios infidelium.* Sed quia ibi præcipuè nostros, ut Zuinglium, Calvinum & alios, mordet ac traducit, quasi doceant & sentiant, liberos recens natos carere peccato originali, hoc autem tantùm facit dicta Nostrorum malignè interpretādo, & aliena à mente nostrorum nostris impingendo, non defendendæ & oppugnandæ Pighii atq; Tapperi sententiæ causâ, sed nostrorum duntaxat exagitādorum gratiâ caput illud composuisse videri potest. Revera tamen insidere Papistarum animis, infantulos peccati originalis esse expertes, ex Cōcilii Tridentini decretis de Peccato originali liquet, ubi nihil de natura peccati originalis statuunt. Idem patet ex Andradio, qui in orthodoxis suis scilicet illius Concilii explicationibus ad Pighii & Tapperi opinionem Pelagianam propendet.

Eodē errore fœdati sunt Anabaptistæ, qui omnes infantes sine ulla tergiversatione atque involucro instar Pelagianorum, ab originalis peccati contagione liberos pronunciant, ipsumq; peccatum originis tanquam merum humani ingenii figmentum primo auctori Augustino adscribunt.

De infantum peccato orthodoxa doctrina. Meritò igitur defensione nostræ Euangelicæ opinionis, & refutatione Papisticæ atq; Anabaptisticæ, à D. D. Pareo adversus libros Bellarmini de amiss. gratiæ & statu peccati suscepta, quàmplurimis ab eo probatur: Primum, non imitatione tantùm & exemplo, verùm propagatione carnali peccatum originale in posteros Adami derivari, ita ut non solùm in Adamo peccasse censeantur, verùm etiam in peccato originis concipiamur, nascamur, ac proinde eo tempore peccato originali inficiamur, quo omni usu rationis carentes neminem imitari possumus. Lib. 4. c. 11. 12. 13. 14. 18.

Testatur hoc ingenua illa confessio Davidis Psal. 51. 7. ubi confitetur, se in iniquitatibus genitum esse, & in peccato conceptum esse à sua matre. Nec certè arguit ibi matris aut patris peccata, sed quo Dei erga se benignitatem magis commendet, propriæ perversitatis innatæ ac in conceptione sua ortę confessionem edit. Quum autem hoc Davidi peculiare non fuerit, sequitur communem humani generis sortem sub ejus exemplo notari, omnesq; qui ab impuro ejus semine descendunt, peccati labe infectos nasci. *Quis enim daret mundum de immundo?* Job. 14. 5.

Deinde docet, peccati originalis subjectum esse omnem ac totum hominem, quicunque naturali propagatione in hunc mundum nascitur. Hócque ita se habet, *tum* quia Adamus omnes genuit ad imaginem & similitudinem sui illam, quam post lapsum habuit (aliam enim transfundere non Gen. 5. 3.

 potuit)

potuit) justitiâ nimirum & sanctitate originali spoliatam, totamque corruptam, ac morti temporariæ & æternæ obnoxiam: *tum* quia Adamus nô considatur ut privatus aliquis homo, sed tanquam persona & radix totius generis humani. Unde sicut sancta radice rami quoque sancti sunt, Rom. 11. 16. sic ex natura contrariorum, radice non sancta, nec rami sancti esse possunt.

Cap. 14. TERTIO docet, Hanc eandem immunditiem parentum in filios derivari ita, ut omnes hominû filii citra exceptionem (solo CHRISTO JESU sub illorum censum non veniente) sua origine sint inquinati. Ac probat, hujus corruptionis non reperiri exordium, nisi ad primum omnium parentem Adamum tanquam ad fontem vel radicem ascendamus. Idque ex ipsius Adami & Christi comparatione planû facit Apostolus Rom. 5. 12. & 18. Evincitur item eo, quia & infantes moriuntur antequam ob defectum rationis peccatum actuale perpetrare queant. Hinc enim necesse est, illos quoque peccasse ac peccato originali proprio infectos esse. Mors enim est stipendium peccati, & nisi ipsi quoque peccassent, & tamen morerentur, tunc revera filius iniquitatem patris portaret, neque ea anima tantùm, quæ peccavit moreretur, quod cogitare est blasphemum. Ezech. 18. 20. Quin & opposita privantia idem evincunt. Quicunque enim renascuntur, & à peccatis abluuntur, illos peccato ante contaminatos fuisse, necesse est: privatione habitum semper præsupponente. At infantes Christianorum renascuntur, & à peccatis abluuntur, quum & illi in regnum cœlorum ingrediantur: nemo autem id nisi renatus, videre possit Joh 3. 3. & 5. Unde sequitur omnes etiam infantes peccato originis esse contaminatos. Quorum copiosior probatio habetur in explicatione lib. 4. Bellarminus de amissione gratiæ & statu peccati, cap. 14. à D. D. Pareo editâ.

Pelagiani sunt Pontificii in pœna infantum decedentium statuenda. Cæterùm hîc rursus in Pelagianismi labyrinthum incidunt Papistæ, de pœna infantum decedentium è vita disputantes. Nam Bellarminus lib. 6. de amissione gratiæ, & statu peccati c. 1. varias sententias recitans, de pœna peccati originalis post hanc vitam, eas de quibusdam vel suorum commemorat, quæ nihil à Pelagianorum opinione differunt. Quod necessarium & jucundum quum sit scire, paucis ipsiusmet verbis collatis exponemus.

Mala, quæ consequuntur originale peccatum, distinguit secundùm ætates. *Alia*, inquit, *patiuntur homines, si in infantia peccato nondum remisso fortè rapiantur. Alia tolerare coguntur, si diutiùs hanc vitam ducant, sive peccatum dimissum fuerit, sive non fuerit.* Quæ partitio nobis non improbatur. Sed ab Adversario mox, quantum ad prius membrum sophisticè depravatur. Quod enim prius dixit: *Si in infantia peccato nondum remisso, fortè rapiantur:* pro eo statim supponit: *Qui sine Baptismo in infantia de hac vita decedunt. Atqui decedere peccato nondum remisso, &c. & decedere sine baptismo,* nequaquam sunt idem. Potest enim etiam decedente alicui sine baptismo peccatum remissum esse; eò quòd, fatente Lombardo: *Deus suam potentiam* Lib. 4. d. 4. E.

tiam & sanctificationem invisibilem Sacramento non alligavit. Insidiosè igitur Bellarminus mutat statum quæstionis: quando mox de parvulis sine Baptismo è vita migrantibus disputare incipit: *Supponens omnes illos peccato originali nondum remisso decedere.* Quod si verum esset, sanè de nullorum salute ulla spes esset: quia qui in peccato sive originali sive actuali nondum remisso moritur, indubitanter damnatur. Nam clarissimè ab Apostolo affirmatur: *Stipendium peccati* (nempe nondum remissi) *mors est.* Sed supponit incertum, imò falsum, uti videbimus. Nunc qualia de statu parvulorum non baptizatorum disputet, cognoscamus.

Rom. 6. 23.

De SUPPLICIO, inquit, *parvulorum ejusmodi quinque numerantur sententiæ, quæ à summa lenitate ad summam severitatem descendunt*: hoc est, quarum aliæ omnes ejusmodi infantes à dãnatione absolvunt, aliæ omnes damnationi & pœnæ severæ, severiori, severissimæ adjudicant.

Quinque sententiæ de pœna infantium decedentium.

RESPONDEMUS: Ne una quidẽ ex quinque est vera, sed omnes falsæ: quia omnes sunt hominum commenta extra Scripturas divinas. Veram sententiam Bellarminus non attingit: ideo in tenebris palpitat, & lectoribus fumos vendit. Videamus quinque opiniones falsas breviter: quibus VERAM sententiam NOSTRAM subjiciemus.

PRIMA opinio est, *parvulos non baptizatos sine discrimine* OMNES, *non obstante peccato originali, in regnum cælorum venire & salvari.* Hanc dicit fuisse cujusdam VINCENTII, quam refellit Augustinus lib. 1. de origine anim. cap. 9. & lib. 3. cap. 13. *Addit,* in eundem errorem incidisse nostro seculo ZUINGLIUM: nempe *filios fidelium sine baptismo decedentes certò, infidelium verò probabiliter salvari*: & hanc Zuinglii sententiam, quoad filios fidelium, sequi *Bucerum, Martyrem, Calvinum, &c.*

1. Aliqui in cœlum venire infantes putant.

Hæc sententia est falsa: quia de infantibus infidelium, extra Ecclesiam & extra fœdus sine Baptismo decedentibus, credi non potest, quod salventur: quum extra Ecclesiam & fœdus Dei nulla sit salus. De VINCENTIO dicto VICTORE ita est, ut dicit. Is recens à Donatistis ad Catholicos transierat: nec in omnibus Augustino consentiebat. Ab Augustino igitur mitiùs refutatur libro dicto. Eadem sententia falsa dicitur esse Anabaptistarum, qui promiscuè omnes mortuos infantes regnum cœlorum introire asserant. De ZUINGLIO calumnia est. Supri enim sententiam Zuinglii lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati, c. 14. ex declaratione ad URBANUM REGIUM, ad quem Bellarminus provocat, perspicuè ipsiusmet Zuinglii verbis exponit D. D. PAREUS, *quòd solos parvulos fidelium à reatu damnationis excipiat. Idq; non per se, sed propter remedium sanguinis Jesu Christi, & propter fœdus Dei, in quo nascuntur. Reliquos infidelium parvulos* JUDICIO *Dei relinquat.* De Bucero, Martyre, Calvino fatemur, eam illorum & omnium doctorum nostrorum esse verissimam sententiam, quæ & orthodoxa, & sub finem capitis tertii libri 6. de amissione gratiæ & statu peccati Bellarmini rationibus firmis à D. D. PAREO probatur.

ALTERA opinio fuit *parvulos non bapti-*

2. *Alii extra cœlum vita sine dolore infantes frui putant, ut Pelagiani.*

baptizatos non quidem regnum cœlorum habituros: tamen extra regnum cœlorum vita quadam æterna & beatitudine naturali sine ullo dolore & molestia fruituros, in loco medio inter gehennam & cœlum. Hæc opinio autem non minùs est falsa, *tum* quia extra regnū cœlorum nulla datur beatitudo: sed erit regnum diaboli, *tum* præter cœlestem beatitudinem per Christum nobis partam, frustra fingitur naturalis aliqua felicitas, quæ in Adamo per peccatum amissa fuit, *tum* denique quia inter gehennam & regnū cœlorū nō datur locus medius pro defunctorū statu, ut verissimè AUGUSTINUS. *Nec est*, inqt, *ullus ulli medius locus, ut possit esse, nisi cum diabolo, qui non est cum Christo.*

" Est que hæc opinio eò teterior, quia " etiam opinio fuit *Pelagianorum*: ut est apud Augustinum de hæresib. cap. 88. Eandem tribuit Bellarminus *Ambrosio Catharino* lib. de statu puerorum, & *Alberto Pighio* in prima controversia, & *Hieronymo Savonarola* in lib. de triumpho crucis. Nam hi à communi sententia Sophistarum, *quòd omnes parvuli tales absolutè damnentur*, tanquam nimis crudeli abhorrentes, voluerunt infantes illos post extremum judicium absolvendos, & naturali quadam beatitudine extra regnum cœlorum victuros. Sed hoc erat commentum commento mutare. Nam neque in extremo judicio, neque post illud quisquam absolvetur à pœnis, qui ex hac vita peccato nondum per CHRISTUM remisso demigraverit. *Hic vita acquiritur vel amittitur. Ubi semel hinc excessum fuerit, nullus pœnitentiæ locus, nullus satisfactionis effectus*, inquit Cyprianus contra Demetr. Illa autem sententia Pighii, Catharini & Savonarolæ regnare adhuc in Papatu animadvertitur.

TERTIA opinio aliquantò severior est: *Parvulos ejusmodi omnes damnari apud inferos morte æterna: & puniri quidem carentiâ visionis Dei, seu pœnâ* DAMNI, *sed sine omni dolore seu pœna* SENSUS. Hanc tribuit THOMÆ in quæst. 1. de malo art. 1. 2. 3. & aliquot Scholasticis doctoribus in 2. sent. distinct. 33. Refutat autem ut falsam c. 6. sicut revera est nō modò falsa, sed absurda & ἀσύστατον. Puniri n. morte æterna, & nulla pœna sensus affici, & puniri carentiâ visionis Dei, planè ἀσύστατα sunt. Si enim summa felicitas & lætitia erit in visione Dei: summa itaq; infelicitas, tristitia & dolor erit in carentia visionis Dei. Commentum verò *pœnæ damni nō sensus* est Sophistarū inventū, S. Scripturæ & Patrib. ignotū.

3. *Alii sentiunt parvulos damnari carentiâ aspectus divini sed sine pœna sensus.*

Psal. 16. 11.

QUARTA opinio superiore adhuc severior; *liberat quidem parvulos ejusmodi à cruciatu ignis & vermis*, de quo legimus Marc. 9. 46. Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur, quæ propriè dicitur pœna sensus: *sed non eos liberat ab interno dolore, qui sequitur ex amissa beatitudine sempiternæ felicitatis.* Hanc tribuit *Lombardo* lib. 2. distinct. 33 E. & sequentibus aliquot: eamq; intrà c. 6. suam facit. Sed æquè incertam & falsam esse demonstrat D.D. Pareus ad illud 6. cap. lib. 6. Bellar. de amiss. gratiæ.

4. *Alii externo dolore carituros sed interno afficiendos infantes sentiunt.*

QUINTA opinio severissima & extrema, *parvulos propter originale peccatum utroque genere pœnæ, damni & sensus, in gehenna perpetuò cruciari* statuit. Eam tribuit *Gregorio Ariminensi* in 2. sentent. distinct. 33. quæst. 3. & *Johanni Driedoni*, lib. 1. de grat. & libero arbitr. tract. 3. cap. 2. Refutat verò ut falsam cap. 6.

5. *Alii pœnâ damni & sensus cruciari infantes sentiunt.*

Ap-

Apparet ex his, quàm pulchrè Sophistæ consentiant de re ad fidem & consolationem Christianam omnino pertinente. Ita verò necesse est andabatarum more in tenebris invicē confligere, qui lucernam Scripturarum, divinitus ad veritatem videndam constitutam, sequi nolunt.

Quarta opinio de limbo puerorum Pelagiana.

Et quod *quartam* opinionem Bellarminus majore cum grege Pontificiorum approbat, nimirum infantes in suo *Infernali Limbo* experiri tantùm pœnam damni, non autem pœnam sensus propriè dictam: hoc est, carere quidem beatâ Dei visione: non tamē cruciatum ignis & vermis sentire, sed tantummodo dolorem quendam internum & mitissimum ex amissa beatitudine percipere, atque ita quasi in perpetuis tenebris desidere, &c. speciem aliquam probabilitatis habet sed re parum à secundâ opinione distat ac differt: Nam credere & sentire *parvulos non baptizatos haud quidem regno cœlorum frui, at vita quadam sine ullo dolore fungi in loco medio in gehennam ac cœlum* & dicere atque sentire, *infantes absq; baptismate mortuos in limbo quodam extra cœlum & tartarum sine sensu externi, at tantū cum sensu interni doloris versari*, tam unū acidem sunt ut ovum gallinæ a que ovum anseris. Et si ea *opinio*, quam tenuit *Catharinus, Pighius & alii* est *Pelagiana*, teste Augustino de hæresi: 88 *etiam hæc est Pelagiana, quam Bellarminus* cum suis gregalibus *sequitur*: Deinde non paucis incommodis laborat, & *hypothesis* habet admodum *controversas*, si non planè falsas, qualis est illa, de præcisa Baptismi necessitate: ad hæc valde *incertas*, uti est illa, de *separata duplici pœna, apud inferos*, quam certè ex Dei verbo probare nunquam poterit. Nam hoc tantū cœlum & infernum in altera vita ostendens, etiam pro pœna in altera vita tantùm inferni gehennam monstat, Math. 5.22 Marc. 9.46. Joh. 3.18.36. Nec præter unam pœnam apud inferos plures à sacra Scriptura ostenduntur.

Nobiscum sentiunt Patres antiqui saniores, Adversarios redarguunt. AUGUSTINUS enim: *Nullus relictus est*, inquit, *medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis & mortuis judicabitur. Alii erunt ad dextram, alii ad sinistram: non novi aliud. Si ergo dextra erit & sinistra & nullum* MEDIUM *locum in Euangelio novimus, ecce in dextra regnum cœlorum est: Percipite, inquit, Regnum. Qui ibi non est, in sinistra est. Quid est in sinistra? Ire in ignem æternum.* Et ut diversam sententiam tenentes hæresin Pelagianam fovere possit cognosci, scribit: PRIMUM *locum fides Catholicorum divina auctoritate regnum credidit esse cœlorum, unde ut dixi, non baptizatus excipitur.* SECUNDUM *gehennam, ubi omnis apostata, vel à fide Christi alienus æterna supplicia experietur.* TERTIUM *penitus ignoramus, imò nec esse in Scripturis sacris invenimus. Finge Pelagianos locum ex officina dogmatis sui, ubi alieni à Christi gratia vitā requiei & gloria possidere parvuli possint. Dextra justi judicis & sinistra regnum est & gehenna, vita est & mors justi & injusti*, &c. Si ergo nullus datus est post hanc vitā locus nisi cœlū & gehēna, quid limb. puerorū? Et si fingere alium locū requiei vel pœnæ puerorū est Pelagianum, quomodo Pelagianismi nævum Pontificii alium locum

Serm. in 14 de Verbis Apost. Math. 25.

Lib. 5. Hypognost. ultra mediū.

præter cœlum & gehennam fingentes effugient?

3. Renatos non habere peccatum. Papistas cum Pelagianis sentire.

TERTIUS verò error hæreticus in caussa originalis peccati apud Pelagianos fuit, justos expertes esse omnis peccati. Nam Augustinus de bono perseverantiæ cap. 5. ait. *Etiam hoc Pelagiani audent dicere, hominem justum in hac vita nullũ habere omnino peccatũ, & in talibus hominib. esse jam in præsenti tempore Ecclesiam non habentem maculam neque rugam.* Papistæ eandem hæresin resipiunt triplici modo.

PRIMUM eadem mente & contemptione T. STAPLETONUS (ut ei objicit Guil. Witakerus lib. 3 de peccato originis cap. 8. pag 341.) disertè instar Pelagiani: *Non potest*, inquit, *in renato, qui per regenerationem reconciliatur Deo, esse peccatum.*

Absimilis huic non est Bellarmini doctrina *de effectu Baptismi* cap. 12. 13. Etenim argumentatur: I. In Baptismo dicitur peccatum omne mundari & auferri, Ephes. 5. 26. Tit. 3. 5. Psal. 51. 8. Ergo post Baptismum in homine renato nihil manet, quod ipsi ad reatum imputari possit, puta nec culpa, nec pœna. II. Idem docent variæ figuræ Baptismi: ut circumcisio, mare rubrũ, fluvius Jordanis, probatica piscina, &c. quibus verè tollebatur id, quod tollendum erat. Ergo similiter per Baptismum extinguitur omne peccatũ, ejusque vera pœna. III. Ecclesia Christiana inprimis ratione Baptismi dicitur tota pulchra, sancta, munda. Cant. 4. Joh. 15. Ephes. 5. 27. Nihil ergo sordium in ea relinquitur post Baptismũ: ac proinde ipse Baptismus per se sanctificat perfectè, & justificat, &c. Hæc Bellarminus.

Animadvertisne igitur, mi lector, quæso Pelagianismum, postliminio à Papicolis reductum? Contra quem satis esse possunt, quæ de peccato in regeneratis residuo adversus *Messdianorum* hæresin & Pontificiorum calumniam, illam Euangelicis adscribentium lib. 1. præsentis operis cap. 20. diximus. Quamobrem hîc principium apertè à Papistis petitur. Refutatur itẽ pervalidè ista hæresis à sancto Johanne 1. epist. cap. 1. 8. & Cypriano de orat. Dominica dicente: *Ne quis sibi quasi innocens placeat, & se extollendo plus pereat, instruitur & docetur, se peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis docetur orare. Si denique Johannes in epistola sua: Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas ejus in nobis non est.* Quod Apostolus dicit: *Ecclesiam non habere maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi*: dicit, quia Ecclesiâ hîc talis est inchoatè. postea verò in cœlo perfectè talis futura. Et Augustinus in Psal. 85. sanctã esse ait, *quia accepit gratiam sanctitatis gratiam Baptismi & remissionis peccatorum.* Et Papistæ ipsi sanctam dici affirmant: *quia pretioso Christi dilecti sponsi sui sanguine ab omni peccati inquinamento mundata est.* Itaque ex inchoata Spiritus sancti renovatione, itemque reatus nostri abolitione, perperàm continuò perfecta universi peccati tam originalis, quàm actualis deletio, seu vitii inhabitantis absoluta & totalis extinctio colligitur. Simul valet hic divisio peccati *in regnãs & non regnans*, quorum posterius renatis tribuitur, ita ut naturâ quidem inclinent ad peccandum, sed gratia divina ad vivendum Deo atque justè agendum. Imò stimulos naturæ ad peccandum

Ephes. 5. 27.

In Sacerdotali Pontificio part. 1.

Rom. 6. 12. 14.

dum incitantes, Spiritu Dei retundant & peccatum designatum pœnitentiâ ac fide emendent. Act. 2. 8. & 30 43.

2. In originali peccato à Maria virgine removendo Papistas Pelagianismum sequi.

Deinde MARIAM *virginem absque originali peccato natam fuisse* sentientes Papistæ, hæresin illam Pelagianam redolent. Nam Pighius eodem in loco apertè conceptionem sine originali peccato *Mariæ* tribuit. Quod certè est peccatum originale more Pelagianorum tollere. Et id eò magis, quod addit Pighius: *Non ideo fuisse Christum per Spiritum sanctum conceptum,* NE PECCATO ORIGINALI INFICERETUR, *sed tantùm ut præter morem humanum nasceretur.*

THOMAS Aquinas 3. part. Summæ quæst. 27. art. 5. disertè scribit: *Mariam habuisse plenitudinem omniam gratiarum.* Hoc est eam Deo exæquare, & Christo parem facere, cui uni id testimonium fert Johannes Baptista in Euangelio Joh. 1 ℣. 16. dicens: Et de plenitudine ejus omnes accepimus, & GRATIAM PRO GRATIA, &c. Hoc verò Mariæ tribuendo faciunt eam Christo ac Deo Patri parem, tum ineximendo eam à peccati originalis labe, tum in reliquis dotibus ac proprietatibus Deitatis ei tribuendis.

Maria B. cultus falsus.

Sic *Franciscani, Scotus & Scotistæ* sentiunt, quemadmodum Gregorius Ariminensis recenset.

Lib. 2. dist. 30. quæst. 2. art. 1.

THOMAS AB ARGENTINA ait: *Mariam sine peccato conceptam, & tandem etiam Festum Conceptionis illius rectè celebrari in Ecclesia Romana.*

Mariæ verus cultus.

Quare nos Euangelici MARIAM quidem verè & ex animo honoramus, Dei MATREM & semper VIRGINEM agnoscentes, ei illa tribuentes, quę sacra Scriptura de ipsa commemorat, exemplumque ipsius pro virili imitari studentes, & fidem, quâ erat exornata, colere atque sequi contendentes. Omnibus quoque ipsam hac ratione diligentissimè commendamus, ut ipsi præstetur, quod ipsamet quasi mandat: *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia magna mihi fecit, qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Ac Elisabetha ejus cognata de Maria: *Benedicta tu inter mulieres, & beata quæ credidisti.* Præterea sic beatam dicimus, si de ea sentiamus, loquamur & credamus, quæ è sacris literis probari possunt. Nec ullum aliud officium & studium ipsi gratum atque honorificum esse potest. *Quod enim non ita dicitur, ut est,* inquit Cassianus, *etiamsi honor videatur, contumelia est.* Qui de CHRISTO hoc dicit contra Eutychianos, quantò magis de Maria adversus MARIOLATRAS? Non igitur existimationi & dignitati Mariæ detrahere, sed consulere connitimur.

Luc. 1. 48. 49.

Luc. 1. 42. 43.

Mariam in peccato conceptam.

Ac ita de vero honore Mariæ deferendo atque habendo etiam plurimi inter ipsos quoq; Pontificios solliciti, de isto argumento in contrariam partē quam acerrimè disceptarunt, quòd nimis absurda & hæretica illa opinio & doctrina de immaculata conceptione Mariæ virginis esset. Lumen hujus sententiæ sincerioris prætulit sanctus Augustinus de Nuptiis & concupiscentiis, ac lib. 5. contra Julianum Pelagianum cap. 5. Hîc enim apertè pronunciat: ESSE HÆRESIN, *quenquam hominem præter unum* CHRISTUM *peccatorum numero excipere.* Et quum dixisset: *Excepta carne Christi omnem reliquam carnem humanam esse carnē peccati,* subjicit: *Quisquis*

qui hoc negat, detestandus HÆRETICUS *invenitur*. Ergo tales & sunt & non injuriâ atque immerito dici possunt Papistæ, qui præter Christum & infantulos & B. Mariam è peccatorum numero eximunt, uti dictum.

Part 3. quæst. 27. art. 2. Hac de caussa Thomas Aquinas, licet illa, quæ modò citavimus, Mariæ tribuerat: tamen addit, *Omnes homines, excepto solo* CHRISTO, *cum originali peccato conceptos, eóque &* VIRGINEM MARIAM *in peccato conceptam*. Idem asserit Thomas Cajetanus in eum locum subjungitque, *Sanctos & antiquos Doctores ita tenuisse*. Nam cum Augustino Ambrosius in Lucam: *Solus*, inquit, *per omnia ex natis de fœmina Dominus* JESUS *terrena contagia corruptelæ immaculati partus novitate non sensit*. *In Luca cap. 7.*

Nec aliter docet sanctus Bernardus, sed dicit: *Excepto homine Christo*, UNIVERSOS *respicit, quod unus humiliter confitetur: In iniquitatibus conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea*. Psal. 51. 7. Epist. 174. ad Lugdunenses.

Gregorius Ariminensis idem dicit lib. 2. distinct. 30. quæst. 2. art. 1. Et *Dominicus Bannes* in 2. sent. quæst. 1. art. 10. & Decreti Pontificii *Glossa* de Consecrat. distinct. 3. cap. pronunciandum: *Festum*, inquit, *conceptionis* (Mariæ) *celebrandum non est, sicut in multis regionibus fit, & maximè in Anglia. Et hæc est ratio, quòd in peccatis concepta fuit, sicut & cæteri Sancti, excepta unica persona Christi*.

Dominicanorum contentio cum Franciscanis ob conceptionem Mariæ. Inde DOMINICANI orthodoxam in hac caussa doctrinam tenent, in apertum bellum adversus *Franciscanos* & alios contrà sentientes atque docentes erupuêre. Tamque acris & odiosa inter duas has factiones de ea re exstitit concertatio, ut & concionibus & scriptis publicis alii aliorum sententiam palàm hæreseos accusârint. Circa annum verò 1439. sub Eugenio IV. Papa *festa Conceptionis & Visitationis Mariæ* publicè instituta sunt in Concilio Basiliensi, ut Balæus in vita Eugenii testatur. *Pag. 366.* Ac sess. 36. definit id opinionem illam, *quòd Maria nunquam subjacuerit peccato originali, sed semper immunis fuerit ab omni originali & actuali culpa, ab omnibus Catholicis tenendam & amplectendam, nullíq; de cætero licitum esse, in contrarium prædicare & docere*.

Cæterùm nihilominus Dominicanis cum suis asseclis sinceriorem sententiam, de cõmuni conceptione Mariæ in peccato originali, naviter propugnantibus, ac Franciscanis cum sua factione sese illis opponentibus, nõ multò pòst SIXTUS IV. circa annum Domini 1466. id Festum Conceptionis Mariæ confirmavit. Ac licet secundùm FRANCISCANOS pronunciarit: tamen utriusque partis sententiam impugnantes condemnavit, & alterutram servari voluit, ut silentium tantæ controversiæ imponeretur. Nam pœnam EXCOMMUNICATIONIS statuit eos, *qui alterutram sententiam ut hæreticam damnare audeant*: quòd (ut ait) *id nondum esset à Romana Ecclesia & sede Apostolica decisum*. *Extravag. com lib. 3. de reliquiis & venerat. sanct.* Qua in re præter hæresin manifestam de conceptionis Marię absq; originalis peccati nævo publicè alteri parti confirmatam, etiam turpis ipsius Pontificis dubitatio & contradictio apparet. Si enim Pontifex, ut Pontificii gloriantur, in judiciis suis errare non potest, cur pacis & veritatis studio quæstionem tantam non solvit? Si res adhuc

adhuc dubia esse debebat, & suspensa, cur Ecclesia Romana festum sanctæ & puræ conceptionis Mariæ institutum retinuit & indulgentiis roboravit? Cur tot millia sunt, qui Franciscanorum & similiter sentientium opinione ac hæresi circumventi sententiam de intemerata Mariæ conceptione, mordicus retinent? Vide eandē & antecedentē extravag. quâ id perspicuè declaratur.

Serpsit sic utraque sententia dubia usq; ad Concilium Tridentinum, Anno Domini 1546. celebratum: Ac sess. 5. die 17. Julii habitâ, de peccato originali, ejusque remissione est actum. Verùm Patres se beatissimam & purissimam virginem Mariam, Dei matrem eorum numero comprehendere, qui peccato originali inficiuntur, negaverunt: sed observandas esse constitutiones Sixti Papæ IV. sub pœnis in iis contentis, sanciverunt.

Bellarmini labor pro opinione de pura conceptione virginis Mariæ.

NOSTRO autem tempore Franciscanorum factio, puram Mariæ conceptionem absque originali peccato defendens, primas in Papatu obtinuit, ut propugnatores cūprimis acres atq; doctos sortita sit, nēpe Jesuitas, quorū nomine vulgatā nunc Romanæ Ecclesiæ sententiam Robertus Bellarminus singulari scripto complexus est. Nam de Amissione gratiæ & statu peccati de ea agit primùm lib. 1. cap. 6. disputans, *An ea sine peccato veniali fuerit?* Ac postquam à cōmuni conditione Sanctorum, quâ nullus eorum absque peccatis venialibus vivere unquam potuit, excepisset primò CHRISTUM, de matre ejus Maria, deinde idem probare tentat. Ac docet ex Thoma, B. Virginem *in prima sanctificatione vel à fomite liberatam, vel tantâ gratiæ copiâ repletam fuisse, ut fomes in ea ligatus manserit, ac deinde in ipsa filii conceptione penitus ablatus fuerit.*

Part. summæ 3. q. 27. art. 3. & 5.

Sed respondetur illud Hieronymi: *Quicquid non habet auctoritatem de Scripturis sacris, eadem facilitate negatur, quâ affirmatur.* Quod igitur Thomas & Bellarminus dicunt, fomitem ita ligatum aut deletum in Maria fuisse, tunc credemus, ubi ex divinis id Scripturis probaverint.

Comment. in Math. 21.

Ex Scriptura igitur huc trahit illud Cantici: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Sed debet probare, quod omnium veterum & recentium consensu de Ecclesiæ purificatione dictum esse constat allegoricè, ad Mariam virginem literaliter pertinere.

Cant. 4. 7.

Adducit deinde *Patres & Scholasticos*, qui B. Virginē omni labe caruisse scribant: Item *Concilium Tridentinum*, quod solam B. Virginem à communi hominum conditione, quantum ad venialia peccata, excipit. RESPONDEMUS: Si B. Mariam à labe libidinis in conceptu excipiunt, nos assentiri. De quo videtur Cyprianus dixisse Sermone de Natali Christi: *Plurimum à cæteris fœminis differens Maria, natura communicavit, non culpa.* Si excipiunt eam ab omni labe simpliciter, & faciunt ἀναμάρτητον sine omni peccato, talem quidem eam nunc esse in gloria cœlesti non dubitamus: In nativitate & omni vita talem fuisse ignoramus, nec evinci posse putamus.

Sess. 5. Append. & Sess. 6. Can. 23.

PRIMÒ, quia sacra Scriptura neminem omnium à communi conditione peccati excipit, nisi CHRISTUM. *Non enim justus, ne unus quidem. Quod natum ex carne, caro est. Quis dabit mundum ex immundo?*

Rom. 3. 10. Joh. 3. 6. Job. 14. 4.

O

Rom.5.12. mundo? *Per unum hominem peccatum introiit in mundum: & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ab hac regula Scriptura solum CHRISTUM excipit, dicente Angelo: *Sanctum, quod ex te nascetur, vocabitur* FILIUS DEI. *Qui peccatum non fecerat, nec inventus est dolus in ore ipsius.*

Luc.1.35.

1.Pet.2.22.

SECUNDO, quia sacra Scriptura Mariam nominatim haud dubiè excepisset, nec rem tanti momenti silentio involvisset, si eam ἀναμάρτητον & à peccato omni immunem à nobis credi voluisset.

TERTIO, quia infirmitates peccati quasdam in Maria virgine Scriptura sacra notavit. Utpote, quod puerum decennem in cura neglexit & amisit: quod in nuptiis Canæ ambitione muliebri Christo præscripere voluit, denique quod concionantem interpellari curavit ac sivit, &c. Nam affectu humano aliquid eam deliquisse, etiam Chrysostomus ad locum Johan. 2. annotavit.

Luc.2.43. Joh.2.3. Math.12.46. Marc.3.31.

QUARTO, quia hoc commento Satan per Monachos viam stravit horribili idolomaniæ, quæ superstitione plus quã Pagana in toto Papatu nunc dominatur, ut Maria REGINA COELI, MATER MISERICORDIÆ salutetur: supra Christũ ponatur & colatur, adoretur: meritum Christi salutis humanæ inter CHRISTI sanguinem & mammas MARIÆ blasphemè dividatur. Quod impurum quendam Jesuitam nuper in carmine, cui titulus: *Positus in medio: quo me vertam nescio:* scurriliter evomere non puduit hunc in modum.

Mariolatria in Papatu.

Hareo lac inter meditans, interq; cruorem
Inter delitias uberis & lateris:
Et dico (si fortè oculos super ubera tendo)
Diva parens, mamma gaudia posco tua.
Sed dico (si deinde oculos in vulnera verto)
O Jesu, lateris gaudia malo tui.
Rem scio prensabo, si fas erit, ubere dextra,
Lava prensabo vulnera si dabitur.
Lac matris miscere volo cum sanguine Nati:
Non possem antidoto nobiliore frui,
O quanto lactabor ab ubere? vulnere pascar?
Delitiisq; fruar Mamma Latusq; tuis? &c.

QUINTO, quia Epiphanius apertè scriptum reliquit, jam suo tempore fuisse hæreticos B. Mariæ cultores dictos, quia REGINAM cœli salutarent, collyrides ei offerrent, eam adorarent. Ac vocavit jam tum Collyridianorum Mariæ cultorum institutum *hæresin, errorem, dæmonum fraudem & imposturam ex eo ortam,* quòd Maria suprà sortem humanam sine peccato fuisse crederetur. Quæ qua quæso fronte legunt hodierni Collyridiani Papistæ? Aut quid habent, quo diabolicã imposturam, fraudem, ludibrium, errorem, idolomaniam suam in Mariolatria excusent? An dicẽt, se non offerre collyrides Mariæ? Imò offerunt ei majora, *Dei attributa ac proprietates, Christi potestatem & virtutem, preces, invocationem, adorationem, fiduciam, spem, aurum argentum, vestes pretiosas, cereos ardentes, capitis coronas, statuas, imagines, picturas vota, peregrinationes, & quid non?* An prætexent, quòd Bellarminus Lib. 1. Sanctorum beatitudine cap. 15. facit, se non adorare Mariam, ut DEUM? Nec ita insaniebant Collyridiani veteres. REGINAM cœli salutabant, adorabant, adorando DEUM faciebant.

Quæ

Quæ nostros Collyridianos cum illis habere communia, quis negare audebit, vel poterit?

Pro Dea habetur Maria apud Papistas.

Sed impudentiùs & confidentiùs & superstitiosiùs Papistæ hodiè sanctam Mariam etiam DEAM palàm vocant. Probatur carmine Papistici cujusdam Poëtæ, quod & in lucem editum publicè legitur, ac inter alia dicit:

Unica virgo, salus, miseris spes unica mundi,
Sponsa Dei, & genetrix omnipotẽtis, ave.
Tu decus æternum magni tu splẽdor Olympi,
Tu Regina potens, unica facta DEA *es.*
Tu cœlum terramq; regis, tu tartara terres,
Omnia sub pedibus denique victa tenes
Cũcta pericla mari, & terrâ mortalib. instãt,
Cuncta tamen per te quisque pericla fugit.
Cuique patet cœlum per te sanctißima virgo,
Et cunctis per te tradita tuta via est.
Quid loquar ulteriùs, genetrix dignißima Christi?
Tu spes æterna es, firma salutis eris.

Annon hîc apertè inter alias abominationes & superstitiones sancta Maria & Dea appellatur, & Dea efficitur? Nã ne quis de sensu ambigere possit, quoniam Dea dicatur, tribuitur ei & cœli & terræ, & maris, & omnium creaturarum atque rerum gubernatio: quæ Dei propria est. Sic in Mariali Bernardini de Bustis: *Maria regina est cœlestis regni, ubi* PLENARIAM *habet potestatẽ, quicquid voluerit, imperandi. Ideo potest verè dicere cum filio:* Data est mihi OMNIS POTESTAS in cœlo & in terra, Math. 28. 18. Et lib. 4. tit. 30. ex professo & apertè sibi sumit OMNIPOTENTIAM Mariæ astruendam. Quod quæso quid aliud est, quam Mariam sanctam in ipsissimi Dei throno collocare, ipsissimum Deum facere, & repudiatâ sacratissimæ Triadis unitate (ut & suprà in Arianismo Papistis tributo dictum) quandam Deorum multitudinem in Ecclesiam invehere, Trinitati, Quaternitatem addere, & uni θεανθρώπῳ Christo Mariam in θεανθρωπίᾳ adjungere? Nam cui Dei propria tribuuntur, is Deus efficitur. Mariæ propria Dei tribuuntur. Ergo Maria DEUS efficitur. Quod minùs negari potest fieri apud Pontificios, quia & Petrus Bembus epistolarum lib. 8. epist. 17. Mariam manifestè & expressè vocat DEAM. Et in Psalterio Mariæ habent Pontificii hæc verba: *Cantemus Dominæ nostræ gloriosæ virgini Mariæ, in hymnis & confessionibus. Benedicamus eam,* DOMINA NOSTRA OMNIPOTENS.

Lib 6. tit. 3.

Sed ut ad caussam de pura Mariæ absque peccato originali conceptione redeamus, Bellarminus *deinde* lib. 4. de amissione gratiæ & statu peccati cap. 14. 15. 16. ad longum disputat, Mariæ immaculatam conceptionem haud esse certam, nec de fide Catholica, quia nondum à Romana Ecclesia sit definita. Atqui si incertum est, nec de fide, Mariam conceptam esse sine peccato, multò magis incertum, & minùs de fide erit, eam planè ἀναμάρτητον atque expertem omnis peccati fuisse. Expedit igitur percurrere ipsius verba, præsertim quum res maximi sit momenti, & nos Euangelicos ad suam hanc disputationem occasionem præbuisse ille dicat. Sic & vanitas & ambiguitas ejus in toto hoc negotio perturbando elucebit: quum tandem in sententia incertâ certam impollutæ conceptionis Mariæ reddere enitatur.

Prætendit initio, se ideò solum cogi de hac quæstione disputare, *quia non desint*

Lib 4 de amissione grat. c. 15.

sint (Euãgelicos notat, & inprimis JOH. POMER.) qui *Eccles. Papal. & Concil. Trident. accusent, quòd opinionem de immaculata cõceptione Mariæ nõ solùm tolerent, sed etiã ut piam & probabilẽ recipiant, imò ut articulum fidei defendant.* Sed callidè tergiversatur. Non enim ignorat, contra illam opinionem non ab Euangelicis primùm disputari cœptum esse, sed jã olim acerrimam de ea concertationẽ inter Monachos, præsertim *Dominicanos & Franciscanos* fuisse, quorum, si pro immaculata conceptione virginis, illi contra eam propolluta in huncusque diem capitaliter dissident. Nota est historia & tragœdia BERNENSIUM *Dominicanorum*, qui anno Domini 1506. miris artibus, apparitionibus, & imposturis *peccatum originale in Mariã propagatum* demonstrare volentes, bonam caussam malè agendo perdiderunt. Deprehensi enim impostores, tanquã malefici flammis exusti publico supplicio Anno 1506. luerunt. In urbe Heidelbergensi sub FRIDERICO Victorioso Electore Palatino, instituta fuit dissertatio de hoc argumento inter Dominicanos & Franciscanos, in qua penes Franciscanos, quorum sententia plausibilior videbatur, victoria fuit. Cujus rei memoriam Franciscani monumentum posuerunt in trabe transversa chori, his verbis: TOTA PULCHRA ES BEATA VIRGO MARIA: ET MACULA ORIGINALIS PECCATI, NON EST IN TE: SICUT DIFFINIVIT SANCTA SYNODUS BASILIENSIS LEGITIME CONGREGATA ANNO 1444. Non est igitur, quod Bellarminus nos accuset, ac si primi commento impio Franciscanorum contradixerimus.

Stumphius in Chronicis Helvetiorum lib. 13. cap. 33. 34. 35. Rodolph. Hospinian. de Monachatu lib. 6. cap. 14.

PORRO tria demonstrare Bellarminus suscipit. *Primò*, non haberi apud Pontificios pro re certa & explorata ac fide Catholica retinenda, B. virginem sine peccato fuisse conceptam. *Secundò*, hanc ipsam opinionem nullo modo esse hæreticam, vel erroneam judicandam. *Tertiò*, non esse etiam temerariã, sed eam admodum, & probabilem, atque adeò contraria sententia probabiliorem. Videamus, ut probet singula.

§. Nos igitur.

Partes 3. sequentis tractationis.

1. Quod ad PRIMUM attinet, nos quidem facilè credimus, non esse illus rem hanc certam & exploratam, quæ verbo Dei non modò non traditur, sed haud obscurè damnatur. *Quis enim dabit mundum de immundo?* Job. 14. Quod verò negat, apud Pontificios pro re certa & explorata, proque articulo fidei haberi vel habitam esse, & ægrè fert, de Papistis hoc à nostris scriptum esse, nulla fronte id facit.

§. Quod attinet.

Incerta conceptio Mariæ, cur apud Pontificios.

Nam PRIMò non hoc solùm capite, sed & suprà lib. 1. cap. 6. ipse de B. virgine interpretatur illud Cantic. 4. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Et *ibi* quidem ex hac Scriptura conficiebat, beatam virginem sine omni peccato mortali & veniali fuisse. *Hic* verò eandem absque peccato originali conceptam esse cõcludit. Quod si verum est, quomodo non pro re certa, explorata, & pro articulo fidei ab eis habetur? An quod expressa Scriptura traditur, id pro re certa, explorata, & pro articulo fidei non habebunt? JESUITÆ Ratisbonensi colloquio adhibiti Anno 1601. contendebant, *canem Tobiæ caudam movitasse*, pro articulo fidei habendum esse, eò quòd secundùm ipsos ibi scriptum habetur. Quidni pro arti-

Tob. 11. 4.

articulo fidei habebunt, immaculatam beatæ virginis conceptionem, si in Scriptura Canticorum tradita habetur? DEINDE, quod Deus potuit & voluit facere, id pro re certa, & explorata necessariò ab illis habetur: nisi potentiam & voluntatem Dei in dubium vocare velint. Mox verò contendet, Deum potuisse & voluisse beatam virginem concipi & nasci sine peccato originis. Capite sequente decies repetet, urgebit, & nostrorum argumentis opponet, in primo instanti animationis singulari privilegio gratiæ sanctificatam fuisse. Ergo aut sanctificatio ista apud eos habetur pro re certa & explorata: aut dubia aut falsa sunt, quæ utroque capite disputabit.

Conciliorũ statuta de conceptione Mariæ. TERTIÒ, res incerta, dubia, indefinita non debet vel potest festo solenni totius Ecclesiæ celebrari. *Ratio*; quia credendum est, Pontificem & Ecclesiã in canonisatione Sanctorũ, cujus pars est institutio diei festi in eorum memoriam, non posse errare. Sic Bellarmin. Tomo 2. lib. I. de sancta beatitudine cap. 7. 8. & 9. At immaculata conceptio beatæ Mariæ apud Pontificios solenni festivitate quotannis celebratur 6. Idus, id est, 8. die Decembris: idq; ie
1466. ex confirmatione SIXTI IV. Pontificis, qui errare nõ potuit (Extrav. de reliquiis & venerat. Sanct. lib. 5.) *cum peculiari officio & indulgentiis iisdem, quas consequuntur homines in corporis Christi solennitate.* Ergo impolluta beatæ virginis conceptio apud Põtificios nequaquam pro re incerta, inexplorata, indefinita habetur.

DENIQUE quod Conciliis universalibus est definitum, pro incerto habeti apud Pontificios non potest. At Concilium universale BASILIENSE immaculatam Deiparæ conceptionem decreto definivit. *Basiliensis. Circa annum 1439.* TRIDENTINUM quoque B. virginem à communi peccatorum lege Synodico decreto excepit. Nam Patres Basilienses: *Nos verò* inquiunt, *diligenter inspectis authoritatibus & rationibus, quæ à plurib. annis in publicis relationibus ex parte utriusq; doctrinæ coram hac sancta Synodo allegata sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis, & matura consideratione pensatis, doctrinam illã differentem, gloriosam virginem Dei genetricem* MARIAM, *præveniente & operante divini numinis gratia singulari, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, sanctámque & immaculatam, tanquam piam & consonam cultus Ecclesiastico fidei Catholicæ, rectæ rationi & sacræ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam, tenendam & amplectendam* DIFFINIMUS & DECLARAMUS, *nullíque de cætero licitum esse in contrarium prædicare & docere. Renovantes præterea institutionem de celebranda sancta ejus conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Ecclesias 4. Idus Decẽbris antiqua & laudabili consuetudine celebratur,* *8. Die Decembris.* STATUIMUS & ORDINAMUS, *eandem celebritatem præfata die in omnibus Ecclesiis, monasteriis & conventibus Christianæ religionis sub nomine Conceptionis festivis laudibus colendam esse, cunctisq; fidelibus verè pœnitentibus & confessis, ea die Missarum solemniis centum, primis autem vel secundis vesperis totidem, sermoni verò verbi divini de ea festivitate interessentibus centum quinquaginta dies, concessione perpetuis temporibus duratura de injunctis sibi*

 pœni-

pœnitentiis hac sancta Synodus elargitur. En definitionem, declarationem, statutum, ordinationem Synodi universalis & Ecclesiæ Catholicæ, quæ errare non potuit. Rem non certam dicis Bellarmine?

Tridentini. In Concilio autem TRIDENTINO renovata est hæc controversia, & vulnus quod jam obductum videbatur, recruduit. Nam dum deliberarent Patres de hac re, editus est Romæ *liber* Cardinalis de Turrecremata, quem *contra incontaminatam conceptionem* B. Virginis scripserat. Aliis igitur aliud super hac re in concilio est visum: & hi Turricrematæ, illi Franciscanis sese agglutinavêre. Tandem acquievit Concilium in SIXTI IV. decreto & illud confirmavit hac nova sanctione, quæ Appendix Decreti V. Sessionis Tridentinæ Synodi dicitur. DECLARAT *tamen hac ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam virginem Mariam Dei genetricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis* SIXTI *Papæ IV. sub pœnis in iis constitutionibus contentis, quas exerat.*

Atqui SIXTUS iste IV. nihil quicquam ea de re statuit, sed quum de hac quæstione magno ardore altercarētur (ut supra nototum) Franciscani & Dominicani, his quidem sanctam virginem sicut & cæteros homines in peccato originali conceptā fuisse asseverantibus, illis verò è contra sentientibus, silentium utrisque indixit. Et ne quis veram esse aut affirmativam aut negativam thesin assereret, præhibuit: sed tamē ut dubitationis hujus decisio sanctæ matri Ecclesię relinqueretur, sāxit. Præjuditium tamen tulit pro Franciscanorum assertione, celebrationem conceptionis sanctæ & impollutæ B. Mariæ ad 8. Decembris diem confirmando, multisq; ac indulgentiis & peccatorum remissionibus eos cumulandos, à quibus illud festum coleretur. *Cap 1 & 2. relig. & venerat. sanctorum in extravag.* Quod in priore constitutione SIXTI habetur, quæ incipit: *Quum praeexcelsa* &c. Ac addit: Nos authoritate Apostolica in perpetuum valitura constitutione STATUIMUS & ORDINAMUS, quod omnes & singuli Christi fideles utriusq; sexus Missam & officiū CŌCEPTIONIS VIRGINIS gloriosæ, &c. At simul neutrius partis sententiā rigidè ac publicè defendi voluit, tametsi ex sui præjudicii sententia pridem quoque *Concilium Basiliense* secundum Franciscanos judicaverat, Patribus *sanctam virginem absque peccato originali conceptam fuisse asseverantibus.* *Sess 36.*

Quare plerisque mirum videri possit, quid caussæ potuerit subesse, aut Tridentinum concilium hunc cum tam multis aliis errorem manifestè probare noluerint, sed Papæ Sixti indefinitæ constitutioni, quam Concilii Basiliensis definitæ stare noluerint, Sed Romani Pontificis artibus id factum videtur. Ille enim nunquam ferre potuit imò pertinacissimè semper obstitit, quo minus Concilii Basiliensis Decreta approbarentur, quia Pontificiam authoritatem suæ postposuisset. Cæterùm etsi Dominicanorum sententia improbata fuerit: erroris tamen vacua erat, vel ex doctiorum Theologorum sententia. Bernard. Epist. 174. Durand. in 4. sent. d. 43. art. 2. &c.

Me-

De amiss. gratia. lib. 4. c. 15. 16. Meminit hujus etiam Bellarminus postea dicens: *Tametsi non desint inter* CATHOLICOS, *qui propensiorem ad veritatem existiment esse sententiam illam, quæ præter* CHRISTUM *neminem excipit à communi lege peccati originalis: tamen illi ipsi sententiam contrariam neque damnant ut erroneam, neque damnare possunt nisi decretis Concilii Tridentini, & summorum Pontificum* SIXTI IV. *ac* PII V. *resistere velint. Quod si facerent, inter* CATHOLICOS *numerandi non essent. Fuerunt autem in priore illa sententia* CAPREOLUS, CAJETANUS *& alii*, &c. Cur ergo initio contendere audet, nō haberi apud Pontificios posteriorem sententiam pro re certa & fidei articulo?

Et ex istis omnibus sic colligimus. *Aut* incerta ratione Concilium Basiliēse, immaculatam B. Virginis conceptionem DIFFINIVIT, Tridentinū B. Virginē decreto suo non COMPREHENDIT, Sixtus IV. Dominicanos vel Prædicatores contrarios EXCOMMUNICAVIT, *aut* certâ. Si incertâ, temeritatem suam excusare non possunt. Si certâ falsum est & dicit Adversarius, nō haberi apud Catholicos pro re certa & explorata, ac de fide Catholica tenenda, B. Virginem sine peccato fuisse conceptam. Quicquid igitur tergiversetur Bellarminus, non mendacium impudentissimum (ut modestè scilicet vocat) sed veritatem scripsit JOH. POMERANUS, immaculatam B. Mariæ conceptionem à Pontificiis pro articulo fidei haberi.

§. Sixt. IV. Pontifex. Nec juvat eum, quod Sixtus IV. Constitutione *Grave nimis*, &c. rem istā nondum ab Ecclesia decisam esse prætendit. Nam Concilium Basiliense ante Sixtum IV. expressè definiverat: DIFFINIMUS inquit, &c. Adde, quod idem Sixtus IV. annis XVII. ante Constitutionem *Grave nimis*, manifestè definiverat, festum immaculatæ conceptionis B. Mariæ omnibus Christi fidelibus celebrādum præcipiendo. Quod igitur posteà eandem in dubio posuit, quid nisi erroris vel inconstantiæ seipsum redarguit? Cumque nihilominus festum id celebrari mandaverit, quid nisi rem eandem, certam & non certam, decisam & non decisam haberi voluit, hoc est, fœdè sibi contradixit, Ecclesiæ illusit?

§. Judicium Sixti. Contra BASILIENSE Concilium Bellarm. excipit PRIMÒ, *definitionem ejus non facere certam fidem, quia Concilium illud ab Apostolica sede non fuerit approbatum.* A quo verò improbatum, nisi ab Eugenio Papa legitimè deposito, eò quòd *ipsos Canones & Decreta sperneret, sanctæ reformationi & restaurationi legis divinæ, ac publicæ saluti vehementer obsistens?* ut Patres Concilii Basiliensis & hujus Eugenii depositi sequaces de eo queruntur. Sess. 37.

Excipit SECUNDÒ, etiam id Concilium non habere rem hanc pro articulo fidei. Sed hoc est falsum. DIFFINIMUS, inquiunt, & DECLARAMUS *eam sententiam ut piam & consonam* CULTUI *Ecclesiastico*, FIDEI *Catholicæ, rectæ rationi, sacræ* SCRIPTURÆ *ab omnibus Catholicis approbandam, tenendam & amplectendam esse: nulliq́ue de cætero licitum esse in contrarium prædicare & docere.* Quod ergo diffinitum, & declaratum est à Synodo universali, cultui & fidei Catholicæ & sacræ Scripturæ esse consentaneum,

taneum, cujus contrarium prædicare & docere planè est illicitum; potéstne? dic Bellarmine, apud Catholicos vel Papistas pro re non certa, non explorata, & non pro articulo fidei haberi?

Hæreticam jure dici sententiam de immaculata conceptione Mariæ.

II. Ad SECUNDUM, quod attinet, accusat *Illyricum*, *Heshusium*, *Chemnitium*, quòd opinionem Pontificiorum de impolluta B. Virginis conceptione erroneam, hæreticam, verbo Dei contrariam esse scripserunt: *à qua Adversariorum temeritate*, inquit, *longè absunt omnes Catholici.* Sed *prius* verissimum esse docebitur capite sequenti. *Posterius* frustrà prætendit, quia falsum est. Nam inter Sophistas & Monachos, qui omnes haberi volunt Catholici, plurimos fuisse, qui opinionem illam *erroneam & hæreticam* duxerint, historiæ testantur. Quæ idcirco non redduntur falsæ, quia Bellarminus omnibus iis, qui summorum Pontificũ Sixti IV. & Pii V. decretis resistere velint, anathema minatur. Hoc scilicet est nodum solvere.

5. Probatur.

SUAM verò opinionem fidei Catholicæ non repugnare, proinde hæreticam non esse, tali probat argumento. Id solùm repugnat fidei Catholicæ, quod asseritur vel contra expressum Dei verbum, vel contra verbum Dei ab Ecclesia declaratum. Virginem Deiparam ab originali peccato fuisse immunem, non repugnat expresso Dei verbo, neque Ecclesiæ declarationi. Ergo Virginem Deiparam ab originali peccato fuisse immunem, non repugnat fidei Catholicæ. ASSUMPTIONEM probat, dicens: *Quia nullus Euangelicorum adhuc locum ullum Scripturæ vel Conciliorum protulit, ubi disertis verbis legatur, B. Virginem in peccato originali conceptam fuisse.* QUASI verò hoc de quoquam hominum, Davide excepto, expressè scriptum legatur. *Psal. 51. 7.* Pariter igitur singulorum hominum conceptionem immaculatam assereret.

5. Dicet, si res ita.

Nec juvat eum, quod contra hoc excipit: *Fidem Catholicam hoc solùm requirere, ut credamus omnes homines per carnalem generationem ex Adamo prognatos, ex eodem trahere originale peccatum, nisi fortè privilegio singulari à communi lege aliquis excipiatur, quale privilegium de nullo alio hominum, sed de sola Maria rationibus probari possit.* Hoc enim posterius est in quæstione, & inanis petitio principii. De MARIA enim non magis, quàm de hominibus aliis singulare illud privilegium, quod prætenditur, probari potest.

Ad argumenti verò Adversarii partes sigillatim & strictè respondemus: PRIMÒ distinguẽdo propositionem. Repugnare nimirum fidei Catholicæ, quod asseritur contra expressum Dei verbum, nempe vel in thesi, vel in hypothesi. Licet autem verbum Dei non habeatur expressum in hypothesi de Virgine Maria, quòd sit concepta in peccato originis: habetur tamen expressum in *thesi*, quòd omnes homines *in Adamo peccaverint, sint mortui, pravi à juventute, filii iræ naturâ:* à qua thesi si excipiat Mariam Bellarminus, expressam hypothesin cõtrariam ex Scriptura afferat oportet. Sic *assumptionis* pars prior est falsa. Altera etiam pars est falsa. Opinio enim Franciscana repugnat verbo Dei, ab Ecclesia Apostolica & subsequente declarato: ut postea in cap. 16. ostendetur.

Rom. 5. 12. & 7. 10. Col. 2. 13. Gen. 6. 5. Ephes. 2. 3.

III. Ter-

III. Tertium probaturus initio fatetur, se expressum Dei verbum aut certam aliquam Ecclesiæ definitionem adferre non posse. Labascit, & quod priori argumento assumpserat, ipse negat. Et cur igitur suprà attulit & mox adferet ex Canticis verbum Dei: *Tota tu pulchra es amica mea, & macula non est in te?* & dicet hoc testimonium sponsi debuisse in Virgine MARIA impleri? Nunc itaque fatetur, testimonium illud nec in thesi, nec in hypothesi de Virgine Maria expressum esse: & nihil inde probari. Nec verum est, *definitionem nullam Ecclesiæ Pontificiæ extare.* Extat enim (ut ostendimus) definitio Concilii Basiliensis, & post hoc Sixti IV. Extravagant. lib. 5. de reliquiis & venerat. Sanctorum, &c. & post hunc Concilii Tridentini.

Cant. 4. 7.

Re igitur ex Scriptura sacra & Ecclesiæ definitione desperata, RATIONES, ut ait, probabiles & minimè probabiles profert quadruplicis generis: Ex *Scripturis*; ex *Patribus*; ex *consensu Ecclesiæ*; ex *Ratione*.

Rationes Bellar. pro intemerata conceptione beatæ Mariæ.

Ex SCRIPTURIS producit *Primò* duas, ut vocat, *insignes figuras.* UNA est *Adam*, qui fuit typus Christi, Rom. 5. 14. Fuit autem is non ex concubitu natus, sed ex terra, & quidem immaculata, non maledicta formatus: Ergo sic etiam Christus ex Maria matre immaculata nasci debuit. ATQUI eadem ratione concluderet, CHRISTUM non debuisse ex virgine nasci, sed ex terra immaculata creari, ut origine fieret Adamo similis. Talia verò commenta æquè facilè negantur, atque probantur. Hoc eò magis, quia figura vel typus non respondet antetypo. Adamū enim Apostolus facit typum Christi non in modo originis, quia sic nulla inter eos similitudo, sed in contrariis effectis. Rom. 5. 14.

1. Rationes è S. Scriptura.

ALTERA figura fuit *Heva*, quæ (ut ait) gessit typum Mariæ. Heva autem quum primùm formata fuit, erat sine peccato. Ergò sicut mater omnium viventium vitâ animali condita fuit sine peccato, sic mater omnium viventium vitâ spirituali, sine peccato concipi debuit. RESPONDEMUS: Propositio si negetur, quomodo eam probabit Bellarminus ex Scriptura? *Irenæus* quidem Hevam & Mariam comparat in quibusdam: sed non in ratione originis. Nec dicit illam fuisse hujus typum. *Epiphanius* loco allegato à Bellarmino, Hevæ & Mariæ ne mentionem quidem facit. Alibi quidem utriusque matris meminit, sed typi minimè. Imò contra Adversarium ibi disertè scribit: MARIAM *non aliter genitam esse præter hominum naturam, sed sicut omnes ex semine viri & utero mulieris.* Refellit etiam traditiones contrarias. Et tandem *impossibile est*, inquit, *aliquem in terra generari præter hominum naturam. Solum* CHRISTUM *decuit, SOLI ipsi natura cessit.*

Lib. 5. c. 16.

Hæresi 78.

Hæresi 79.

SECUNDO profert loca ex Canticis: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et: *Tota tu pulchra es amica mea, & macula in te non est.* Item: *Hortus conclusus soror mea sponsa fons signatus, &c.* SED fatetur ipse, *ea de tota Ecclesia intelligi posse:* Dicimus nos, debere. Non igitur de Maria loquuntur. *Aliqui*, inquit, *Patres de Maria interpretantur.* Quid tum? Plures de Ecclesia. Et modo est fassus, ex Scripturis probationem cer-

Cant. 2. 2. & 4. 7. 12.

tam non haberi. Nec Patres ad Mariam ista loca Cāticorum referentes aliter sibi credi volunt i[illegible]sis, quàm quatenus Scripturæ consentiant: id quod hi: ab illis non fit. Sanè sanctus Hieronymus: *Sine auctoritate Scripturarum, garrulitas non habet fidem.* Ad Tit. cap. 1.

3. Rationes è Patribus & consensu Ecclesiæ. Ex patribus TERTIÒ adducit testimonia Ambrosii, qui vocat Mariam incorruptam virginem, ab omni labe peccati integram, serm. 22. In Psal. 119.

In Psal. 77. HIERONYMI: *Qui nubem diei, sub qua Deus deduxit Israëlitas fuisse Mariam virginem* ait: AUGUSTINI, qui de nat. & grat. dicit: *Se de Maria virgine, quum de peccato agitur, nullam velle habere quæstionem &c.* SEDULII lib. 1. Mirabilium divinorum, ubi *Mariam comparat Heva ante lapsum.* CYPRIANI: *qui Evam dixit non lassari communibus injuriis.* (Sermone de operibus.) SOPHRONII epist. ad Sergium: Qui dicit, *Mariam fuisse ab omni contagione liberatam.* DAMASCENI, qui dicit orat. de virgine: *In Maria naturam non esse ansam antevertere gratiam.* IDIOTI, qui lib. in contemptores virginis cap. 2. ex dicto *Tota pulchra es, &c.* Mariam *à peccato originali, mortali, veniali immunem* dicit: PETRI DAMIANI, qui serm. de nat. S. Johan. inquit: *Mariam altiore genere sanctificationis fuisse mundatam à peccato, quàm Johannem & Hieremiam.* BRUNONIS, qui in Psal. 10. Mariam vocat *terram illam incorruptam, cui benedixit Dominus.* ANSHELMI, qui lib. de conceptione virginis cap. 17. ait: *decuisse ut Christi conceptio de matre purissima* fieret. Catenæ Græcorum à THEODORETO compositæ in Cantica, qui dicit, Mariam ideo *columbam unicam nominari in Canticis, quod columbam & Seraphim puritate vincat.* (Lib. 3. Cantic.)

Ad hæc verò testimonia RESPONDEMUS: Propositio, quòd quicquid isti Patres & Monachi scripserunt, sit veritas, infirma & falsa est. Neque assumptio vera est tota. Plerique enim vel nihil habent de immaculata Mariæ conceptione, vel fabulosas revelationes pro veris historiis asserunt, vel hyperbolicè & allegoricè loquuntur sine Scriptura, *sine qua ad credendum eorum dictis, neminem compellit sanctorum Patrum auctoritas,* dicit Biel Lect. 41. in canonem Missæ.

Ad consensum Ecclesiæ probandū profert *constitutiones* duas Sixti 4. Alexandri 6 Julii 2. Leonis 10. Pontificum Romanorum. Item *Decreta* Concilii Basiliensis & Academiæ Parisiensis, necnō *festū* immaculatæ conceptionis B. Virginis, à toto ferè orbe Christiano celebratum. SED nihil proficit. Ipse enim agnoscit, id festum recens *circa Bernhardi tēpora inoleviße*, non in immaculatæ conceptionis, sed simpliciter in cōceptionis Mariæ memoriā circa annū 1120 Ergo neq; tūc, neq; ante credebatur immaculata Mariæ conceptio. (Tomo 2. lib. 3. c. 16. de cultu sanctor.) Ubi igitur Ecclesiæ consensus? *Adde*, quòd Pontificum auctoritas in in caussa propria sua nulla est. De Basiliensi decreto & constitutionibus Paparum responsum est priùs. Nunc adjicio: Nihil concilia vetustissima & optima de fide esse statuerunt præter & contra Scripturæ auctoritatem: ut ex Act. 15. & Concilio Niceno 1. Chalcedonensi, Ephesino ac Constantinopolitano liquet. Et *Constantinus Magnus* in Synodo Nicena; *Libri Euangelistarum*, inquit, *& Apostolorum veterúmque Prophetarum oracula nos evidenter docent, quid de* (Theodor. hist lib. 1. cap. 7.)

de divino numine sentiendum sit. Quare quæ Basiliense & Tridentinum Concilium, Papæ item de Mariæ conceptione impollutæ constituerunt à sacra Scriptura alienum, nullius est ponderis. *Parisiensis Academia* non plus præjudicat veritati, quàm Heidelbergensis. *Festum* denique superstitiosum de quo est κρινόμενον, nihil probat. *Sufficiunt*, inquit Athanasius, *per se sacra & divinitus inspirata Scriptura ad veritatis indicationem.* In lib. contra Gentes.

§. Sed rationes. 3. A ratione. DENIQUE ex *ratione* sic argumentatur; Quod Deus potuit & voluit facere, id fecit. Certum verò est, Deum potuisse B. Virginem à peccati originalis contagione præservare: probabile est autē, etiam voluisse. Igitur probabile est, eam ab ejusmodi contagione fuisse præservatam. DEBUIT inferre. Ergo partim certum, partim probabile est, eam fuisse præservatam.

Omnipotētia Dei, an Maria ab originali peccato præservata sit. POTUISSE Deum eam præservare *probat*; quia neque ex parte Dei, neque ex parte creaturæ ulla repugnantia cernatur. Non *ex parte Dei*: quia Deus est omnipotens, & non est impossibile apud Deum omne verbum. Neque *ex parte creaturæ*; quia PRIMÒ nihil obstat, quò minùs eodem temporis puncto anima rationalis creetur à Deo, & gratia repleatur: sicut credimus, eum creasse Angelos, animas primorum parentum, & animam Christi. DEINDE, si Deus potest animam peccatricem factam justificare, sanctificare, sicut in nobis facit, cur non poterit eandem sanctificare, antequam incipiat esse peccatrix? Sic ille.

Solutio Euangelica. RESP. Parum est probare Dei potentiam, nisi probetur voluntas. Neque enim sequitur à posse ad esse: Deus potest facere, ergo facit. Nec *duæ* rationes sunt firmæ. Ad PRIMAM dicimus: Deum ita creasse Angelos, primos parentes & animam Christi ex Scriptura constat: de anima virginis non constat. Ergo ratio dissimilis. Ad ALTERAM dicimus: Deus animas peccatrices in hac vita quidem sanctificat: non tamen ut sint sine omni peccato, efficit: quod de virginis anima infertur. Ergo & hæc dissimilis.

§. Dices 4. Objectio. Ipse sibi objicit contrà: *Quod non repugnet quidem absolutè divina potentia & voluntati: repugnet tamen posito illo decreto divino & immutabili quo statuit Deus, ut si Adam peccaret, omnes homines ex eo conciperentur in iniquitate & essent naturâ filii iræ.* RESPONDET: Eo decreto non fuisse Deo potestatem ablatam ex privilegio singulari beatam Virginem à peccato reipsa præservandi. Quod probat *primum* exemplo mortis, cui licet ex eodem decreto totum genus humanū ob Adami peccatum subjaceat: possit tamen Deus efficere, ut aliquis reipsa non moriatur. *Deinde* exemplo Hieremiæ & Baptistæ, quos Deus, non obstante illo decreto, in utero matris plenè sanctificavit, Jerem. 1. 5. Luc. 1. 15.

Solutio. RESP. Prius quidem facilè dari. Faciet enim Deus, ut homines in novissimo die residui non moriantur, sed in nictu oculi mutentur: quia hoc prædixit Apostolus. 1. Cor. 15. 52. Et si potest mortuos resuscitare, quidni posset mortales à morte præservare absolutâ suâ potētiâ. Sed quia in verbo suo nō revelavit beatā virginē à labe originali se præservare velle, frustrà de potētia disputatur.

QUOD ad posterius, exempla Hie-

Jeremias & Joh. Baptista, ut sanctificati sint ab utero.

remiæ & Baptistæ aliena sunt. Eorum enim sanctificatio non fuit à peccato originali præservatio, sed ad munus Propheticum extraordinaria quædam destinatio & inauguratio. Quod observans sanctus BERNARDUS epist. 174. ait: *Cæterùm quatenus adversus originale peccatum hæc ipsa sanctificatio valuerit, sive pro isto, sive pro illo Propheta: vel si quis alius simili præventus gratia fuerit, non temere dixerim.* Observandum verò, quod Adversarius sub finem ejus §. subjicit: *De ipsa Virgine nullam quæstionem esse apud Catholicos, quin saltem ante nativitatem in utero matris sanctificata*, hoc est, *à peccato originali præservata fuerit*. Quod habet ex Thoma Aquinate 2. 3. quæst. 27. art. 1. INDE igitur patet, apud Pontificios si non conceptionem, saltem nativitatem immaculatam Mariæ pro re certa & articulo fidei haberi. De quo enim in divinis nulla est apud illos quæstio, id pro re certa & articulo fidei sine dubio ab illis habetur. Quomodo igitur negat, haberi ab ipsis pro re certa? Frustrà verò litigat iste de immaculata cōceptione, posita immaculata nativitate: quum hæc æquè sit incerta, Scripturæ sacræ repugnans & falsa, atque illa. Hæc de Dei potentia.

§. Habemus igitur. Voluntate Dei an Maria ab originis peccato præservata sit.

VOLUISSE Deum præservare Mariam Virginem ab originali peccato in ipso conceptionis, animationis & nativitatis puncto, demonstrandum restat Adversario: quo demonstrato, stabit tota ejus ratio: secus operam lusit & Ecclesiæ imposuit. Animadverte igitur egregiam scilicet voluntatis divinæ probationem. *Voluisse*, inquit *satis probabiliter demonstrari ex stimamus ex illis rationibus, quibus S. Thomas probat, matrem Dei omnis peccati actualis expertem esse debuisse.* Hinc ejus rationes infert quatuor.

PRIMA ratio est, quia tam honor, quàm ignominia matris redundat in prolem.

SECUNDA, quia mater Christi singularem affinitatem & conjunctionem cum ipso habet. Quæ autem conventio Christi & Belial?

TERTIA, quia singulari modo Dei filius, qui est ipsa Dei sapientia, habitavit in matre. *At in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*: ut dicitur Sapient. 1.

QUARTA, quia debuit in Virgine testimonium illud sponsi cœlestis impleri: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Cant. 4. 7.

AD hanc sententiam & rationes Thomæ RESPONDEMUS generatim *duo*. UNUM, si ex rationibus illis mater Domini DEBUIT esse expers omnis peccati, tum rationes illæ nō tantùm probabiliter, sed necessariò id demonstrabunt. Quod enim DEBUIT fieri, ex ordine justitiæ necessariò factum est. Viderint igitur Sophistæ, quomodo pro re non certa habeant illud, quod fieri DEBUIT. Christus debuit fieri homo, immaculatus, impollutus: debuit mori, resurgere: & ita factum est, atque factum esse credimus. Pro re igitur incerta hoc habere esset infidelitas & incredulitas. Si itaq; mater Christi DEBUIT cōcipi & nasci omnis peccati expers, & hoc factū esse Papistæ credunt: quomodo verum esse potest, quod dicit Bellarminus, id pro re incerta, nec pro articulo fidei à Papistis haberi? ALTERUM seu probabiliter, seu necessa-

necessariò dicantur rationes illud conficere: nihil ad rem Bellarmini. Tantùm enim concludũt, matrem Domini post nativitatem, vel in nativitate, nequaquam verò in conceptionis vel animationis puncto (quod propriè in cõtroversia esse in cap.16. liquebit) omnis peccati expertẽ esse DEBUISSE. Verùm ne hoc quidem conficiunt rationes: quia omnes sunt falsæ.

Nunc igitur speciatim singulas revocemus ad formam, & dissolvamus. PRIMA est: *Tàm honor, quàm ignominia matris redundat in prolem. Honor matris est immaculata conceptio: ignominia peccatum originale. Hæc ergo redundat in ipsum Christum: quod est impium.* RESPONDEMUS: *Assumptionis* pars prior est falsa: quod immaculata conceptio sit honor Mariæ in Christum redundans. Rectè enim CASSIANUS: *Non minoris erroris est, Christo impropria tribuere, quàm propria derogare. Quod enim non ita, ut est, dicitur, etsi honor videatur, contumelia est.* Si de Christo hoc verum, quãtò magis de virgine. Ea de caussa contra illam Assumptionis partem sanctus Bernardus: *Solus Jesus de Spiritu sancto conceptus, quia solus ante conceptum sanctus. Has prærogativa prolis est: hanc B. Mariæ tribuere*, NON EST HONORARE VIRGINEM, *sed* HONORI DETRAHERE. *De aliis omnibus verum, quod cecinit Propheta Psal 50. In iniquitatibus conceptus sum.* Posterior *assumptionis* pars vera quidem, quod peccatum originale sit matris quædam ignominia. Sed negatur eam redũdare in prolem. Ab ea enim labe proles in utero matris sanctificatione Spiritus singulari fuit præservata, teste Scriptura Luc.1. Qua sanctificatione opus non fuisset, si mater originali peccato caruisset.

Lib.1.de incarn.

Epist.174.

NB.

SECUNDA est formanda. *Qui singularem habet cum Christo affinitatem, is debuit concipi sine peccato originis: quia Christo nihil cum Balial.* 2.Cor.6.15. *Maria singularem habuit cum Christo affinitatem. Ergo sine peccato originali concipi debuit.*

RESPOND. Vel quatuor sunt termini, vel ꝓpositio est falsa. Propositio n. & ejus ratio propriè de affinitate morali: assumptio de affinitate naturali loquitur. Secus propositio est falsa. Ad affinitatem enim naturalem, qualis est matris & prolis, tuendam, non opus fuit immaculata matris conceptione, sed satis fuit prolis in utero matris miraculosa sanctificatio, teste Scriptura Lucæ 1.

TERTIA in forma sic erit: *In quo Christus sapiẽtia Dei singulari modo habitavit, is sine peccato originali concipi debuit. Ratio: quia in malevolam animam non intrabit Sapientia. Sap.1. In Maria virgine Christus sapientia Dei singuli modo habitavit. Ergo Maria virgo sine peccato originali concipi debuit.* RESPONDEMUS: Rursus val quatuor termini sunt, vel propositio est falsa. *Propositio* n. de inhabitatione GRATIÆ, *assumptio* de inhabitatione naturali generationis loquitur. Vel propositio est falsa, per eandem caussam, qua prior. Ad inhabitationem enim singularem Christi in matre tuendam satis fuit, prolem sanctificatione Spiritus à peccato materno præservari, quod factum testatur Scriptura. Ratio ex Sap.1.cap. nulla est. Sapiens enim loquitur de sapientia creata, nõ de increata, quæ est Christus.

Rom. 5.12. *mundo? Per unum hominem peccatum intriit in mundum: & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ab hac regula Scriptura solum CHRISTUM excipit, dicente Angelo: *Sanctum, quod ex te nascetur, vocabitur* FILIUS DEI. *Qui peccatum non fecerat, nec inventus est dolus in ore ipsius.*

Luc. 1.35.

1. Pet. 2. 22.

SECUNDO, quia sacra Scriptura Mariam nominatim haud dubie excepisset, nec rem tanti momenti silentio involvisset, si eam ἀναμάρτητον & à peccato omni immunem à nobis credi voluisset.

TERTIO, quia infirmitates peccati quasdam in Maria virgine Scriptura sacra notavit. Utpote, quod puerum decennem in cura neglexit & amisit: quod in nuptiis Canæ ambitione muliebri Christo præscripere voluit, denique quod concionantem interpellari curavit ac sivit, &c. Nam affectu humano aliquid eam deliquisse, etiam Chrysostomus ad locum Johan. 2. annotavit.

Luc. 2. 43. Joh. 2. 3. Math. 12. 46. Marc. 3. 31.

QUARTO, quia hoc commento Satan per Monachos viam stravit horribili idolomaniæ, quæ superstitione plus quã Pagana in toto Papatu nunc dominatur, ut Maria REGINA COELI, MATER MISERICORDIÆ salutetur: supra Christũ ponatur & colatur, adoretur: meritum Christi salutis humanæ inter CHRISTI sanguinem & mammas MARIÆ blasphemè dividatur. Quod impurum quendam Jesuitam nuper in carmine, cui titulus: *Positus in medio: quo me vertam nescio:* scurriliter evomere non puduit hunc in modum.

Mariolatria in Papatu.

Hæreo lac inter meditans, interq́ cruorem:
Inter delitias uberis & lateris:
Et dico (si fortè oculos super ubera tendo)
Diva parens, mamma gaudia posco tua.
Sed dico (si deinde oculos in vulnera verto)
O Jesu, lateris gaudia malo tui.
Rem scio prensabo, si fas erit, ubere dextra,
Læva prensabo vulnera si dabitur.
Lac matris miscere volo cum sanguine Nati:
Non possem antidoto nobiliore frui,
O quanto lactabor ab ubere? vulnere pascar?
Delitiisq́ fruar Mamma Latusq́ tui? &c.

QUINTO, quia Epiphanius apertè scriptum reliquit, jam suo tempore fuisse hæreticos B. Mariæ cultores dictos, quia REGINAM cœli salutarent, collyrides ei offerrent, eam adorarent. Ac vocavit jam tum Collyridianorum Mariæ cultorum institutum *hæresin, errorem, dæmonum fraudem & imposturam ex eo ortam,* quòd Maria suprà sortem humanam sine peccato fuisse crederetur. Quæ qua quæso fronte legunt hodierni Collyridiani Papistæ? Aut quid habent, quo diabolicã imposturam, fraudem, ludibrium, errorem, idolomaniam suam in Mariolatria excusent? An dicẽt, se non offerre collyrides Mariæ? Imò offerunt ei majora, *Dei attributa ac proprietates, Christi potestatem & virtutem, preces, invocationem, adorationem, fiduciam, spem, aurum argentum, vestes pretiosas, cereos ardentes, capitis coronas, statuas, imagines, picturas vota, peregrinationes, & quid non?* An prætexent, quòd Bellarminus Lib. 1. Sanctorum beatitudine cap. 15. facit, se non adorare Mariam, ut DEUM? Nec ita insaniebant Collyridiani veteres. REGINAM cœli salutabant, adorabant, adorando DEUM faciebant.

Quæ

Quæ nostros Collyridianos cum illis habere communia, quis negare audebit, vel poterit?

Pro Dea habetur Maria apud Papistas.

Sed impudentiùs & confidentiùs & superstitiosiùs Papistæ hodiè sanctam Mariam etiam DEAM palàm vocant. Probatur carmine Papistici cujusdam Poëtæ, quod & in lucem editum publicè legitur, ac inter alia dicit:

Unica virgo salus, miseri sp[e]s unica mundi,
Sponsa Dei, & genetrix omnipotētis, ave.
Tu decus æternum, magni tu splēdor Olympi,
Tu Regina potens, unica facta DEA *es.*
Tu cœlum terramq́, regis, tu tartara terres,
Omnia sub pedibus denique victa tenes.
Cūcta pericla mari, & terrâ mortalib. instāt,
Cuncta tamen per te quisque pericla fugit.
Cuique patet cœlum per te sanctißima virgo,
Et cunctis per te tradita tuta via est.
Quid loquar ulteriùs, genetrix dignißima Christi?
Tu spes æterna es, firma salutis eris.

Annon hîc apertè inter alias abominationes & superstitiones sancta Maria & Dea appellatur, & Dea efficitur? Nā ne quis de sensu ambigere possit, quoniam Dea dicatur, tribuitur ei & cœli & terræ, & maris, & omnium creaturarum atque rerum gubernatio: quæ Dei propria est. Sic in Mariali Bernardini de Bustis: *Maria regina est cœlestis regni, ubi* PLENARIAM *habet potestatē, quicquid voluerit, imperandi. Ideo potest verè dicere cum filio:* Data est mihi OMNIS POTESTAS in cœlo & in terra, Math. 28. 18. Et lib. 4. tit. 30. ex professo & apertè sibi sumit OMNIPOTENTIAM Mariæ astruendam. Quod quæso quid aliud est, quam Mariam sanctam in ipsissimi Dei throno collocare, ipsissimum Deum facere, & repudiatâ sacratissimæ Triadis unitate (ut & suprà in Arianismo Papistis tributo dictum) quandam Deorum multitudinem in Ecclesiam invehere, Trinitati, Quaternitatem addere, & uni θεανθρώπῳ Christo Mariam in θεανθρωπίᾳ adjungere? Nam cui Dei propria tribuuntur, is Deus efficitur. Mariæ propria Dei tribuuntur. Ergo Maria DEUS efficitur. Quod minùs negari potest fieri apud Pontificios, quia & Petrus Bembus epistolarum lib. 8. epist. 17. Mariam manifestè & expressè vocat DEAM. Et in Psalterio Mariæ habent Pontificii hæc verba: *Cantemus Dominæ nostræ, gloriosæ virgini Mariæ, in hymnis & confeßionibus. Benedicamus eam,* DOMINA NOSTRA OMNIPOTENS.

Lib 6. tit. 3.

Sed ut ad caussam de pura Mariæ absque peccato originali conceptione redeamus, Bellarminus *deinde* lib. 4. de amissione gratiæ & statu peccati cap. 14. 15. 16. ad longum disputat, Mariæ immaculatam conceptionem haud esse certam, nec de fide Catholica, quia nondum à Romana Ecclesia sit definita. Atqui si incertum est, nec de fide, Mariam conceptam esse sine peccato, multò magis incertum, & minùs de fide erit, eam planè ἀναμάρτητον atque expertem omnis peccati fuisse. Expedit igitur percurrere ipsius verba, præsertim quum res maximi sit momenti, & nos Euangelicos ad suam hanc disputationem occasionem præbuisse ille dicat. Sic & vanitas & ambiguitas ejus in toto hoc negotio perturbando elucebit: quum tandem in sententia incertâ certam impollutæ conceptionis Mariæ reddere enitatur.

Prætendit initio, se ideò solum cogi de hac quæstione disputare, *quia non desint*

Lib 4 de amissione grat. c. 15.

fint (Euãgelicos notat, & inprimis JOH. POMER.) *qui Eccles. Papal. & Concil. Trident. accusent, quòd opinionem de immaculata cõceptione Mariæ nõ solùm tolerent, sed etiã ut piam & probabilẽ recipiant, imò ut articulum fidei defendant.* Sed callidè tergiversatur. Non enim ignorat, contra illam opinionem non ab Euangelicis primùm disputari cœptum esse, sed jã olim acerrimam de ea concertationẽ inter Monachos, præsertim *Dominicanos & Franciscanos* fuisse, quorum, si pro immaculata conceptione virginis, illi contra eam propolluta in huncusque diem capitaliter dissident. Nota est historia & tragœdia BERNENSIUM *Dominicanorum*, qui anno Domini 1506. miris artibus, apparitionibus, & imposturis *peccatum originale in Mariã propagatum* demonstrare volentes, bonam caussam malè agendo perdiderunt. Deprehensi enim impostores, tanquã malefici flammis exusti publico supplicio Anno 1506. luerunt. In urbe Heidelbergensi sub FRIDERICO Victorioso Electore Palatino, instituta fuit dissertatio de hoc argumento inter Dominicanos & Franciscanos, in qua penes Franciscanos, quorum sententia plausibilior videbatur, victoria fuit. Cujus rei memoriam Franciscani monumentum posuerunt in trabe transversa chori, his verbis: TOTA PULCHRA ES BEATA VIRGO MARIA: ET MACULA ORIGINALIS PECCATI, NON EST IN TE: SICUT DIFFINIVIT SANCTA SYNODUS BASILIENSIS LEGITIME CONGREGATA ANNO 1444. Non est igitur, quod Bellarminus nos accuset, ac si primi commento impio Franciscanorum contradixerimus.

Stumphius in Chronicis Helvetiorum lib. 13. cap. 33. 34. 35. Rodolph. Hospinian. de Monachatu lib. 6. cap. 14.

§. Nos igitur.

PORRO tria demonstrare Bellarminus suscipit. *Primò*, non haberi apud Pontificios pro re certa & explorata ac fide Catholica retinenda, B. virginem sine peccato fuisse conceptam. *Secundò*, hanc ipsam opinionem nullo modo esse hæreticam, vel erroneam judicandam. *Tertiò*, non esse etiam temerariã, sed eam admodum, & probabilem, atque adeò contraria sententia probabiliorem. Videamus, ut probet singula.

Partes 3. sequentis tractationis.

§. Quod attinet.

Incerta conceptio Mariæ, cur apud Pontificios.

I. Quod ad PRIMUM attinet, nos quidem facilè credimus, non esse illis rem hanc certam & exploratam, quæ verbo Dei non modò non traditur, sed haud obscurè damnatur. *Quis enim dabit mundum de immundo?* Job. 14. Quod verò negat, apud Pontificios pro re certa & explorata, proque articulo fidei haberi vel habitam esse, & ægrè fert, de Papistis hoc à nostris scriptum esse, nulla fronte id facit.

Nam PRIMÒ non hoc solùm capite, sed & suprà lib. 1. cap. 6. ipse de B. virgine interpretatur illud Cantic. 4. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Et *ibi* quidem ex hac Scriptura conficiebat, beatam virginem sine omni peccato mortali & veniali fuisse: *Hic* verò eandem absque peccato originali conceptam esse cõcludit. Quod si verum est, quomodo non pro re certa, explorata, & pro articulo fidei ab eis habetur? An quod expressa Scriptura traditur, id pro re certa, explorata, & pro articulo fidei non habebunt? JESUITÆ Ratisbonensi colloquio adhibiti Anno 1601. contendebant, *canem Tobiæ caudam motitasse*, pro articulo fidei habendum esse, eò quòd secundùm ipsos ibi scriptum habetur. Quidni pro arti-

Tob. 11. 4.

articulo fidei habebunt, immaculatam beatæ virginis conceptionem, si in Scriptura Canticorum tradita habetur? Deinde, quod Deus potuit & voluit facere, id pro re certa, & explorata necessariò ab illis habetur: nisi potentiam & voluntatem Dei in dubium vocare velint. Mox verò contendet, Deum potuisse & voluisse beatam virginem concipi & nasci sine peccato originis. Capite sequente decies repetet, urgebit, & nostrorum argumentis opponet, in prima instanti animationis singulari privilegio gratiæ sanctificatam fuisse. Ergo aut sanctificatio ista apud eos habetur pro re certa & explorata: aut dubia aut falsa sunt, quæ utroque capite disputabit.

Conciliorū, statuta de conceptione Mariæ.

Tertiò, res incerta, dubia, indefinita non debet vel potest festo solenni totius Ecclesiæ celebrari. *Ratio*; quia credendum est, Pontificem & Ecclesiā in canonisatione Sanctorū, cujus pars est institutio diei festi in eorum memoriam, non posse errare. Sic Bellarmin. Tomo 2. lib. 1. de sancta beatitudine cap. 7. 8. & 9. At immaculata conceptio beatæ Mariæ apud Pontificios solenni festivitate quotannis celebratur 6. Idus, id est, 8. die Decembris: idq; re
1466. ex confirmatione Sixti IV. Pontificis, qui errare nō potuit (Extrav. de reliquiis & venerat. Sanct. lib. 5.) *cum peculiari officio & indulgentiis iisdem, quas consequuntur homines in corporis Christi solennitate.* Ergo impolluta beatæ virginis conceptio apud Pōtificios nequaquam pro re incerta, inexplorata, indefinita habetur.

Denique quod Conciliis universalibus est definitum, pro incerto haberi apud Pontificios non potest. At Concilium universale Basiliense immaculatam Deiparæ conceptionem decreto definivit. Tridentinum quoque B. virginem à communi peccatorum lege Synodico decreto excepit. Nam Patres Basilienses: *Nos verò inquiunt, diligenter inspectis authoritatibus & rationibus, quæ à plurib. annis in publicis relationibus ex parte utriusq; doctrinæ coram hac sancta Synodo allegata sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis, & matura consideratione pensatis, doctrinam illā differentem, gloriosam virginem Dei genetricem* Mariam, *praeveniente & operante divini numinis gratia singulari, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, sanctámque & immaculatam, tanquam piam & consonam cultui Ecclesiastico fidei Catholicæ, rectæ rationi & sacræ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam, tenendam & amplectendam* Diffinimus & Declaramus, *nullíque de cætero licitum esse in contrarium prædicare & docere. Renovantes præterea institutionem de celebranda sancta ejus conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Ecclesias 4. Idus Decēbris antiqua & laudabili consuetudine celebratur,* Statuimus & Ordinamus, *eandem celebritatem præfata die in omnibus Ecclesiis, monasteriis & conventibus Christianæ religionis sub nomine Conceptionis festivis laudibus colendam esse, cunctisq; fidelibus verè pœnitentibus & confessis, ea die Missarum solemniis centum, primis autem vel secundis vesperis totidem, sermoni verò verbi divini de ea festivitate interessentibus centum quinquaginta dies, concessione perpetuis temporibus duratura de injunctis sibi*

Basiliensis. Circa annum 1439.

8. Die Decembris.

pœnitentiis hac sancta Synodus elargitur. En definitionem, declarationem, statutum, ordinationem Synodi universalis & Ecclesiæ Catholicæ, quæ errare non potuit. Rem non certam dicis Bellarmine?

Tridentini. In Concilio autem TRIDENTINO renovata est hæc controversia, & vulnus quod jam obductum videbatur, recruduit. Nam dum deliberarent Patres de hac re, editus est Romæ *liber* Cardinalis de Turrecremata, quem *contra incontaminatam conceptionem* B. Virginis scripserat. Aliis igitur aliud super hac re in concilio est visum: & hi Turricrematæ, illi Franciscanis sese agglutinavêre. Tandem acquievit Concilium in SIXTI IV. decreto & illud confirmavit hac nova sanctione, quæ Appendix Decreti V. Sessionis Tridentinæ Synodi dicitur. DECLARAT *tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam virginem Mariam Dei genetricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis* SIXTI *Papæ IV. sub pœnis in iis constitutionibus contentis, quas exerat.*

Atqui SIXTUS iste IV. nihil quicquam ea de re statuit, sed quum de hac quæstione magno ardore altercarētur (ut supra nototum) Franciscani & Dominicani, his quidem sanctam virginem sicut & cæteros homines in peccato originali conceptā fuisse asseverantibus, illis verò è contra sentientibus, silentium utrisque indixit. Et ne quis veram esse aut affirmativam aut negativam thesin assereret, præhibuit: sed tamē ut dubitationis hujus decisio sanctæ matri Ecclesię relinqueretur, sáxit. Præjuditium tamen tulit pro Franciscanorum assertione, celebrationem conceptionis sanctæ & impollutæ B. Mariæ ad 8. Decembris diem confirmando, multisq́ue indulgentiis & peccatorum remissionibus eos cumulandos, à quibus illud festum coleretur. Quod in priore constitutione SIXTI habetur, quæ incipit: *Quum præexcelsa* &c. Ac addit: Nos authoritate Apostolica in perpetuum valitura constitutione STATUIMUS & ORDINAMUS, quod omnes & singuli Christi fideles utriusq; sexus M[i]ssam & officiū CŌCEPTIONIS VIRGINIS gloriosæ, &c. At simul neutrius partis sententiā rigidè ac publicè defendi voluit, tametsi ex sui præjudicii sententia pridem quoque *Concilium Basiliense* secundum Franciscanos judicaverat, Patribus *sanctam virginem absque peccato originali conceptam fuisse asseverantibus.* Cap 1 & 2. relig. & venerat. sanctorum in extravag. Sess. 36.

Quare plerisque mirum videri possit, quid caussæ potuerit subesse, aut Tridentinum concilium hunc cum tam multis aliis errorem manifestè probare noluerint, sed Papæ Sixti indefinitæ constitutioni, quam Concilii Basiliensis definitæ stare noluerint, Sed Romani Pontificis artibus id factum videtur. Ille enim nunquam ferre potuit imò pertinacissimè semper obstitit, quo minus Concilii Basiliensis Decreta approbarentur, quia Pontificiam authoritatem suæ postposuisset. Cæterùm etsi Dominicanorum sententia improbata fuerit: erroris tamen vacua erat, vel ex doctiorum Theologorum sententia. Bernard. Epist. 174. Durand. in 4. sent. d. 43. art. 2. &c.

Me-

De amiss. gratia. lib. 4. c. 15. 16.

Meminit hujus etiam Bellarminus postea dicens: *Tametsi non desint inter* CATHOLICOS, *qui propensiorem ad veritatem existiment esse sententiam illam, qua præter* CHRISTUM *neminem excipit à communi lege peccati originalis: tamen illi ipsi sententiam contrariam neque damnant ut erroneam, neque damnare possunt nisi decretis Concilii Tridentini, & summorum Pontificum* SIXTI IV. ac PII V. *resistere velint. Quod si facerent, inter* CATHOLICOS *numerandi non essent. Fuerũt autem in priore illa sententia* CAPREOLUS, CAJETANUS *& alii*, &c. Cur ergo initio contendere audet, nõ haberi apud Pontificios posteriorem sententiam pro re certa & fidei articulo?

Et ex istis omnibus sic colligimus. *Aut* incerta ratione Concilium Basiliẽse, immaculatam B. Virginis conceptionem DIFFINIVIT, Tridentinũ B. Virginẽ decreto suo non COMPREHENDIT, Sixtus IV. Dominicanos vel Prædicatores contrarios EXCOMMUNICAVIT, *aut* certâ. Si incertâ, temeritatem suam excusare non possunt. Si certâ falsum est & dicit Adversarius, nõ haberi apud Catholicos pro re certa & explorata, ac de fide Catholica tenenda, B. Virginem sine peccato fuisse conceptam. Quicquid igitur tergiversetur Bellarminus, non mendacium impudentissimum (ut modestè scilicet vocat) sed veritatem scripsit JOH. POMERANUS, immaculatam B. Mariæ conceptionem à Pontificiis pro articulo fidei haberi.

§. Sixt IV. Pontifex.

Nec juvat eum, quod Sixtus IV. Constitutione *Grave nimis*, &c. rem istã nondum ab Ecclesia decisam esse prætendit. Nam Concilium Basiliense ante Sixtum IV. expressè definiverat: DIFFINIMUS inquit, &c. Adde, quod idem Sixtus IV. annis XVII. ante Constitutionem *Grave nimis*, manifestè definiverat, festum immaculatæ conceptionis B. Mariæ omnibus Christi fidelibus celebrãdum præcipiendo. Quod igitur posteà eandem in dubio posuit, quid nisi erroris vel inconstantiæ seipsum redarguit? Quumque nihilominus festum id celebrari mandaverit, quid nisi rem eandem, certam & non certam, decisam & non decisam haberi voluit, hoc est, fœdè sibi contradixit, Ecclesiæ illusit?

§. Judicium Sixti.

Contra BASILIENSE Concilium Bellarm. excipit PRIMÒ, *definitionem ejus non facere certam fidem, quia Concilium illud ab Apostolica sede non fuerit approbatum.* A quo verò improbatum, nisi ab Eugenio Papa legitimè deposito, eò quòd *ipsos Canones & Decreta sperneret, sanctæ reformationi & restaurationi legis divinæ, ac publicæ saluti vehementer obsistens?* ut Patres Concilii Basiliensis & hujus Eugenii depositi sequaces de eo queruntur. *Sess. 37.*

Excipit SECUNDÒ, etiam id Concilium non habere rem hanc pro articulo fidei. Sed hoc est falsum. DIFFINIMUS, inquiunt, & DECLARAMUS *eam sententiam ut piam & consonam* CULTUI *Ecclesiasticæ*, FIDEI *Catholicæ, rectæ rationi, sacræ* SCRIPTURÆ *ab omnibus Catholicis approbandam, tenendam & amplectendam esse: nulliq; de cætero licitum esse in contrarium prædicare & docere.* Quod ergo diffinitum, & declaratum est à Synodo universali, cultui & fidei Catholicæ & sacræ Scripturæ esse consentaneum,

taneum, cujus contrarium prædicare & docere planè est illicitum; potéstne? dic Bellarmine, apud Catholicos vel Papistas pro re non certa, non explorata, & non pro articulo fidei haberi?

Hæreticam jure dici sententiam de immaculata conceptione Mariæ.

II. Ad SECUNDUM, quod attinet, accusat *Illyricum*, *Heshusium*, *Chemnitium*, quòd opinionem Pontificiorum de impolluta B. Virginis conceptione erroneam, hæreticam, verbo Dei contrariam esse scripserunt: *à qua Adversariorum temeritate*, inquit, *longè absunt omnes Catholici*. Sed *prius* verissimum esse docebitur capite sequenti. *Posterius* frustrà prætendit, quia falsum est. Nam inter Sophistas & Monachos, qui omnes haberi volunt Catholici, plurimos fuisse, qui opinionem illam *erroneam & hæreticam* duxerint, historiæ testantur. Quæ idcirco non redduntur falsæ, quia Bellarminus omnibus iis, qui summorum Pontificũ Sixti IV. & Pii V. decretis resistere velint, anathema minatur. Hoc scilicet est nodum solvere.

§. Probatur.

SUAM verò opinionem fidei Catholicæ non repugnare, proinde hæreticam non esse, tali probat argumento. Id solùm repugnat fidei Catholicæ, quod asseritur vel contra expressum Dei verbum, vel contra verbum Dei ab Ecclesia declaratum. Virginem Deiparam ab originali peccato fuisse immunem, non repugnat expresso Dei verbo, neque Ecclesiæ declarationi. Ergo Virginem Deiparam ab originali peccato fuisse immunem, non repugnat fidei Catholicæ. ASSUMPTIONEM probat, dicens: *Quia nullus Evangelicorum adhuc locum ullum Scripturæ vel Conciliorum protulit, ubi disertis verbis legatur, B. Virginem in peccato originali conceptam fuisse.* QUASI verò hoc de quoquam hominum, Davide excepto, expressè scriptum legatur. Pariter igitur singulorum hominum conceptionem immaculatam assereret. *Psal. 51. 7.*

Nec juvat eum, quod contra hoc excipit: *Fidem Catholicam hoc solùm requirere, ut credamus omnes homines per carnalem generationem ex Adamo prognatos, ex eodem trahere originale peccatum, nisi fortè privilegio singulari à communi lege aliquis excipiatur, quale privilegium de nullo alio hominum, sed de sola Maria rationibus probari possit.* Hoc enim posterius est in quæstione, & inanis petitio principii. De MARIA enim non magis, quàm de hominibus aliis singulare illud privilegium, quod prætenditur, probari potest. *§. Dices, si res ita.*

Ad argumenti verò Adversarii partes sigillatim & strictè respondemus: PRIMÒ distinguẽdo propositionem. Repugnare nimirum fidei Catholicæ, quod asseritur contra expressum Dei verbum, nempe vel in thesi, vel in hypothesi. Licet autem verbum Dei non habeatur expressum in hypothesi de Virgine Maria, quòd sit concepta in peccato originis: habetur tamen expressum in *thesi*, quòd omnes homines *in Adamo peccaverint, sint mortui, pravi à juventute, filii iræ naturâ:* à qua thesi si excipiat Mariam Bellarminus, expressam hypothesin cõtrariam ex Scriptura afferat oportet. Sic *assumptionis* pars prior est falsa. Altera etiam pars est falsa. Opinio enim Franciscana repugnat verbo Dei, ab Ecclesia Apostolica & subsequente declarato: ut postea in cap. 16. ostendetur. *Rom. 5. 12. & 7. 10. Col. 2. 13. Gen. 6. 5. Ephes. 2. 3.*

III. Ter-

III. Tertium probaturus initio fatetur, se expressum Dei verbum aut certam aliquam Ecclesiæ definitionem adferre non posse. Labascit, & quod priori argumento assumpserat, ipse negat. Et cur igitur suprà attulit & mox adferet ex Canticis verbum Dei: *Tota tu pulchra es amica mea, & macula non est in te?* & dicet hoc testimonium sponsi debuisse in Virgine MARIA impleri? Nunc itaque fatetur, testimonium illud nec in thesi, nec in hypothesi de Virgine Maria expressum esse: & nihil inde probari. Nec verum est, *definitionem nullam Ecclesia Pontificia extare.* Extat enim (ut ostendimus) definitio Concilii Basiliensis, & post hoc Sixti IV. Extravagant. lib. 5. de reliquiis & venerat. Sanctorum, &c. & post hunc Concilii Tridentini.

Cant. 4. 7.

Rationes Bellar. pro intemerata conceptione beatæ Mariæ.

Re igitur ex Scriptura sacra & Ecclesiæ definitione desperata, RATIONES, ut ait, probabiles & minimè probabiles profert quadruplicis generis: Ex *Scripturis*; ex *Patribus*; ex *consensu Ecclesiæ*; ex *Ratione*.

1. Rationes è S. Scriptura.

Ex SCRIPTURIS producit *Primò* duas, ut vocat, *insignes figuras*. UNA est *Adam*, qui fuit typus Christi, Rom. 5. 14. Fuit autem is non ex concubitu natus, sed ex terra, & quidem immaculata, non maledicta formatus: Ergo sic etiam Christus ex Maria matre immaculata nasci debuit. ATQUI eadem ratione concluderet, CHRISTUM non debuisse ex virgine nasci, sed ex terra immaculata creari, ut origine fieret Adamo similis. Talia verò commenta æquè facilè negantur, atque probantur. Hoc eò magis, quia figura vel typus non respondet antetypo. Adamũ enim Apostolus facit typum Christi non in modo originis, quia sic nulla inter eos similitudo, sed in contrariis effectis. Rom. 5. 14.

ALTERA figura fuit *Heva*, quæ (ut ait) gessit typum Mariæ. Heva autem quum primùm formata fuit, erat sine peccato. Ergò sicut mater omnium viventium vitâ animali condita fuit sine peccato, sic mater omnium viventium vitâ spirituali, sine peccato concipi debuit. RESPONDEMUS: Propositio si negetur, quomodo eam probabit Bellarminus ex Scriptura? *Irenæus* quidem Hevam & Mariam comparat in quibusdam: sed non in ratione originis. Nec dicit illam fuisse hujus typum. *Epiphanius* loco allegato à Bellarmino, Hevæ & Mariæ ne mentionem quidem facit. Alibi quidem utriusque matris meminit, sed typi minimè. Imò contra Adversarium ibi disertè scribit: MARIAM *non aliter genitam esse præter hominum naturam, sed sicut omnes ex semine viri & utero mulieris.* Refellit etiam traditiones contrarias. Et tandem *impossibile est*, inquit, *aliquem in terra generari præter hominum naturam. Solum* CHRISTUM *decuit*, SOLI *ipsi natura cessit.*

Lib. 5. c. 16.

Hæresi 78.

Hæresi 79.

SECUNDO profert loca ex Canticis: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et: *Tota tu pulchra es amica mea, & macula in te non est.* Item: *Hortus conclusus soror mea sponsa fons signatus*, &c. SED fatetur ipse, *ea de tota Ecclesia intelligi posse:* Dicimus nos, debere. Non igitur de Maria loquuntur. *Aliqui*, inquit, *Patres de Maria interpretantur.* Quid tum? Plures de Ecclesia. Et modo est fassus, ex Scripturis probationem cer-

Cant. 2. 2. & 4. 7. 12.

tam non haberi. Nec Patres ad Mariam ista loca Cãticorum referentes aliter sibi credi volunt iis, quàm quatenus Scripturæ consentiant: id quod hîc ab illis non fit. Sanè sanctus Hieronymus: *Sine auctoritate Scripturarum, garrulitas non habet fidem.* Ad Tit. cap. 1.

1. *Rationes è Patribus & consensu Ecclesiæ.* Ex patribus TERTIÒ adducit testimonia Ambrosii, qui vocat Mariam incorruptam virginem, ab omni labe peccati integram, serm. 22. In Psal. 119. *In Psal. 77.* HIERONYMI: *Qui nubem diei, sub qua Deus deduxit Israëlitas fuisse Mariam virginem* ait: AUGUSTINI, qui de nat. & grat. dicit: *Se de Maria virgine, quum de peccato agitur, nullam velle habere quæstionem &c.* SEDULII lib. 1. Mirabilium divinorum, ubi *Mariam comparat Hevæ ante lapsum.* CYPRIANI: *Sermone de operibus.* qui *Evam dixit non lassari communibus injuriis.* SOPHRONII epist. ad Sergium: Qui dicit. *Mariam fuisse ab omni contagione liberatam.* DAMASCENI, qui dicit orat. de virgine: *In Maria naturam non esse ansam antevertere gratiam.* IDIOTI, qui lib. in contemptores virginis cap. 2. ex dicto *Tota pulchra es, &c.* Mariam *à peccato originali, mortali, veniali immunem* dicit: PETRI DAMIANI, qui serm. de nat. S. Johan. inquit: *Mariam altiore genere sanctificationis fuisse mundatam à peccato, quàm Johannem & Hieremiam.* BRUNONIS, qui in Psal. 10. Mariam vocat *terram illam incorruptam, cui benedixit Dominus.* ANSHELMI, qui lib. de conceptione virginis cap. 17. ait: *decuisse ut Christi conceptio de matre purissima* fieret. Catenæ Græcorum à THEODORETO compositæ in Cantica, qui *Lib. 3. Cantic.* dicit, Mariam ideo *columbam unicam nominari in Canticis, quod columbam & Seraphim puritate vincat.*

Ad hæc verò testimonia RESPONDEMUS: Propositio, quòd quicquid isti Patres & Monachi scripserunt, sit veritas, infirma & falsa est. Neque assumptio vera est tota. Plerique enim vel nihil habent de immaculata Mariæ conceptione, vel fabulosas revelationes pro veris historiis asserunt, vel hyperbolicè & allegoricè loquuntur sine Scriptura, *sine qua ad credendum eorum dictis, neminem compellit sanctorum Patrum auctoritas,* dicit Biel Lect. 41. in canonem Missæ.

Ad consensum Ecclesiæ probandũ profert *constitutiones* duas Sixti 4. Alexandri 6 Julii 2. Leonis 10. Pontificum Romanorum. Item *Decreta* Concilii Basiliensis & Academiæ Parisiensis, necnõ *festũ* immaculatæ conceptionis B. Virginis, à toto ferè orbe Christiano celebratum. SED nihil proficit. Ipse enim agnoscit, id festum recens *circa Bernhardi tẽpora inolevisse,* non in immaculatæ conceptionis, sed simpliciter in cõceptionis Mariæ memoriã circa annũ 1120 Ergo neq; tũc, neq; ante credebatur immaculata Mariæ conceptio. Ubi igitur Ecclesiæ consensus? *Adde,* quòd Pontificum auctoritas in in caussa propria sua nulla est. De Basiliensi decreto & constitutionibus Paparum responsum est priùs. Nunc adjicio: Nihil concilia vetustissima & optima de fide esse statuerunt præter & contra Scripturæ auctoritatem: ut ex Act. 15. & Concilio Niceno 1. Chalcedonensi, Ephesino ac Constantinopolitano liquet. Et *Constantinus Magnus* in Synodo Nicena; *Libri Euangelistarum,* inquit, *& Apostolorum veterúmque Prophetarum oracula nos evidenter docent, quid* de

Tomo 2. lib. 3. c. 16. de cultu Sanctor.

Theodor. hist lib. 1. cap. 7.

de divino numine sentiendum sit. Quare quæ Basiliense & Tridentinum Concilium, Papæ item de Mariæ conceptione impolluta constituerunt à sacra Scriptura alienum, nullius est ponderis. *Parisiensis Academia* non plus præjudicat veritati, quàm Heidelbergensis. *Festum* denique superstitiosum de quo est κρινόμενον, nihil probat. *Sufficiunt*, inquit Athanasius, *per se sacra & divinitus inspirata Scriptura ad veritatis indicationem.* In lib. contra Gentes.

§. Sed rationes. 3. A ratione.

DENIQUE ex *ratione* sic argumentatur; Quod Deus potuit & voluit facere, id fecit. Certum verò est, Deum potuisse B. Virginem à peccati originalis contagione præservare: probabile est au'e, etiam voluisse. Igitur probabile est, eam ab ejusmodi contagione fuisse præservatam. DEBUIT inferre. Ergo partim certum, partim probabile est, eam fuisse præservatam.

Omnipotentia Dei, an Maria ab originali peccato præservata sit.

POTUISSE Deum eam præservare *probat*; quia neque ex parte Dei, neque ex parte creaturæ ulla repugnantia cernatur. Non *ex parte Dei*: quia Deus est omnipotens, & non est impossibile apud Deum omne verbum. Neque *ex parte creaturæ*; quia PRIMÒ nihil obstat, quò minùs eodem temporis puncto anima rationalis creetur à Deo, & gratia repleatur: sicut credimus, eum creasse Angelos, animas primorum parentum, & animam Christi. DEINDE, si Deus potest animam peccatricem factam justificare, sanctificare, sicut in nobis facit, cur non poterit eandem sanctificare, antequam incipiat esse peccatrix? Sic ille.

Solutio Evangelica.

RESP. Parum est probare Dei potentiam, nisi probetur voluntas. Neque enim sequitur à posse ad esse: Deus potest facere, ergo facit. Nec *duæ* rationes sunt firmæ. Ad PRIMAM dicimus: Deum ita creasse Angelos, primos parentes & animam Christi ex Scriptura constat: de anima virginis non constat. Ergo ratio dissimilis. Ad ALTERAM dicimus: Deus animas peccatrices in hac vita quidem sanctificat: non tamen ut sint sine omni peccato, efficit: quod de virginis anima infertur. Ergo & hæc dissimilis.

§. Dices vi. Objectio.

Ipse sibi objicit contrà: *Quod non repugnet quidem absolutè divina potentia & voluntati: repugnet tamen posito illo decreto divino & immutabili, quo statuit Deus, ut si Adam peccaret, omnes homines ex eo conciperentur in iniquitate & essent naturâ filii iræ.* RESPONDET: Eo decreto non fuisse Deo potestatem ablatam ex privilegio singulari beatam Virginem à peccato reipsa præservandi. Quod probat *primum* exemplo mortis, cui licet ex eodem decreto totum genus humanũ ob Adami peccatum subjaceat: possit tamen Deus efficere, ut aliquis reipsa non moriatur. *Deinde* exemplo Hieremiæ & Baptistæ, quos Deus, non obstante illo decreto, in utero matris plenè sanctificavit, Jerem. 1. 5. Luc. 1. 15. Solutio.

RESP. Prius quidem facilè dari. Faciet enim Deus, ut homines in novissimo die residui non moriantur, sed in nictu oculi mutentur: quia hoc prædixit Apostolus. 1. Cor. 15. 52. Et si potest mortuos resuscitare, quidni posset mortales à morte præservare absolutâ suâ potẽtiâ. Sed quia in verbo suo nõ revelavit beatã virginẽ à labe originali se præservare velle, frustrà de potẽtia disputatur.

QUOD ad posterius, exempla Hie-

necessariò dicantur rationes illud conficere: nihil ad rem Bellarmini. Tantùm enim concludũt, matrem Domini post nativitatem, vel in nativitate, nequaquam verò in conceptionis vel animationis puncto (quod propriè in cõtroversia esse in cap. 16. liquebit) omnis peccati expertẽ esse DEBUISSE. Verùm ne hoc quidem conficiunt rationes: quia omnes sunt falsæ.

Nunc igitur speciatim singulas revocemus ad formam, & dissolvamus. PRIMA est: *Tàm honor, quàm ignominia matris redundat in prolem. Honor matris est immaculata conceptio: ignominia peccatum originale. Hæc ergo redundat in ipsum Christum: quod est impium.* RESPONDEMUS: *Assumptionis* pars prior est falsa: quod immaculata conceptio sit honor Mariæ in Christum redundans. Rectè enim CASSIANUS: *Non minoris erroris est, Christo impropria tribuere, quàm propria derogare. Quod enim non ita, ut est, dicitur, etsi honor videatur, contumelia est.* Si de Christo hoc verum, quãtò magis de virgine. Ea de caussa contra illam Assumptionis partem sanctus Bernardus: *Solus Jesus de Spiritu sancto conceptus, quia solus ante conceptum sanctus. Hæc prærogativa prolis est: hanc B. Mariæ tribuere*, NON EST HONORARE VIRGINEM, *sed* HONORI DETRAHERE. *De aliis omnibus verum, quod cecinit Propheta Psal 50. In iniquitatibus conceptus sum.* Posterior *assumptionis* pars vera quidem, quod peccatum originale sit matris quædam ignominia. Sed negatur eam redũdare in prolem. Ab ea enim labe proles in utero matris sancti ficatione Spiritus singulari fuit præservata, teste Scriptura Luc. 1. Qua sanctificatione opus non fuisset, si mater originali peccato caruisset.

Lib. 1. de incarn.

Epist. 174.

NB.

SECUNDA est formanda. *Qui singularem habet cum Christo affinitatem, is debuit concipi sine peccato originis: quia Christo nihil cum Balial. 2. Cor. 6 15. Maria singularem habuit cum Christo affinitatem. Ergo sine peccato originali concipi debuit.*

RESPOND. Vel quatuor sunt termini, vel ꝓpositio est falsa. Propositio n. & ejus ratio propriè de affinitate morali: assumptio de affinitate naturali loquitur. Secus propositio est falsa. Ad affinitatem enim naturalem, qualis est matris & prolis, tuendam, non opus fuit immaculata matris conceptione, sed satis fuit prolis in utero matris miraculosa sanctificatio, teste Scriptura Lucæ 1.

TERTIA in forma sic erit: *In quo Christus sapiẽtia Dei singulari modo habitavit, is sine peccato originali concipi debuit. Ratio: quia in malevolam animam non intrabit Sapientia. Sap. 1. In Maria virgine Christus sapientia Dei singul: modo habitavit. Ergo Maria virgo sine peccato originali concipi debuit.* RESPONDEMUS: Rursus val quatuor termini sunt, vel propositio est falsa. *Propositio* n. de inhabitatione GRATIÆ, *assumptio* de inhabitatione naturali generationis loquitur. Vel propositio est falsa, per eandem caussam, qua prior. Ad in habitationem enim singularem Christi in matre tuendam satis fuit, prolem sanctificatione Spiritus à peccato materno præservari, quod factum testatur Scriptura. Ratio ex Sap. 1. cap. nulla est. Sapiens enim loquitur de sapientia creata, nõ de increata, quę est Christus.

P 3 QUAR-

necessariò dicantur rationes illud conficere: nihil ad rem Bellarmini. Tantùm enim concludūt, matrem Domini post nativitatem, vel in nativitate, nequaquam verò in conceptionis vel animationis puncto (quod propriè in cōtroversia esse in cap. 16. liquebit) omnis peccati expertē esse DEBUISSE. Verùm ne hoc quidem conficiunt rationes: quia omnes sunt falsæ.

Nunc igitur speciatim singulas revocemus ad formam, & dissolvamus. PRIMA est: *Tàm honor, quàm ignominia matris redundat in prolem. Honor matris est immaculata conceptio: ignominia peccatum originale. Hæc ergo redundat in ipsum Christum: quod est impium.* RESPONDEMUS: *Assumptionis* pars prior est falsa: quod immaculata conceptio sit honor Mariæ in Christum redundans. Rectè enim CASSIANUS: *Non minoris erroris est, Christo impropria tribuere, quàm propria derogare. Quod enim non ita, ut est, dicitur, etsi honor videatur, contumelia est.* Si de Christo hoc verum, quātò magis de virgine. Ea de caussa contra illam Assumptionis partem sanctus Bernardus: *Solus Jesus de Spiritu sancto conceptus, quia solus ante conceptum sanctus. Has prærogativa prolis est: hanc B. Mariæ tribuere*, NON EST HONORARE VIRGINEM, *sed* HONORI DETRAHERE. *De aliis omnibus verum, quod cecinit Propheta Psal. 50. In iniquitatibus conceptus sum.* Posterior *assumptionis* pars vera quidem, quod peccatum originale sit matris quædam ignominia. Sed negatur eam redūdare in prolem. Ab ea enim labe proles in utero matris sanctificatione Spiritus singulari fuit præservata, teste Scriptura Luc. 1. Qua sanctificatione opus non fuisset, si mater originali peccato caruisset.

Lib. 1. de incarn.

Epist. 174.

NB.

SECUNDA est formanda. *Qui singularem habet cum Christo affinitatem, is debuit concipi sine peccato originis: quia Christo nihil cum Balial. 2. Cor. 6. 15. Maria singularem habuit cum Christo affinitatem. Ergo sine peccato originali concipi debuit.*

RESPOND. Vel quatuor sunt termini, vel ꝓpositio est falsa. Propositio n. & ejus ratio propriè de affinitate morali: assumptio de affinitate naturali loquitur. Secus propositio est falsa. Ad affinitatem enim naturalem, qualis est matris & prolis, tuendam, non opus fuit immaculata matris conceptione, sed satis fuit prolis in utero matris miraculosa sanctificatio, teste Scriptura Lucæ 1.

TERTIA in forma sic erit: *In quo Christus sapiētia Dei singulari modo habitavit, is sine peccato originali concipi debuit. Ratio: quia in malevolam animam non intrabit Sapientia. Sap. 1. In Maria virgine Christus sapientia Dei singul. modo habitavit. Ergo Maria virgo sine peccato originali concipi debuit.* RESPONDEMUS: Rursus val quatuor termini sunt, vel propositio est falsa. *Propositio* n. de inhabitatione GRATIÆ, *assumptio* de inhabitatione naturali generationis loquitur. Vel propositio est falsa, per eandem caussam, qua prior. Ad in habitationem enim singularem Christi in matre tuendam satis fuit, prolem sanctificatione Spiritus à peccato materno præservari, quod factum testatur Scriptura. Ratio ex Sap. 1. cap. nulla est. Sapiens enim loquitur de sapientia creata, nō de increata, quę est Christus.

autem pro solis peccatoribus mortuus est, Rom 5.6.7.& 8. Apostolo testante: *Christus enim quum adhuc nullis viribus essemus, suo tempore pro impiis mortuus est. Enimverò vix pro justo quisquam moriatur; nam pro eo qui sit ipsi utilis, forsitan aliquis etiam mori sustineat. Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quod quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est.* Ergo aut Maria etiam peccatrix fuit aut Christus pro ea mortuus non est. Neque enim dici potest, pro ea mortuum non esse. Neque dici potest, pro ea mortuũ esse, non quòd ea peccasset: sed ne peccato inficeretur, &c. quum nec usquam id scriptum sit, & ad hoc sola Spiritus sanct. gratia satis esse potuisset. Itaque verè Mariæ peccatum habuit: & propter peccatum à Filio Christo sicut alii homines redempta est.

Ac peccatricem his in terris fuisse, evidentissimè etiam sancti Patres evincant & nobiscum docent. CRYSOSTOMUS: *Ex facto matris,* inquit, *nonnihil importunitatis accessit. Consideratam matris quàm fratrum importunitatem, Nã quum debuissent intrare, atque cum turbis simul audire, aut saltem expectare foris sermonis finem, ac demum accedere, ambitione quâdam ac ostentatione commoti, foris eum in præsentia omnium evocaverunt, ut viderentur facilè, ac magna cum potestate Christo imperare. Unde patet, inani quod Dei gloria illos commotos fuisse, nihil adhuc magni de ipso cogitantes.* Idem homilia in Johan. 20. *Non adhuc,* inquit, *debitam de ipso opinionem habebant, sed more matrum* MARIA *jure omnia filio se præcepturam censebat, quum tanquam Dominum colere & revereri deceret.* Plura vide apud Origenem homilia 17. in Lucam Theophilactum in cap. 2. Joh. Librũ, qui Augustino inscribitur, Quæstionum veteris & novi Testamenti quæst. 73. Illud adhuc ex Chrysostomo adjicere non piget, valde ad confirmandam nostram sententiam faciens, quod Psal. 13. scribit, MARIAM virginem, moriente Christo hæsitasse in fide. *Non fuit,* inquit, *qui faceret bonum, quãdo discipuli omnes Christo relicto, fugierunt; Johannes nudus recedit; Petrus negat; discipuli fugiunt: ipsius matris Mariæ animum gladius dubitationis pertransit.*

Homil. 25. in Math.

Denique ratio idem docet: quum Maria etiam omnis generis ærumnas, & tandem etiam ipsam mortem subierit: quæ certè juxta confessionem Adversariorum nonnisi peccati stipendia sunt, &c. Ergo nisi sibi contradicant, Mariæ etiam peccatum tribuant necesse est. Nec enim ea sicut Christus justus & innocens calamitates propter nos pertulit: sed propter suummet peccatum, quo fuit originali morbo infecta. Sed pergit Bellarminus contrarium pertinaciter tueri, &c.

POSTREMÒ, *accedunt,* inquit, REVELATIONES DIVINÆ, *quas de hac re se habuisse sancta Brigitta testatur:* nempe lib. 1. cap 9. & lib. 6. cap. 49. 55. RESP. Si sunt revelationes divinæ de hac re, jam non pro incerta, inexplorata, sed pro certa, explorata & pro articulo fidei res ea haberi debet. At dixit Bellarminus, rem hanc apud Pontificios non haberi pro re certa, explorata, nec pro articulo fidei. Ergo vel Pontificii non credunt ipsi certò revelationibus divinis, quod est impium. Aut revelationes Brigittæ non sunt revelationes DIVINÆ, sed imposturæ

5. Accedit.

posturæ apocryphæ, quod est verum. Nam plures revelationes recenset Rod. Hospinianus libro de origine erroris circa festa Christianorum, fol. 106. 107. 108. sed quæ non minùs ac ipsa immaculata conceptio Mariæ fallunt petitione principii, ignoratione elenchi & fallacia nō consequentis

Transitio ad 16. caput libri 4. de amissione gratiæ.

Hactenus explicatio & castigatio capitis 15. in lib. 4 Bellarmini de amissione gratiæ & statu peccati, expedita est. Nunc aggrediemur ad capitis 16. ejusdem libri expositionem & confutationem.

Nam Post suam & Romanæ Ecclesiæ opinionem, quam fassus est Bellarminus esse incertam, inexploratam, & non de fide Catholica, malè defensam, subjicit Nostram, nempe Euangelicorum, & saniorum Pontificiorum veram sententiam, quam destruere conatur. Sed infelix & Anticyrâ egens, nebulas diverberat. Per totū n. caput chordâ eâdem oberrans, perpetua petitione principii canit, occinit, recinit Privilegium singulare S. virginis circa conceptionem: quod est χειροποίητον.

Accusatio Euangelicorum & saniorum Pontificiorum.

Argumenta solvenda distinguit. Alia *sunt, quibus*, inquit, *hæretici* (Dominicanos Monachos & nos Euangelicos intelligit) *probare conantur, nostram sententiam Catholicæ fidei repugnare*. Alia, *quibus nonnulli* (intelligit doctiores quosdā Pontificios. Capreolum, Cajetanum, &c.) *sententiam nostræ contrariam veriorem & tutiorem esse probant*.

Modi tres inquinantes posteros Adami peccato.

Antequam respondeat, *tres modos* præmittit, quibus posteri Adami peccato ejus inquinantur. Hi verò modi ad solutionem argumentorum parum ipsi conducunt, & insufficienter exponuntur, quia sunt *plures* quā tres. Et quos ipse recenset, non tam sunt tres modi, quàm *tria tempora* infectionis, nempe in massa Adami, in cōceptione fœtus, in animatione ejusdem. Denique pertinent ad definiendum statum quæstionis, ut ipse dicit, quomodò accipiendum sit, quòd dicunt, beatam virginem originali peccatō semper caruisse. Non igitur hîc demum, sed in principio capitis 16. his modis declaranda & limitanda erat quæstio.

Videamus modos. Verbosus est sine caussa. Tribus verbis dicere potuerat, quod voluit. Primò, omnes filii Adæ dicuntur peccasse in ipso ut in massa, seu in lumbis ejus, Rom. 5. 12. *In quo omnes peccaverunt*. Secundò, Omnes filii Adæ dicūtur concipi in peccato, dum fœtus seminatur, & cōcipitur in utero materno. Ubi fatetur, licet fœtus ante animationem propriè nōdum dicatur homo peccator: tamē qa pars illa fœtus cōcepti ex corrupta natura originē habet, *vitiatā* rectè nominari posse. Tertiò omnes filii Adæ dicuntur concipi in peccato, quādo fœtus in utero materno animatur & esse incipit homo naturalis, sed originali justitia denudatus, à Deo aversus.

Triplex igitur est sive *modus* sive tēpus infectionis: *Primus* modus in lūbis Adami: *secundus* in prima conceptione: *tertius* in animatione. Quibus addendus est *quartus*, post animationem ante nativitatem: & *quintus* in ipsa nativitate, à qua omnes dicimus filii iræ naturâ, hoc est, à nativitate. Ephes. 2. 3.

Jam

§. Jam igitur.

Jam QUÆSTIO est de Virgine Maria, *fuerit ne omnibus tribus modis, an aliquibus tantum, an nullo horum modorum infecta peccato originali?* NULLO horum modorum Mariam fuisse infectam ne primo quidem aliqui affirmarunt. *Bellarminus duobus* prioribus infectam fuisse concedit: solo tertio infectã negat. Nos omnibus tribus Mariam peccato Adami infectam fuisse & communicasse affirmamus. Hæc summa.

Mariam duobus modis peccato infectam fuisse Papistæ concedunt.

PRIMAM opinionem, ut nimis hyperbolicam repudiat. *Non desunt,* inquit, *qui existimant beatam virginem nõ peccasse in Adamo.* Nullos nominat: Franciscanos pungere videtur. Quicunque fuerint, omnibus modis illi Mariam à peccato absolvunt: quod non solùm in conceptione & animatione plenè sanctificata fuerit, sed etiã in lumbis Adami non peccaverit, licet in illis fuerit: quia nimirum à prohibitione fructus vetiti Maria fuerit excepta. Hanc refutat hac ratione: quia sequeretur *beatam virginem non verè fuisse redemptam per Christi sanguinem: de quo tamen inter Catholicos Pontificios convenire dicit.* Quòd verò ipsemet opinione sua in hunc lapidem impingat, mox videbimus. Ergo concedit, beatam virginem primo modo infectionis peccatricem fuisse, quatenus in Adamo, ut in massa peccavit, si non actu, saltem potentiâ: quod accipimus.

§. Quod attinet.

Quod ad SECUNDUM modum, concedit, *quum beata virgo Maria à peccato Adami libera non fuerit, primam igitur conceptionem ejus similem conceptioni aliorum fuisse.* Sic igitur carnem virginis in materno utero conceptam, ante animationem, quatenus ex natura corrupta originem habuit, VITIATAM fuisse concedit: quod etiã accipimus.

§. Quod attinet ad tertium.

Quod ad TERTIUM modum, dicit, *animam beatæ virginis in primo instanti creationis, & infusionis in corpus, sanctificatam fuisse, ita ut nunquam persona illa actu existens, peccatum habuerit.* Hæc igitur est opinio Bellarmini, sanctam virginem in utero matris nõ ante animationem, nec post animationem, nec ante vel post nativitatem, sed in primo animationis puncto fuisse à peccato originis præservatam & sanctificatam. *Et hoc solo,* dicit, *conceptionem virginis à conceptione aliorum differre, quòd alii omnes sanctificantur post nativitatem, aliqui pauci, ut Hieremias, Baptista, post animationem ante nativitatem* (quod de præservatione horũ à peccato originali falsum esse ostendimus.) *Sola verò Maria in ipso instanti animationis sanctificata fuit.*

Maria quomodo & quando expers peccati originis facta sit juxta Papistas.

HÆC autem opinio non solùm Scripturis sacris, sed etiam communi sententiæ Thomæ & aliorum scholasticorum: imò sibiipsi repugnat, & manifesta absurditate evertitur. *Refellitur, I.*

Quòd Scripturis sacris repugnet, mox liquebit ex argumentis, quæ solvenda proponet Adversarius: nos verò vindicabimus.

Quòd repugnet communi sententiæ Thomæ, part. 2.3. quæst. 27. art. 2. ubi disertè disputat & affirmat, Mariam non ante animationem, nec in ipsa animatione, sed post animationem sanctificatam esse. Unde, inquit, relinquitur, quòd sanctificatio beatæ virginis fuerit POST EJUS ANIMATIONEM. Si hoc verum, falsa est opinio Bellarmini, quòd non post animationẽ (hoc n. disertè negat) sed in ipso animationis instãti sanctificata fuerit.

Q Sibi-

5. Denique obnoxia.

Sibi ipsi repugnare, patet: Primò, quia hîc dicit, personam in utero materno actu existentem nunquam peccatum habuisse. Mox verò fatebitur, Mariam integrè existentem in primo instanti conjunctionis animæ rationalis cum corpore OBNOXIAM peccato fuisse. *Denique, inquit, obnoxia peccato fuit ipsa integrè existens in primo instanti conjunctionis animæ rationalis cum corpore:* quæ sunt repugnantia.

DEINDE fingit Mariam in eodem instanti animationis fuisse peccato obnoxiam, & simul in eodem instanti justificatam. Atqui sunt ἀσύστατα, rem eandem in eodem instanti (in quo nō datur ullo modo prius & posterius) simul peccato obnoxiam & justificatā, hoc est, justam & injustam, sanctam & non sanctam esse.

Mariam si in eodem instanti animationis justa & injusta fuit, absurdissima sequi.

Deniq; manifesta absurditate evertitur. Sequitur enim ex ejus opinione id ipsum, quòd primæ opinioni falsæ opponebat. Beatam Virginem nec redemptione per sanguinem Christi indiguisse, nec redemptam esse. Quod apertè contra Scripturas, dicētes: *Quia salvum faciet populum suum à peccatis suis,* Math.1.21. Et: *Est Servator omnium hominum,* &c. 1.Timoth.4. RATIO est: quia si B. Virgo nunquam fuit peccatrix: nunquam igitur fuit sub maledictione: nunquam indiguit remissione peccatorum: nunquā sanguine Christi redempta esse dici potest. Christus enim non redemit, nisi peccatores. Sicut dicitur: *Filius hominis venit quærere id, quod perierat. Dedit semetipsum pro peccatis nostris. Redemit NOS à maledictione Legis. Non indigent medico nisi ægroti.*

Luc. 19.10. Gal.1.4. 1.Tim.2.6. Gal.3.13. Marc.2.17.

5 Denique obnoxia.

Neque elabitur tergiversando, Mariam dici redemptam *non à peccato, quod habuit, sed à peccato, quod habitura erat, nisi ab eo singulari privilegio fuisset præservata.* Nam *primò* hoc singulare privilegium est κενόδοξον, & falsum. *Deinde* Christus non redemit, nisi peccatores originaliter vel actualiter existentes. Aut est dicēdum, aliter Virginem Mariam, aliter alios homines per Christum redemptos esse: quod est contra fidem omnium Christianorum. Sic falsa opinio Bellarmini solidè est refutata.

Rationes pro Euangelicorum sententia.

1. Rationes Euangelicorum è sacra Scriptura.

RESTAT, ut argumenta nostra ex sacris Scripturis, atq; etiam Patrum antiquorum testimonia ab ipso Adversario adducta vindicemus.

PRIMUM argumentum Euangelicorū est ex Scripturis, quæ solum Christum excipiunt à peccato, 2.Cor.5.21. *Eum, qui non novit peccatum, Deus fecit peccatum,* id est, victimam peccata luentem *pro nobis.* Hebr.7.26. *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus,* &c. Ergo contra Scripturas est, præter Christum etiam Mariam excipere.

RESPONDET Bellar. negando antecedens: quia exclusiva solus non addatur. Intelligens verò hoc nimis elusorium esse & impium, non negat tandē præfractè, sed distinguit antecedens. CHRISTUM solum ab originali peccato immunem fuisse vi generationis ex Virgine: Mariā verò ab eodem peccato præservatam fuisse, non vi generationis humanæ, sed privilegio gratiæ divinæ.

DEFENSIO nostra. Dicta allegata necessariò exclusivam solus habent, & *exclusivè* intelliguntur, quia de solo Christo

Luc 1.35. Heb. 7.26. Isa. 63.3. Apoc 19.5. Christo dicitur: *Quod nascetur ex te Maria sanctum, Filius Dei vocabitur.* SOLUS *ipse est Pontifex pius, innocens, impollutus.* SOLUS *ipse calcavit torcular iræ Dei.* Quòd ait, Christũ solum vi generationis fuisse immunẽ à peccato, verum est: quod addit de privilegio Mariæ, non est distinctio, sed elusio antecedentis, & petitio principii. Nam privilegium hoc est in quæstione, & his ipsis Scripturis, atque aliis refutatur. Bellarmino igitur incumbit hujus privilegii ex Scripturis probatio.

SECUNDUM nostrorum argumentum: Scriptura sacra omnes homines in peccato & pravitate constituit à nativitate & pueritia ipsa. Gen. 6. 5. *Omnis imaginatio cordis hominum mala tantùm omni die.* Et 8. 21. *Omne figmentum cordis humani malum à juventute sua.* Job. 14. 7. *Quis dabit mundum ex immundo?* Rom. 5. 12. *In omnes homines mors transiit, in quo omnes peccaverunt.* Et Rom. 3. 23. *Omnes peccaverunt, ac deficiuntur gloriâ Dei.* Et paulò antè, versu 12. *Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt; non est, qui exerceat bonum, non est usque ad unum.* Ac Ephes. 2. 3. *Eramus filii iræ naturâ, sicut & cæteri.* Ergo contra Scripturas est, Mariã sine Scripturæ testimonio excipere.

RESPONDET Adversarius: Mariam quidem peccato fuisse obnoxiam primo & secundo modo, suprà declarato: nimirum *ratione Adami,* in cujus lumbis peccavit: & *ratione primæ conceptionis* secundùm carnem ante animationem. Sed tamen præventam fuisse singulari gratia & privilegio Dei, ut simul & esse, & justa esse inciperet. Fatetur etiam fuisse filiam iræ naturâ: sed addit: Gratia semper fuisse filiam misericordiæ.

DEFENSIO nostra. Concessio Adversarii acceptatur. Distinctio etiam naturæ & gratiæ in B. Maria admittitur. Sed privilegium illud singulare, & gratiæ ille effectus, quem fingit, negatur: quia est petitio principii. Etsi enim secundũ gratiã semper fuit filia misericordiæ: tamen ad hoc non fuit necesse, eam à peccato originis præservari. Satis fuit peccatum originale, cum quo tanquam naturalis filia Adami naturaliter concepta & nata fuit, ei propter Christi sanguinem remitti, & non imputari. Sicut omnes alii electi sunt naturâ filii iræ, gratiâ filii misericordiæ: quia peccatum originis & alia omnia propter Christi sanguinem eis condonantur. Si Maria ULLO momẽto verè fuit filia iræ: falsum est, quod prius dixit, *personâ Mariæ actu exsistentẽ* NUNQUAM *habuisse peccatum.* Filia enim iræ non potuit esse, nisi propter peccatum. *Gratia Mariæ concessa præ aliis.*

OBITER notandum: Hac distinctione NATURÆ & GRATIÆ, quã in Maria eodem tempore Bellarminus agnoscit posse consistere, refelli calumniam Adversarii, supra cap. 14. lib. 4. de Amissione gratiæ nostris intentatam. Nam quia nostri ex Scriptura docent, liberos fidelium à nativitate esse in fœdere Dei secundùm GRATIAM, ideò negare nos dixerat, habere eos peccatum originis secũdùm naturam. Quod falsò nobis tribuitur. Nam distinguimus, sic: Habere eos quidem peccatum originis juxta naturam: at in fœdere divino esse juxta gratiam. An non piè & rectè? Equidem idem hîc de Maria rectè fatetur imprudens & nolens, sola opinione de singulari privilegio Mariæ dato falsa existente.

§ Tertiò objiciunt.

Tertium argumentum Euangelicorum. Scriptura testatur, omnes homines in uno mortuos esse. Et Christum pro omnibus esse mortuum, etiam ne Mariâ quidem exceptâ. 2. Corinth. 5. 15. *Si unus pro omnibus mortuus est. Ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* Idem Rom. 5. 8.

Respondet Bellarminus: Mariam *aliquo modo* mortuam esse morte peccati, quia morti fuerit obnoxia, & necessariò moritura, nisi eam gratiâ prævenisset: & sic etiam verum esse, pro ipsa vivificanda, ut præ cæteris omnibus, mortuum esse Christum.

Defensio nostra. Sed hoc cum prioribus non consistit. Si enim in primo instanti creationis suæ fuit sanctificata, ita ut persona illa actu existens nunquã peccatum habuerit; utiq; nullo unquã tempore fuit peccato obnoxia, & per hoc nunquam morti obnoxia: neq; pro ea mori potuit Christus.

Videt hoc Bellarminus. Iterum igitur Respondet: *B. Virginem tribus temporibus fuisse peccato obnoxiã.* Primò, quando fuit in lumbis Adami & cæterorum suorum parentum. Deinde, quando concepta est in utero matris ante animationem: Denique in primo animationis instãti, in quo ipso simul fuerit justitiæ lumine ornata.

§. Dicet aliquis.

§ Respondet B. Virginẽ.

§ Denique obnoxia.

Defensio nostra. Sed Primò credit ὁμωνυμίᾳ, *Obnoxiam peccato & morti*, intelligit potentialiter, non actualiter. Quòd Maria potuerit esse peccatrix mortalis, nisi gratiâ præventa fuisset: actu autem non fuerit. At Scriptura omnes, nemine nisi Christo excepto, pronunciat in Adamo & in sese obnoxios peccato & morti, non potentiâ, sed actu. Neque Christus dicitur mortuus pro morti tantũm obnoxiis, sed pro verè mortuis. Secundò: Præventionem gratiæ Adversarius non debet fingere ex cerebro, sed probare ex Scriptura divina. Tertiò, commentum de Maria in primo animationis instanti impura & pura, peccato ac morti obnoxia, & nõ obnoxia, quum manifestè sit contradictoria, seipsum elidit, ut anteà ostensum fuit. Hæc de testimoniis nostris à Scriptura sacra petitis, quæ renitente Adversario firma stant.

Patrum testimonia quinq; profert Bellarminus, quæ nos ad Pontificiam suam sententiam oppugnandam, nostram propugnandam adducamus: ipse verò confutare conatur. Itaque ea etiam vendicanda nobis sunt. Nam iis quidem nos admodum nitimur, quia sacræ Scripturæ auctoritas sola nobis sufficit. At quia Adversarius ea objicit, quasi nõ rectè iis utamur, respondendum illi circa eadem est. Est ergo hîc rursus δεύτερος πλοῦς, quo quidem propter Adversarios uti etiam aliquando cogimur.

2. Rationes Euangelicorum è Patribus.

§ Secundo loco.

Primum testimoniũ est Augustini, qui dicit: *De sancta Virgine Maria propter honorem Domini nullam prorsus, quum de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum.* Eodem Adversarius suprà pro sua opinione cap. 15. abusus est: sed est cõtra eum. Nam quia sanctissimus Pater manifestè dicit, Mariæ *gratiam collatam ad vincendum peccatum*, intelligitur, quòd non sentiat

Lib de natura & gratia, cap. 36.

sentiat Mariam sine peccato conceptam fuisse, alioquin non opus habuisset gratiâ, quâ vinceret peccatum. Ac quum gratiam ad vincendum peccatum Mariæ datam disertè dicat, eam non ex privilegio purioris conceptionis, sed ex gratia Dei peccatum vincere potuisse innuit. Nec ullo verbo aut modo dicit Augustinus, Mariam fuisse impeccabilẽ, *ἀναμάρτητον*, sine peccato conceptam & natam, nullumq; habuisse peccatum: sed gratiam Dei ad peccatum ex omni parte vincendum ei concessam. Id est, ornatam fuisse gratiâ, quod renata per Filium Christum, peccato dominata sit, ut peccatum nõ regnârit in ipsa: sicut regeneratis Paulus Rom. 6. ℣. 12. 14. tribuit. Adhæc dicit: *Nolle se in honorem Domini de peccatis Mariæ quærere vel disputare.* Nam argumentantur Adversarii & unici puræ conceptionis Mariæ studiosi: Quum Christus non venerit ad solvendum, sed potiùs implendum legem: In lege autem præceperit honorare parentes, ideo credendum esse, ipsum etiam matrem in eo potissimùm honorasse, ut ab omni labe originalis peccati in conceptione atque animationis instanti esset purissima facta. Dicit ergo Augustinus: Si disputaret in negotio peccati, Mariam esse absque omni nævo peccati originalis & conceptam & natam, tum se honori virginis matris Domini plus æquo arrogare & tribuere, Filio autem & Domino Christo derogare atque detrahere. Ideo se omittere hanc disputationem. Sic & Petrus de Natalibus illud Adversariorũ argumentum diluit, dicens: *Honoravit Christus Dominus eam, nempe Mariam matrẽ, in quantum fuit conveniens, nõ tamẽ tantùm, quod ipse ex hoc exhonoraret seipsum. Dicere autem quòd virgo Maria esset æqualis in* G R A T I A *humanitati Christi, esset ignominia ipsi Christo.* Ac Augustinus, matrem Domini Mariam peccatis non caruisse, simul non obscurè innuit. Si enim gratia vincendi peccatum ex omni parte Mariæ collata fuit, utique peccatum habuit, quod vinceret, alioqui gratiam frustrà accepisset.

R E S P O N D E T B E L L A R M I N U S: *Mariam accepisse gratiam vincendi peccatũ originale in ipso animationis instanti.*

D E F E N S I O N O S T R A. Bellarminus hoc verbis Augustini affingit: neque consistit. Nam vincere peccatum in nobis, est solius gratiæ divinæ, & per gratiam hominum adultorum divinitus acceptam, qui luctam peccati sentiunt, non infantum vel fœtuum in utero.

S E C U N D U M testimonium A U G U S T I N I est: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali concipi & nasci.* Cui simile illud A M B R O S I I lib. 2. in Lucam: *Solus enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Jesus, qui terrenæ cõtagia corruptelæ, immaculati partus novitate non sensit.* Et illud Eusebii Emisseni homil. 2. de natal. Domini: *A peccati originalis nexu nullus immunis existit,* N E C I P S A G E N E T R I X *redemptoris.* *Lib. de fide ad Petrum cap. 26.*

R E S P O N D E T Bellarminus: Nihil aliud his testimoniis probari, nisi nullum esse præter Christum, qui ex vi generationis nõ traxerit originale peccatum: Mariam verò P R I V I L E G I O singularis gratiæ id habere. In Eusebii

verbis dicit à Cajetano omissum *per se*, quo distinctio illa significetur.

DEFENSIO nostra: Crambe est recocta & petitio principii in verbis Bellarmini. Patres omni modo solum Christum à contagio peccati excipiũt. Mariam *Eusebius* nominatim non excipit. Ergo illud *per se* non conficit, quod vult Adversarius. PRIVILEGIUM singularis gratiæ datum Mariæ in Scripturis sacris monstrari cupimus.

TERTIUM testimonium etiam AUGUSTINI est, *Quisquis esse vel fuisse in hac vita aliquem hominem vel aliquos homines putat, excepto* UNO MEDIATORE DEI ET HOMINUM, *quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarium est divinæ Scripturæ, ubi Apostolus ait: Per unum hominem peccatum in mundum intravit.* Rom. 5.12.

RESPONDET Bellarminus: Mariæ necessariam fuisse remissionem peccatorum, non quidem eorum, in quæ inciderat, sed in quæ incidisset, nisi gratia Dei per Christum merita præventa fuisset.

Sed defendimus nos ita: Augustinus omnes homines, uno CHRISTO excepto, peccatorum remissione indigere pronunciat, non in quæ incidissent, nisi gratia Dei per Christum merita præventi fuissent, sed in quę reverà inciderant. Nec fando auditũ est, multò minus in Scriptura repertum, Deum remittere alicui peccata, in quæ non inciderat: sed universaliter pronunciat, Deum remittere nobis omnibus peccata, in quæ sive originaliter, sive actualiter incideramus. Aut doceat nos Adversarius ex Scripturis aliter Mariæ, aliter nobis remissa esse peccata.

Itaque simile quod fingit, *etiam eum dici posse liberum factum, qui quidem captivus non fuit, sed revera fuisset, nisi gratia redemptoris eum prævenisset*, est prorsus dissimile, & contra mentem Scripturæ atque Augustini. Hic enim expresse dicit: *Nullus, nisi qui peccati servus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit ante captivus.* Et etiam contra LEONIS Serm. 1. de Nativit. Domini mentem est, qui ait: *Sicut Nullum in reatu liberum reperit; ita pro liberandis omnibus venit.* Si igitur Maria verè fuit per Christum liberata & redempta, etiam verè fuit serva & captiva, non libera reperta. *S. Ex qua sententia. Simile captivi absurdum. Epist. 157.*

QUARTUM testimonium ejusdem AUGUSTINI: *Si sine dubio caro Christi non est caro peccati, sed similis carni peccati, quid restat ut intelligamus,* NISI *ea excepta*, OMNEM *reliquam humanam carnẽ esse peccati? Et hinc apparet, illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali: quia* MARIÆ *corpus, quamvis inde venerit, tamen eam non trajecit in corpus, quod non inde concepit. Cæterum corpus Christi inde dictum est in similitudine carnis peccati, quia omnis alia hominum caro peccati est, quisquis negat, & carnem Christi ita carni Christi comparat nascentium hominum cæterorum, ut asserat utramque esse puritatis æqualis*, DETESTANDUS HÆRETICUS *invenitur*. *Lib. 5. advers. Julianum cap. 9.*

RESPONDET Bellarminus, etiam carnem Mariæ fuisse carnem peccati, non quòd peccatum in se habuerit, sed quòd natura sua peccatum habitura fuerit, nisi privilegium gratiæ singularis intercessisset.

DEFENSIO nostra est. Hoc privilegii

legii singularis commentum nec probabile est, nec verbis Augustini consentaneum, qui absque distinctione OMNEM reliquam carnem humanam, præter UNAM Christi carnem (ne Mariæ quidem corpore excepto) carnē peccati pronūciat. Itaq; licet, quæ de Maria concedit Bellarm. *quod non sine parentum libidine concepta: quod morti & ærumnis ex Adami peccato manantib. obnoxia: quod liberos, si ex complexu viri concepisset, cum peccato originis genuisset,* vera sint: tamen privilegium immaculatæ virginis non probant, sed infirmant & evertunt.

Bernard. epist. 157. ad Canonicos Lugdunenses.

QUINTUM testimonium est BERNARDI, qui dicit: *Excepto homine Christo, universos respicit ex Adamo natos, quod unus humiliter & veraciter confitetur: In iniquitatibus conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea.* Hoc miramur Bellarmino productum, quum tota illa Epistola contra immaculatum Mariæ conceptum, & ejus festū, quòd à Lugdunensib. celebrari præter Eccl. morē agrè fert Bernhardus, scripta sit. *Miramur,* inquit Bernardus, *satis, quòd visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum, voluisse mutare colorem optimum,* NOVAM *inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesia nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.* Postea: *Restat, ut post conceptum in utero jam existens* (Maria) *sanctificationem in utero accepisse credatur: qua* EXCLUSO PECCATO *sanctam fecerit nativitatem:* NON *tamen & conceptionē* Ex quibus DUO apertè habentur. *Unum,* Festum conceptionis Mariæ tunc in Ecclesia nondum receptum, nec BERNHARDO probatum fuisse: *Alterum.* Nativitatem quidem Mariæ tunc sanctam creditam fuisse, conceptionem minimè.

RESPONDET Bellarminus duo. PRIMO in eadem Epistola Bernhardi *tria* contra nos esse, nihil pro nobis. SED quæ modo allegavi, certe sunt pro nobis contra Adversarios. Quænam verò *tria* illa? PRIMUM est, *ortum Mariæ indubitanter haberi festivum & sanctum.* NIHIL hoc contra nos, qui contra opinionem non nativitatis, sed cōceptionis immaculatæ disputamus: quarum illa tolerabilis, hæc palàm falsa est. ALTERUM est. *Mariæ vitam fuisse omnis peccati expertem.* Sed Bernard. hoc putat: *Ego puto,* inquit: quod nō est contra nos, sed fortè cōtra veritatē. Quamvis & nos in honorem Domini nullam nobis, quū de peccatis Mariæ agitur, quæstionē de eis esse velimus. Adhæc etsi non *ἀναμάρτητον* & omnis peccati expertē fuisse dicamus: tamē iis rationibus, quas suprà adduximus, & Patrū vetustiorū, præcipuè Chrysost. quædam peccata sanctæ virginis recensentis, auctoritate nitimur. Non ut sanctæ virginis & matris Domini honori atq; existimationi detrahamus, sed veritatem testemur, & Filii honorem vindicando matrem ei non æqualem naturâ, essentiâ, officióque ostendamus. TERTIUM est, Bernhardum *suam sententiam Ecclesiæ Romanæ voluisse subjectam.* Sed an præsenti Romanæ? Tunc Romana Ecclesia nec immaculatam Mariæ conceptionem credebat, nec festū conceptionis ejusdem, sed nativitatis celebrabat. Adhæc Christus suas oves non Ecclesiæ, sed suæ vocis judicio stare, dicit Joh. 10. Quare sic etiem Bernhardi sententia sacræ Scripturæ non esse

Cap. 12. lib. 4. de amiss. grat. dist. hac sententia.

stini, quod libido parentum sit caussa peccati originalis, veram esse negabat & refutabat. Et rectè quidem, quia nō libido per se, quæ est appetitus sensitivus circa generationem animalis, sed libido inordinata est vitiosa, quandoquidem libido generandi per se est naturalis etiam in animalibus brutis, quæ non peccant: & in primis parentibus futura erat, sed ordinata, si in integritate generassent. Quod verò suprà negabat & refutabat, hic concedit & affirmat, quæ est manifesta contradictio.

QUARTA objectio: *Beata virgo obnoxia fuit multis ærumnis & morti corporali: quæ sunt pœna peccati. Ergo etiam peccato.* RESPONDET: Animam Mariæ à macula peccati fuisse præservatam, non carnem redemptam, nisi quum post mortem SINGULARI gratia gloriosa surrexit. SED rursus petit principium sumendo præservationē, quam non probavit: & rursus se implicat, vel monstrum facit beatam virginē, puram & impuram, redemptam & nō redemptam secundùm carnem. Commentum verò gloriosæ resurrectionis beatæ virginis jam factæ, quum non reperiatur in Scriptura, eadem facilitate negatur, qua affirmatur.

QUINTA objectio: *Detrahitur de gloria Filii Dei, si privilegium immaculatæ conceptionis etiam Mariæ tribuatur.* RESPONDET *primùm* negando, MARIÆ privilegium Christi tribuit: quoniam Christus solus sit ex Spiritu sancto conceptus. *Deinde* invertendo. Non enim detrahi gloriæ Christi, sed ad eam accedere, si non solùm possit justificare jam peccato infectos, sed etiam à peccato præservare eodem inficiendos. SED *prius* frustrà negat. Etsi enim modum conceptionis alium fingat Christi & Mariæ: rem ipsam tamen, hoc est, immaculatam conceptionem, quæ verè est privilegium Christi, utrique communem facit. *Posterius* est petitio principii: imò falsum est, ex dicto CASSIANI supra cap. 15. ad rat. primam citato: *Quicquid de Christo non dicitur, ita ut est, etiamsi honor videatur, contumelia est.* Et Bonaventura in 3. dist. 3. quæst. 2. *Cavendum*, ait, *ne dum matris excellentia amplietur, filii gloria minuatur, & sic in illo mater provocetur, in quo magis vult filium extolli & honorari, quàm seipsam, utpote creatorem à creatura.*

Exposito & castigato capite 16. libri 4. Bellarmini de amissione gratiæ & statu peccati, transibimus etiam ad 17. capitis explicationem & castigationē, in quo Bellarminus mendacia & calumnias Martino Chemnitio circa doctrinam contra immaculatam sanctæ virginis Mariæ conceptionem intentat. Etsi enim non est instituti nostri singula nostrorum Euangelicorum doctorum dicta defendere: tamen quia Bellarminus Chemnitii verba calumniosè citat, & malitiosè cavillatur, subque eis nostræ orthodoxæ sententiæ jugulū petit, paucis eum vindicabimus. MARTINUS CHEMNITIUS inter Theologos Lutheranos, ut vocant, non postremus, EXAMEN QUADRIPARTITUM DECRETORUM CONCILII TRIDENTINI scripsit, quod Pontificios scriptores hactenus admodum momordit. Rodunt igitur id quibuscunque possunt modis, quod hic etiam facit noster Bellarminus

Transitio ad 17 cap. Bellar. lib. 4. de amiss. gratia.

Chemnitii doctrinam de maculata virginis Mariæ conceptione injuria vellicant Papistæ.

versarius non bona fide sic refert: *Eos excogitasse sanctificationem in utero & sanctam nativitatem.*

RESPONDEMUS: Etsi Bernhardus epistola 175. quædam de sanctificatione virginis in utero scribat: tamē eam non fuisse communem omnium sententiam, quæ postea demum cœpit in Eccl. sanciri, satis ibidem apparet. Quomodo verò *Bernhardi temporibus sanctificatio virginis in utero & in nativitate fuisset celeberrima*, quod vult Bellarminus, quum *Lombardus* Bernhardi σύγχρονος contendat, tunc demum carnē Christi fuisse sanctificatam, quando Spiritu sancto in eam præveniente, Christum concepit? Fuit igitur tunc etiam sententia dubia.

QUARTÒ, mendacium insigne vocat etiam, quod scribit Chemnitius: *Post ea tempora natam esse opinionem de immaculata ejusdem conceptione, & festum ejus institui cœpisse.* RESPONDEMUS: Nihil falsi in verbis Chemnitii, si rectè considerentur. Nam nec *Lombardus*, nec *Bernhardus* immaculatam conceptionem tradiderunt: sed ille in conceptione Christi, iste in nativitate sua Mariam sanctificatam voluit. Imò BERNARD. Canonicos Lugd. graviter reprehendit, qui FESTUM nativitatis Mariæ in festū conceptionis Mariæ mutare voluerūt, cū primis hac ratione, quòd nativitas quidē sancta fuisset, sed non cōceptio. *Restat*, inquit, *ut post conceptū in utero jā existens sanctificationē accepisse credamus, quæ excluso peccato sanctā fecerit nativitatem*, NON TAMEN ET CONCEPTIONEM. Ac festum immaculatæ conceptionis, quod olim nudæ conceptionis fuerat, seriùs invectum fuisse, ex Concilii Basiliensis & Sixti IV. Constitutionibus satis intelligitur. Ergo puram conceptionem post Lombardi & Bernhardi demum tempora invectam esse, verè Chemnitius scripsit: Bellarminus insigni calumniâ mendacii crimen ei intendit.

QUINTÒ, totus extra se raptus Bellarminus, *impudētem calumniam & mendacium dicit, quo nihil impudentius fingi queat*, quòd Chemnitius scribit: *Concilium Tridentinum ex* SIXTI IV. *Constitutione opinionem immaculatæ conceptionis liberam permittere, extra, præter aut etiam contra verbum Dei.* RESPONDEMUS: Chemnitius verissimè hoc scripsit. Extra & præter verbum Dei liberam utramque opinionem relictam, negare Adversarius non audet. Quòd etiam CONTRA verbum Dei liberam permiserint, manifestum est. Opiniones enim illæ sunt Contradictoriæ: *Est concepta sine peccato originis: non est concepta sine peccato originis.* Dividunt ergo verum & falsum. Alteram igitur veram, alteram falsam esse necesse est. Altera igitur verbo Dei, quod est veritas, conveniet, altera verbo Dei repugnabit, ac si repugnabit, contra verbum Dei erit. Non potuit igitur opinio falsa libera permitti, nisi contra verbum Dei. Sixtus igitur IV. & Patres Tridentini liberam fecerunt tam falsam, quàm veram opinionē CONTRA VERBUM DEI. Nec refert, quòd excipit Bellarminus: *Libertatem opinandi hoc vel illud ideo eos permisisse, quòd probè intelligerent, neutram partem verbo Dei apertè repugnare.* Nam utrumq; est falsum: & quod probè intellexerint (malè enim errorem pro veritate intellexerūt) & quòd neu-

tra pars verbo Dei apertè repugnet. Opinio enim negans peccatum originis in Virgine, verbo Dei necessariò repugnat, quum sententia affirmans eidem apertè cōveniat, uti ex testimoniis tum Scripturarum, tum Patrum suprà vindicatis abundè constat. Ex his igitur æquus Lector intelligit, non Chemnitii ulla hîc esse mendacia, sed Bellarminum suas ipsius calumnias parum prudenter traducere. Ac de B. Mariæ Virginis peccato originali hactenus.

3. Franciscū & Bonaventuram à peccati labe immunem faciendo Papistæ Pelagianos fieri.

Quia autem superstitio & idololatria audax atque insatiabilis impudentiæ est, etiam Papistæ eusque in peccato originali extenuando progressi sunt, ut tam *Franciscum* Assisinatem Monachum, ordinis Franciscanorum patrem & conditorem, quàm *Bonaventuram* de Balneo Regio, in præsentia Alexandri IV. Pontificis Romæ Generalem ordinis Franciscanorum electum, ac Gregorii X. favore Cardinalem Albanensem creatum, à communi inquinatione peccati exemerint.

Nam de FRANCISCO lib. 1. Conformitatum Francisci pag 6. scriptum est: *B. Franciscus fuit exemplar omnis perfectionis, & in gloria est dicti Patris, & Christus B. Franciscum similem fecit nunc in cœlo deificando ipsum,* &c. Ac pag. 16. *Franciscus totum Euangelium observavit ad literam,* &c. MUNDUS AB OMNI PECCATO *usque ad quadrantem novißimum.* SANCTUS *ad* PERFECTIONIS *apicem.*

De eodem scriptum legitur in foribus templi Blesensis: *Quæretur peccatum illius, & non invenietur.*

Item apud Antonium in historiali exstat: *In Francisco non fuisse luctam carnis & spiritus, nec repugnasse huic illam in omnibus, quæ Spiritus agenda dictârit.*

DE BONAVENTURA similiter apud Platinam in vitis Gregorii X. Alexandri IV. & Sixti IV. colligitur, eum peccati expertem statui. Ac ALEXANDER ab Ales solitus est dicere: *In fratre Bonaventura non videtur Adamus peccasse.* Hinc MINORITÆ Franciscani pedibus manibusque sunt adnixi, ut illum tandem in DIVORUM catalogum referrent.

Trithemius de scrip. Eccles.

CONFUTATIO.

Quibus factis núm non Papistæ, præsertim Monachi Minoritæ & Franciscani, hæresin Pelagianam sequuntur, quâ hominem justum peccatum non habere statuitur? Núm non Augustini probatissimi Doctoris judiciū subeūt, quo pronuntiat: *Excepta carne Christi, omnis reliqua caro humana est caro peccati? Quisquis hoc negat, detestandus est hæreticus.*

Franciscum quoq; refutat tum proprius liber 1. *Conformitatum,* pag. 39. 49. Et lib. 2. pag. 218. 220. 242. 318. tum Vincentius lib 30. cap. 101. & Raphaël Volaterranus lib. 21. ac Jacobus de Voragine in Legenda aurea, denique Rodolphus Hospinianus lib. 6. de origine & progressu Monachatus à cap. 8. usq; ad 16. ubi reperitur *Franciscum* non modo peccatorem, sed etiam *sceleratum* fuisse.

Bonaventuram redarguit 1. Apostolus Rom. 5. 12. & 17. dicens: *Unius* Adami *delicto in omnes homines* (scilicet venit reatus tam corruptionis quàm mortis) *in condemnationem.* 2 Minoritarum ambitio, quia non alia commodiore via, quàm multo ære dato SIXTO IV. Pōtifici, qui & ipse Franciscanus erat, ei canonizationem extorserunt. 3. Ipsiusmet

met

met scripta, in quibus, sicut apud alios Scholasticos & Sententiarios, varii ac pergraves errores inveniuntur.

Ac ne acta hîc prolixiori tractatu agam, nolo contra tot & tam absurdas atque abominandas PELAGIANISMI labes, quas Papistæ postliminio revocarunt, & suis qualibuscunque ratiunculis incrustare solent, fusiùs confutationem instituere. Nam multi ex nostris eam dudum peregregiè præstiterunt.

Peccatum originale minimum sentiendo Papistas pelagianizare.

Tantùm adhuc paucis ventilabo *duo*: PRIMÙM, quàm ineptè Papistæ more Pelagianorum peccatum originale minimum peccatorum esse doceant: DEINDE, quàm falsis rationibus concupiscentiam & concupiscentiæ motus esse minimè peccatum statuant.

Quoad enim *primum*, RUARDUS Tapperus lib. de peccato originali dicit: *Id esse peccatum minimum & MINUS MINIMO PECCATO VENIALI. Quia in hoc peccato reperiatur minima ratio voluntarii.* Idem ANDRADIUS libro 3.

Contra igitur probari facilimè potest, non esse minimũ peccatorũ peccatũ originale, sed maximũ & exitiosissimum. PRIMÒ: Quod peccata omnia reliqua interiora & exteriora progignit, non minimum est, sed maximum. Peccatum originale reliqua omnia, interiora & exteriora progignit, Gal. 5.17. Math 15.19. Ergo est maximum.

SECUNDÒ, quod peccatum adfert maximum malum, id est quoque maximum peccatum. Peccatum originale maximum adfert malum. Excludit enim nos regno cœlorum propter suam immunditiem, privat aspectu & *gloriâ Dei, facit reos ira & mortis*: Joh. 3.3. 5. Rom. 3.23. & 5.12. Ephes. 2.3. 1. Cor. 15.56. quibus malum esse aut cogitari majus non potest. Ergo peccatum originale est peccatorum maximum.

TERTIÒ, quod hominem maximè gravat, est gravissimum. Peccatum originale hominem maximè gravat. Ergo, &c. ASSUMPTIONEM probamus, Totum enim hominem cum potentiis omnibus exterioribus & interioribus occupat, nec labore, consilio, arte, opera atque industria ulla valet separari: ad quævis scelera & opera impietatis incessanter hominem incitat, sub legem peccati captivat, à bono pietatis proposito voluntatem avertit, cogitata salutaria interturbat, rationẽ & mentem à sano judicio abducit: hominem volentem facere bonum rapit in transversum, ut bonum, quod vult fugiat, & malum, quod non vult, faciat; ab ingressu regni cœlorum prohibet: iræ divinæ flammas accendit: æternæ dammationi ac morti, judicio ac supplicio nunquam finiendo hominem subjicit. *Rom. 5.12. & 7 per totum.*

QUARTÒ, peccatum, quod totum inundat mundum non vile & exile est, sed grande, ingens & enorme. Peccatum originis totum inundat mundũ, & generis human universi angulos atque recessus omnes pervadit circumdat & pessundat. Ergo non vile, sed ingens & enorme est.

QUINTÒ, peccatum, in quo concipimur omnes, & cum quo sepelimur omnes: quod omnium hominum omnes vires, facultates, corda, viscera, membra, animam & medullam ad ha-

litum usque ultimum à primo obsidet & possidet, non minimum est, sed omnium maximum. Peccatum originis est tale. Ergo, &c.

Quæ non ea ratione dicuntur, ac si peccata omnia paria esse statuamus, ac originale cum actuali confundamus. Nam differunt, ut & alibi diximus, tum comparatione unius ad alterum, tum gradibus. Sed quòd originale differt ab actuali majusq; & gravius isto est scaturigine atque radice mali. Nam ut fontis scaturigo venenata non potest bonam aquā profundere, sic ex originali peccato nihil nisi peccata actualia progigni possunt. Et ut ex arbore atque radice mala non nisi mali fructus enascuntur: ità è peccato originali non nisi peccata actualia procreantur. Et quum actuali peccato materia non permaneat, in originali tamen remanet materia, nimirum corruptio nos assiduè ad res divinas corpore & animo ineptos reddens. Unde plenior hou͂ declaratio à nobis tradita est lib. 1. ubi, quàm iniquè Euangelicos Papistæ Pelagianismi in doctrina de peccato originali accusent, exposuimus.

Concupiscentiam negando esse peccatum Papistas fieri maximè Pelagianos.

Jam quoad *secundum* quantopere defatigent sese plurimi doctores Papistici, ut *Concupiscentiā* nec in originali nec actuali peccato peccatum esse evincant, ex superioribus intellectum est. Ea autem doctrina est inprimis absurda & Pelagiana: nec tamen pluribus sectatoribus est destituta. Nam Andradius secretorum Concilii Tridentini conscius & interpres opinioni Pighianæ non parum favens dicit: Concupiscentiam *non esse peccatum per se, quia sit conditio naturæ. Et quum peccatum esse non possit sine Legis transgressione, nulla verò à Deo explicata tota sit Lex, cum qua justitia originalis amissio pugnet, peccati propriam rationem habere non posse.* Ibidem ait: *Carentiam justitiæ originalis non habere plus de ratione peccati, quàm habeat de voluntario,*

Voluntarii explicatio & refutatio sequitur cum aliis infrà sub finem articuli de originali peccato.

Et pervulgata apud Pontificios circumfertur opinio, *peccati rationem habere propriè nihil, nisi sit voluntarium,* fiatq; à volente & sciente. Unde si assumatur: *Concupiscentia originalis & carentia originalis justitiæ debita in esse non est voluntatis propria:* surgit hæc Pelagiana conclusio: *Ergo peccatum propriè non est.*

Consentit illi sententiæ Conciliū Tridentinū quod de peccato originali decretum sanciēs, inprimis loquitur de *Concupiscentia,* quatenus considerata post Baptismum, Sess. 5. Ac decernit: *Si quis asserit, non tolli totum id in Baptismo, quod veram & propriam habet rationem peccati: anathema sit.* Item: *Hanc* "
Concupiscentiam, *quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta* "
Synodus declarat. Ecclesiam Catholicam "
nunquam intellexisse peccatum appellari, "
quod verè & propriè in renatis peccatum sit: "
sed quia ex peccato est, & quia ad peccatum "
inclinat. Si quis contrarium senserit, anathema sit. "

Joh. Cochleus in 2. art. Confess. *Non est,* inquit, *concupiscentia carnis secundum se verè peccatum in baptizatis. Peccatum enim per baptismum funditus & radicitus ablatum est. Concupiscentia autem relinquitur ad exercitium virtutis imò etiam ad meritum, si ei propter honorem & amorem Dei fortiter resistitur.* Ita Catechis. Rom. pag. 376 377. parte 3. cap. 10. § 7. 8.

Omnium

Pro removenda concupiscentia è statu peccati argumenta Bellarm. examinantur.

Omnium verò diligentissimè & copiosissimè hanc sententiam propugnat Bellarminus lib. 5. de Amiss. gratiæ & Statu peccati à cap. 7. usque ad 16. RATIONES, quas pro hac Pontificiorum opinione Pelagiana stabilienda in medium adducit, ordine hæ sunt.

1. Papistarũ ratio.

PRIMA sumitur ex S. Jacobi verbis cap. 1. ℣. 14. 15. *Unusquisque tentatur, dũ à propria concupiscentia abstrahitur & inescatur. Deinde cõcupiscentia postquam concepit, parit peccatũ. Peccatũ verò peractũ, progignit mortem.* Hîc, inquit, quatuor distingui videmus: Concupiscentiam, id est, potentiam appetendi pronam ad malum, & tres ejus motus suggestionem, delectationem & assensum. Argumentum sic necesse est formari: Quod gignit peccatum, non est peccatum: Concupiscentia gignit peccatum. Ergo concupiscentia non est peccatũ.

Respond.

Ad hoc argumentum priusquam respondeamus, monendus est lector, pugnare Bellarminum, licet dissimulet, Homonymia. Nam de concupiscentia universè & indiscretè considerata, non minus quam Pighius, Catharinus, Tapperus, aut quivis alius crassè Pelagianizans Papista loquitur. Et hujusmodi dimicat argumento, quod renatos pariter & non renatos cõcernit: deq; e concupiscentia disputat non restricta ad fideles, sed generalissimè considerata & accepta, quatenus omnibus & singulis inhæret.

PROPOSITIO syllogismi ludicra est & lubrica, decipiens particularitate & elencho oppositorũ. Nõ enim sequitur: Operationes & motus, qui oriuntur à concupiscentia non est peccatum. Ergo ipsa concupiscentia non est peccatum. Quum contrarium potius inde concludatur, eo quod effectus non semper toto genere deterior esse possit sua caussa. Concupiscentia igitur quum aliud nihil pariat, quàm peccatum: ipsam quoque malam esse, nec peccato sanctiorem aut digniorem, consequitur. Argumentum si ratum esse debeat, non minus concluderit: Quod gignit peccatum, non est peccatum. Avaritia, superbia, luxuria varia gignunt peccata. Ergo avaritia, superbia, luxuria peccata non sunt. Quum autem hîc vis consequentiæ deprehẽdatur infirmari, illic quoq; fallacẽ & infirmã esse sani judicii homo facilè videt. Quamobrem MAJOR hoc modo erit restringẽda: Quod gignit peccatum, non est peccatũ, scilicet illud ipsum, quod gignit. Gignẽs enim & genitum (si Trinitatis mysterium excipias) διαφέρει & multum differunt. Jam progredere ad MINOREM: Concupiscentia gignit peccatum, scilicet actuale, regnans in homine & saucians conscientiam; Actuale intellige cordis, oris & operis, quod peccatum originale non excludit, sed potius præsupponit. ALIAS si hæc restrictio non additur ipsum etiam originale peccatum (quia & hoc præcedit peccatum illud, cujus Jacobus meminit) tam in non renatis, quam in renatis, omni sua peccati ratione exuetur, & res fiet bona atque sancta, quod esset plus quam Pelagianum. PORRO quod Jacobus dicit: *Concupiscentia gignit peccatum*, id S. Paulus effert per ἀντίστρεφον, Rom. 7. 8. dicens: *Peccatum occasione sumpta*, videlicet ex lege, *genuit in me omnem concupiscentiam per illud mandatum.* Quæ Apostolica

stolica ἀντιστροφὴ, peccatum de alia specie hic, de alia illis accipere cogit. Constat autem in loco Paulino peccatum intelligi non regnans, apud Jacobum igitur significari regnans, ipsa docet conversio & oppositio.

2. Ratio Papist. ca.

SECUNDUM argumentum Bellarminus principale sumit ex Rom. 7. ✠. 17. & 20. ubi B. Paulus sic liquitur: *Nunc autem non amplius ego id perpetro, sed quod in me habitat peccatum. Scio enim quod non habitat in me, hoc est, carne mea bonum.* Hinc concludit Adversarius dupliciter, I. Quod non est in toto homine, sed tantùm in carne, non est verè peccatum. At concupiscentia originalis non est in toto homine. Ergo concupiscentia non est peccatum. II. Quod homo non operatur, non potest ei imputari. At homo motus concupiscentiæ nō operatur. Ergo motus concupiscẽtiæ nō possunt homini nō imputari.

RESPONDEMUS: Sunt quatuor termini: Concupiscentia, & motus Concupiscentiæ, &c. Quum verò uterque syllogismus ex adverso pugnet contra Apostolum, qui ibidem ✠. 8. 9. 11. concupiscentiam vocat peccatum ✠. 7. 17. 21. legi contrarium, ✠. 24. reum mortis: ratiuncularum illarum vanitati solam Apostoli auctoritatem divinitus commendatissimam opponere satis esset. RESPONDEBIMUS tamen ἐκπερισσείας ad utrumque.

Caro in Scripturis ut accipiatur.

In PRIORI negamus *assumptionem.* Non enim physicè, sed theologicè: nō Anatomicè, sed Apostolicè considetanda est carnis notio. Quia MENS seu spiritus non dimidium partitum seu ἄσαρκον, sed TOTUM notat hominem, quatenus est renatus: Ideo secũdùm considerationem Apostolicam CARO quoque non partem aliquam hominis significat. Non hominem dimidiatum, exanimem & ἄψυχον, sed TOTUM, in quantum est non renatus. Gal. 5. 16. 17. Oppositio illa igitur Apostolica CARNIS & SPIRITUS, MENTIS & MEMBRORUM, hominem non secat in partes, sed in constitutione integritateque sua essentiali relinquit, respectu autem duplici unum eundemque hominem jubet considerare; quatenus videlicet est homo vel carnalis, vel spiritualis. Ephes. 4. 22. 25. vocatur homo vetus & novus, ubi unus idemque numero intelligitur homo, diverso consideratus modo.

Neque infrequens est hæc vocabuli *carnis & spiritus* de toto homine acceptio. Testimonia passim occurrunt, Matth. 16. 17. *Caro & sanguis non revelavit tibi.* Et 1. Corinth. 15. 50. *Caro & sanguis hæreditatem regni Dei accipere non possunt.* Sic Genes. 6. ✠. 3. Johan. 1. 13. & 3. 6. *Quod natum est ex carne*, CARO *est*, *Et quod natum est ex Spiritu*, SPIRITUS *est.* Rom. 8 ✠. 10. *Si Christus in vobis est*, CORPUS *quidem mortuum est propter peccatum*, SPIRITUS *autem vita est propter justitiam.* Hoc est, homo spiritualis indies fit vegetior, & sumit incrementa. Gal. 5. ✠. 16. 17. 18. 19. 20. &c. In his & aliis id genus testimoniis pluribus, *Spiritus* quidem notio ita usurpatur, ut corpus seu carnem non excludat, sed totum significet hominem, quâ est renatus: CARNIS verò, ut non corporis solùm, sed & animi humani naturam & corruptionẽ συνεκδοχικῶς comprehendat. Inprimis verò Apostolo familiare est, nomine CARNIS & MEMBRORUM intelligere, quicquid est in homine

homine vel intus vel foris, à capite ad calcem, quatenus non est gratiâ Dei regeneratus. Rom.7.5. Ephes.2.3. Coloss.3.5. Rom.8.7. Coloss.2.18. Gal.5. 20. & alibi.

Quod verò vel ex eo liquet 1. qa Paulus *carni* tribuit φρόνημα & νοῦν, Rom.8. 6. Coloss.2.18. Caro autem ab anima separata, seu à mente seorsim considerata neque φρονεῖ neque νοεῖ. 2. Carni præterea tribuit Apostolus HÆRESES, idololatriam, iram, inimicitiam, &c. Gal.5.20.21. Quæ de carne, nisi totum hominem animatum & ψυχικὸν significet, dici nequeunt. 3. Præter idipsum ex ratione hac & sequentibus patet. Si MENS, hoc est, anima etiam peccato est infecta, non potest opponi mens carni, quasi hæc tãtùm peccato sit corrupta & obnoxia, illa autem non. Verum prius. Nam Apostolus inter corruptissimas partes disertè numerat mẽtem, Rom.1.28. 1.Timoth.6.5. 2.Timoth.3.8. Tit.1.15. Et Ephes.4.23. vult RENOVATIONEM ad Spiritum usque mentis pertingere. Verum igitur & posterius. Item: Si *mens* apud Apostolum totum notat hominem, quatenus scilicet est renatus: ex opposito etiam CARO totum notabit hominem, quatenus scilicet est non renatus. Atqui MENS totum notat hominem, quod patet ex collatione ✝. 22. & 24. Ephes.4. Ergo, &c. Adhæc caro nostra capax est justitiæ. Ergo etiam injustitiæ. Membra enim nostra renata, sunt arma justitiæ, Rom.6.13. & corpora nostra templa sunt Spiritus sancti, & officina operationum ejus 1.Cor 3.

Duplex igitur inest figura phrasi Paulinæ. Una est συνεκδοχὴ, qua partẽ accipit pro toto: altera μετωνυμία, qua adjũctum capit pro subjecto. Vel Hebraismus erit, qui abstractum sumit pro concreto. Quapropter prior Bellarmini Syllogismus nihil concludit, quia argumentum tertium accipit absolutè, physicè & absque ulla figura, quod accipiendum erat theologicè & figuratè.

In POSTERIORE est πτῶσις & quaternus numerus terminorum. *Antecedens* enim de motibus concupiscentiæ loquitur: *Consequens* de concupiscentia ipsa. Plus autem in conclusione esse non potest, quàm infertur ex præmissis. Deinde, si ad rem ipsam respondeatur; Neganda est assumptio. Nam actiones sunt totius suppositi. Quando autem Apostolus inquit: *Non ego operor illud, sed habitans in me peccatum*, non factum pravitatis à se in totum removet, sed seipsum renatum à non renato distinguit. Non ἀφαίρεσις est, sed διαίρεσις.

TERTIUM argumentum ducit Bellarminus ex cap.8. ad Romanos, ✝ 1. *Nulla ergo damnatio est his, qui sunt in Christo Jesu.* Ubi assumit: *In his, qui sunt in Christo Jesu est concupiscentia.* Et concludit: *Ergo concupiscentia non est damnabilis, aut morte digna.* RESPONDEMUS: Etiam in hoc argumento esse quatuor terminos; uti est, damnatio, damnabilis, concupiscentia, & homo, in quo est concupiscentia. Non enim, inquit Apostolus, in renatis nihil esse damnabile, sed renatos nullam manere damnationem. Neque κατάκριμα & condemnationem removet Apostolus à concupiscentia, sed ab homine, In quo illa est. Verba enim ejus sunt: Οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *3. Ratio Papistica.*

μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα. Id est: *Nulla igitur nunc est condemnatio iis, qui sunt in Christo Jesu id est, qui non secundùm carnem incedunt, sed secũdùm spiritum*. Propositiones autem hæ: Cõcupiscentia non est damnabilis, & homo concupiscens renatus non damnatur, infinitè differunt, nec sub sensus & significationis ταυτότητα aut ἰσοδυναμίαν coire in æternum possunt. Illa à concupiscentia aufert, quod aliàs meritissimo jure ei debetur, & φύσει quasi inest, nec tolli unquam potest. Hæc verò considerat, quid non concupiscentiæ quidem, sed homini concupiscenti, non δικαίως καὶ κατ' ὀφείλημα, sed δωρεὰν καὶ κατὰ χάριν, id est, non jure & secundùm debitum, sed gratis & secundùm gratiam obtingat. Non enim ab ipsa concupiscentia tollitur τὸ ἄνομον & κατάκριτον, ut ipsa desinat esse mala, damnabilis & per μεταμόρφωσιν inauditam fiat sancta atque laudabilis. Sed ab homine credente & renato per gratiã Dei aufertur τὸ κατάκριμα, condemnatio, & donatur ei τὸ δικαίωμα, justitia & justitiæ imputatio. Variè igitur delinquit hoc argumentum. 1. πλήθει & multitudine terminorum. 2 σχήματι τῆς λέξεως, figurâ dictionis, confundendo abstractum & concretum. 3. Elencho accidentis. 4. A dicto secundùm quid ad dictum simpliciter, non distinguendo id, quod donatur ex gratia ab eo, quod debebatur ex natura: & id, quod est per se ab eo, quod obtingit per gratiam.

Exceptiones tres Papistica. TRIPLICITER excipit Bellarminus. 1. Si reatus dimittitur, nihil est in renatis, quod veram habeat peccati rationem. Reatus enim est id, quod propriè dicitur peccatum. Item: Reatus est omnino inseparabilis à re, quæ naturâ sua & digna damnatione.

Ubi distinguere debebat Bellarminus reatum ipsius vitii, & concupiscentiæ à reatu hominis vitiosi concupiscentis. Nam ab *homine* quidem reatum gratia divina tollit, reatum autem *concupiscentiæ seu vitii* relinquit.

II. Argumentatur: sublato formali perit rei natura. Quum forma sit præcipua pars naturæ, imò sit ipsa ratio & quidditas rei. Reatus est formale peccati. Ergo sublato reatu concupiscẽtiæ perit etiam ratio peccati. RESPONDEMUS: Sumit Bellarminus ὡς ὁμολογούμενον, quòd est κρινόμενον, id est, pro concesso quod adhuc est in quæstione. Quod enim cũcupiscentiæ reatus tollatur, nondum erat concessum. Nec concedi potest, nisi hac adhibita tum cautione, tum distinctione, ut *partim* reatus concupiscentiæ auferri dicatur, non quo rea erat ipsa, sed quo reum originaliter faciebat hominem; ut ait AUGUSTINUS l. 6. c. 6. contra Julianum: *partim* formale *Relationis*, quod est obligatio ad pœnam, accuratè distinguatur à formali *Qualitatis*, quod est pugnantia cum Lege Dei. Quorum illud potest tolli, hoc interim manẽte. Sicut à lapide tali potest formale relationis quæ est ordinatio ad limitandũ, formali qualitatis interim non cessante. *Distinctio duplicis formalis & duplicis reatus.*

III. Aliquot profert Scripturæ testimonia, quibus contendit probare, Deum nunquam remittere reatum, dum maneat ejus fundamentum. RESPONDEMUS: At quia loquuntur de non renatis, qui in impietate sua computrescunt, operantes iniquitatem & loquentes mendacium sine resipiscentia, aliena hîc sunt.

Lemma

Lemma autem illud Bellarmini ratum si foret, nemo esset, cui Deus unquam in hac vita remitteret, quum omnibus & semper sit orandum: *Dimitte nobis debita nostra:* Et quoad hic vivũt dicendum: *Si dixerimus, quod peccata nõ habeamus, veritas in nobis non est. Scio, quod non habitet in me,* hoc est, in carne mea *bonum. Volenti facere bonum adjacet malum. Video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, captivantem me sub legem peccati. Infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis hujus?*

Math.6.
1.Joh.71..
Rom.7.

4. Ratio Papistica.

QUARTUM argumentum sumit Bellarminus à Baptismo, dicens: *Baptismus liberat hominem à peccato originali. Baptismus non liberat hominem à concupiscentia. Ergo concupiscentia non est peccatum originale.*

RESPONDEMUS: Mutuatus est hanc rationem Bellarminus cum Synodo Tridentina à Pelagio, cujus hæc erat præcipua, ut describit Augustinus lib.1. cap.13. contra duas epistolas Pelagii: *Si concupiscentia reliqua post Baptismum est peccatum, sequitur Baptismum non dare indulgentiam omnium peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant.* Sed ita sentire, est insignis contumelia in Baptismum, & blasphemia in mortem AGNI DEI, qui tollit peccata mundi. Ac Lutherus & Melanchthon dudum huic ratiunculæ responderunt ex Augustino, dicentes: *Liberari hominem à peccato quoad reatum, licet illud remaneat actu.*

RESP.

Explodit quidem hanc solutionem Bellarminus, sed frustrà & absque ratione, quum INNOCENTII etiam, quem reprobare ipse non potest, testimonio comprobetur. Sic enim ille super 4. Psal. Pœnitentialem ait: *Originale peccatum transit reatu, quantum ad labẽ, & remanet actu, quantum ad fomitem, ex quo surgunt motus vel actus peccandi: sicut è contrario solet dici quòd actuale peccatum transit actu, & remanet reatu.*

Huc si addas, quod Chemnitius in locis communibus annotavit, nihil erit, quod desideretur. Sic enim Chemnitius: Baptismus vocatur lavacrum regenerationis & renovationis, Tit.3. 5. Id est, confert duo dona: Remissionem peccatorum & inchoationem renovationis, corrumpentem vetustatẽ carnis, 2. Cor. 4.16. Aliud autem est REMISSIO peccati, aliud MORTIFICATIO; expurgatio, destructio, seu expoliatio peccati. *Remissio* tollit reatum omnium peccatorum, ut *nihil damnationis sit in his, qui sunt in Christo Jesu.* Hæc remissio est plena & perfecta. *Renovatio* verò expurgans vetus fermentum exspolians & destruens corpus peccati, tantùm inchoatur, nec in hac vita plena & perfecta est, ita ut nihil vetustatis vel peccati remaneat. Quia *novus homo de die in diem renovatur,* 2. Cor.4.16. Hactenus ille.

Part.1.
Rom.8.1.

Sic igitur à peccato solvit hominem Baptismus, ut nihilominus sanctissimi etiam homines filios procreent non innocentes, aut ab impuro naturę contagio mundos, sed peccato inquinatos & iræ divinæ obnoxios. Et in renatis perpetua fit lucta carnis & spiritus. Gal.5.17. Ex quibus tale notetur argumentum. 1. Ubi est plena sanitas, & perfecta Spiritus novitas, ibi non est carnis vetustas. In hominibus renatis

NB.

& baptizatis est carnis vetustas, Rom. 7. & 8. Ergo non est plena in iis sanitas, Et hoc sequens. 2. Si non est injurium in sanguinem Christi, emundantem nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. 7. dicere peccatum nos habere, ℣. 8. non magis injurium erit in Baptismum Christi, qui datur in remissionem peccatorum, dicere post Baptismum remanere peccatum. Illud autem in sanguinem Christi injurium non est. Ergo nec hoc in Baptismum Christi injurium erit.

5. Ratio Papistica.

QUINTUM Bellarmini argumentum est: *Concupiscentia est effectus & pœna peccati. Ergo non est peccatum ipsum.* RESPONDEMUS: Negatur consequentia. Utrumque enim esse potest diversa ratione & consideratione. *Augustinus* contra Julianum lib. 5. cap. 3. *Sicut cœcitas*, inquit, *cordis & peccatum est, quia in Deum non creditur, & pœna peccati, quia cor superbum digna animadversione punitur: & caussa peccati, quum mali aliquid cœci cordis errore committitur: Ita concupiscentia, adversus quam concupiscit spiritus, & peccatum est, qui illi inobedientia inest adversus dominatum mentis, & pœna peccati, quia reddi... est meritis inobedientia, & caussa peccati defectione consentientis, vel cōtagione nascentis.* Hæc Augustinus.

Concupiscentia peccatum est & caussa & pœna peccati.

6. Ratio Papistica.

SEXTUM Bellarmini argumentum est: *Quod naturale est per se & ex sua natura, peccatum non est.* Nam propter naturalia juste nemo potest reprehendi. *Concupiscentia est naturalis. Ergo concupiscentia peccatum non est.*

RESPONDEMUS: *Propositio* eget restrictione, ne peccatum originale, quod homini tam est naturale, quàm concupiscentia reliqua, ipsum quoque nomine & ratione abdicetur. Consideratur autem id, quod *naturale* est dupliciter. Vel, quod naturæ, quâ natura, est ὁμόχρονον, vel quod σύμφυτον naturæ, quatenus vitiata & corruptione in deterius est mutata. De illo verum est, quod reprehensionem non incurrat, nec peccati rationem subeat. Deū enim habet auctorem. De hoc autem, quia vitiositatis & contagionis multū aliunde est attractum, quod propagatione fit quodammodò hæreditarium, secus res habet. AUGUSTINUS hypognosticῶν, 4. de malo originali sic: *Nos*, inquit, *libidinem non naturale bonum, sed naturale malum esse dicimus, credimusq́;. Naturale autem malum sic dicimus, non quia sit natura, Deo opifice, congenitum, sed quod à peccante natura transierit in peccatricem naturam, id est, quod peccatricis naturæ sit vitium, non ipsa natura.* Idem Anshelmus. De concupiscentia par est judicium. Et accuratè si foret loquendum, παρὰφυσικὴ *præternaturalis* potiùs, quā φυσικὴ naturalis dicenda erit concupiscentia: quia non est naturæ Deo opifice congenita, verùm aliunde contracta, quam carnalis nativitas singulis facit hæreditariam. Ut maximè autem concupiscentia naturalis dicatur, ἀταξία tamen & vitiositas, quæ accessit, naturalis non est, si ἰδίως loqui volumus. Hæc enim non συμπεφυκῶσα congenita homini est, sed συμβεβηκῶσα aliunde accedens.

Naturale dupliciter considerandum.

MAXIMA quoque illa; Quòd naturalia non mereantur reprehensionem, si generatim accipi debeat, non valebit, nisi in cōmuni hominum contubernio & conversatione, quæ naturalia, vitio aut opprobrio non ducit. Judicii autem divini ἀκρίβεια & rigor legis

Naturalia non mereri reprehensionem, quatenus valeat.

legis quodcunque sive naturæ, sive voluntatis vitium improbet, execratur & maledictioni destinat. Rom. 5. 23. Deut. 27. Gal. 3. 10.

7. Ratio Papistica.

SEPTIMUM Bellarmini argumentum est. *Primi concupiscentiæ motus non sunt peccatum. Multò minùs ergo concupiscentia ipsa*, vel ipsa pronitas ad malum actum. At ex præmissis falsis, non nisi conclusio falsa sequi potest. Nam antecedens est falsum: quia sive mens resistat sive non, si motus illi inordinati repugnent legi Dei, sunt peccatũ. Non minus igitur concupiscentia ipsa, & inordinata pronitas repugnans legi, est peccatum.

Probat non repugnare legi: Exemplo puerorum, amentium, dormientium: item virorum sapientum, & vigilantium, in quorum potestate non est, non concupiscere. *Probatio sic erit:* Quod non est in nostra potestate evitare & facere, id non repugnat legi. In potestate puerorum, amentium, dormientium, sapientium, vigilantium non est nõ concupiscere. Ergo non repugnat legi concupiscentia.

RESPONDEMUS: Hoc cavillum in lib. 2. cap. 6. Bellarmini, de Amiss. gratiæ & statu peccati prolixè refutavit D. Pareus. *Propositio* est falsa à non caussa. Sive enim sit, sive non sit in potestate nostra evitare concupiscentiam, omnis ἀνομία & transgressio legis repugnat legi. At concupiscere ea, quæ LEX DEI vetat, est ἀνομία & legis transgressio. Exemplo patet: In diabolorum & impiorum potestate non est non peccare, nec tamẽ peccata eorum ideo non repugnant legi. In potestate intemperantis non est continere se ab ingurgitatione, teste Aristotele Ethic. lib. 3. cap. 5. Nec tamen intemperantia ideo non repugnat legi.

Quæ de facilitate & suavitate jugi Christi & præceptorum addit, nihil huc faciunt: quia concupiscentia inordinata præceptis Dei prohibetur, & jugo Christi repugnat.

OCTAVUM Bellarmini argumentum est: Si concupiscentia est verum peccatum, & semper manet in justificatis, sequitur Christum nos non verè à peccatis redemisse, sed imputativè aut imaginariè tantùm. RESPONDEMUS: Quasi verò interior renovatio, & vitiositatis ac membrorum expurgatio & mortificatio sit momentanea, fiatque ὁμως ϗ ὅλως, simul & totaliter, ac non potiùs successivè ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ, 2. Corinth. 4. aut tantùm inchoëtur, & non consummetur. Liberavit sanè nos à peccato Christus, servato tamen hujus & futuræ vitæ discrimine. In hac quippe vita plenam habent & perfectam peccatorum suorum indulgentiam credentes, expurgationem non item, quæ hîc suum quidem capit solum & progressum, illic autem ad consummationis apicem & culmen demum pertingit. PRIMÒ igitur negatur connexio propositionis. Nam nihilominus nos verè redemit *Christus:* tum quia fidelib. omnia peccata, quoad reatum, remittit perfectè: tum quia ipsa peccata per sanctificationem Spiritus expurgat inchoatè in hac vita, cõsummatè in altera. Et sic sunt intelligenda allegata Scripturæ Johan. 8. 38. *Si Filius vos liberaverit, verè liberi eritis.* Rom. 5. 19. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, &c. sic per unius obediẽtiã justi cõstituẽtur multi.* Nẽpe p

8. Ratio Papistica.

imputationem quidem perfectè: per sanctificationem verò inchoatè in hac vita, consummatè in altera. Ideo Apostolus utitur verbo futuro καταστηθήσονται.

Secundò, Adversarius malè opponit *verè & imputativè*: quasi quod *imputativè* fit, *verè* non fiat. Nam Deus imputativè remittit peccata, quia ea non imputat: & imputativè justificat, quia justitiam Christi imputat: & verè tamen utrumque, quia verè dicitur ad Rom. 4. 8. & 6 *Beati, quorum Deus non imputat peccata: Sed quibus imputat justitiam sine operibus.*

9. Ratio Papistica. Nonum Bellarmini argumentum est: *In quo est legis divinæ inobedientia, in eo quoque est reatus divinæ indignationis & odii. At in renatis non est reatus divinæ indignationis. Ergo in renatis non est legis divinæ inobedientia.*

Respondemus: *Propositio* est legalis: *Assumptio* Euangelica. Uniformis ergo conclusio hinc deduci nequit. Si enim ad justitiæ divinæ tribunal sisti, & secundùm legis rigorem pensitari atque examinari vita nostra deberet, certò certius esset, omnium ora obturatum & totum mundum Deo factum iri reum. Roman. 3. ỳ. 19. 23. *Omnes enim peccaverunt, & destituũtur gloria Dei.*

In meditat. *Verum est*, inquit Anshelmus, *conscientia nostra meretur damnationem, & pœnitentia nostra non sufficit ad expiationem: sed certum quoque est, quod* Misericordia *Dei superet omnem offensionem.* Quâ fit, ut justificemur, hoc est, à peccatorum nexu & iræ divinæ noxa liberemur gratis, per gratiam ipsius, per redemptionem in Christo Jesu, quem proposuit propitiatorem in Euangelio per fidem in sanguine ejus, Rom. 3. 24. 25. Per quem misericordiam consequitur, peccatorumque remissionem adipiscitur, & ab omnib. à quibus in lege non poterat, justificatur omnis, qui credit in eum. Act. 13 38. Heb. 4. 6.

Aliter tamen ultimum illud Bellarmini argumentum sic formatur: *Sententia seipsam destruens est falsa. Sententia Euangelicorum seipsam* destruit: *Nos esse verè peccatores & tamen non esse reos divinæ indignationis & odii. Ergo est falsa.* Paulo aliter itaque etiam respondemus: *Assumptio* est falsa. Nam licet justificati & sanctificati maneant in se peccatores, juxta Scripturam: *Non est justus, ne unus quidem. Dimitte nobis debita nostra*: tamen non sunt rei, tum quia per fidem gratis habent remissionem reatus peccatorum omnium per Christum: tum quia non indulgent, sed resistunt peccatis per gratiam Spiritus Dei. Aut prodeant hypocritæ, & quum videantur sibi justificati sua charitate & operibus, nec rei esse velint, se peccatores esse negent. Atqui Johannes hypocrisin eorum redarguet, dicendo: *Si dixeritis, vos peccatum non habere, mendaces estis, & veritas Dei non est in vobis.* 1. Joh 1. ỳ 8. *Rom 3. 10. Math. 6.*

Hucusque refutavimus argumenta & rationes Bellarmini, quibus concupiscentiam malam non esse verè & propriè peccatum, probare est conatus. Refutationem aptiorem & doctiorem, si desiderat Lector studiosus, evolvat D. Parei explicationem & castigationem lib. 5. Bellarmini de Amiss. gratiæ & statu peccati, à cap. 3. usque ad 16.

Ibidem quidem cap. 10. 11. 12. 13. 14.

&

Concupiscentiam esse peccatū probatur.

& 15. Bellarminus nostra argumenta pro veritate, *quod concupiscentia prava sit peccatum*, refutat, sed à D. D. Pareo solidè vindicantur. Illis nostrorum argumentis nos hîc pauca addemus, quæ ordine sic habent.

1. Quicquid proprie & verè peccatū dicitur, peccatum est. Concupiscētia reliqua verè & propriè dicitur peccatum. Ergo verè & propriè peccatū est. *Assūptio* legitur Rom. 6. 12. 14. & 7. 14. 17. 20. .. 3. 1. Joh. 1. 8. Heb. 12. 1.

2. Cuicunque convenit definitio peccati, eidem & definitum convenit. Concupiscentiæ reliquæ convenit definitio peccati. Ergo & definitum ei convenit. Rursus *Assumptio* probatur 1. Joh. 3. 4. ubi peccatum Apostolo definitur *ἀνομία*, hoc est, transgressio Legis vel pugnantia cum lege. Concupiscentia autem est contra legem, ut Rom. 7. 1. Apostolus ait: *Concupiscentiam non novissime nisi lex dixisset. Non concupisces.* Et versu 23 *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captivantem me sub lege peccati.*

Tantum de concupiscentia ipsa: NUNC de motibus concupiscentiæ.

Motus concupiscentiæ negando esse peccatum Papistas fieri Pelagianos.

Pravi affectus, vitiosæ inclinationes, cogitationes & cupiditates sunt primi concupiscentiæ motus. Eos Papistæ defendunt, atque è catalogo & nomenclatura peccatorum expungunt. Ut Catechesis Romana pag. 442. *Primi*, inquit, *Concupiscentiæ motus quibus non præbetur assensus, non sunt peccatum.* Et Bellarminus ratione quarta, *Concupiscentia*, inquit, *si sumatur pro actu involuntario, id est, primis concupiscentiæ motibus, non est peccatum.*

Lib. 5. de statu peccati cap 9.

Quod probare nititur duabus ratiunculis. Prior est: *Nulla lex Dei est impossibilis. Devitare concupiscentiam est impossibile. Ergo de vitanda concupiscentia nulla est lex Dei* Respondemus. In Repub. quidem forensi & civili obtinet hæc legum ferendarū conditio, cujus Plutarchus in Solone meminit: Δεῖ κατὰ τὸ δυνατὸν τίθεσθαι τοὺς νόμους. At in legibus divinis proprio nostro vitio nunc hæc possibilitatis conditio periit, manente interim debita legis obedientiæ exactione. Indiderat enim nobis Deus in creatione vires, sapientiam, justitiam & sanctitatem, ut si voluissemus, ad vivum præstare legem Dei potuissemus. Nostra autem culpa vires has, quum effuderimus, non tenetur Deus legem suam mutare, aut carnis nostræ fragilitati attemperare, quia æternæ ejus voluntatis & justitiæ norma est immota & immutabilis. Dicta autem illa Math. 11. 30. & 1. Johan. 5. 3. quæ legem Dei levem ac facilem lenemque facere videntur, intelligi debent secundū πρόσθεσιν & additionem atque applicationem GRATIÆ Euangelicæ. Nam ita explicat Hieronymus dicens: *Præcepta Dei impossibilia sunt natura, possibilia autem gratia.* Gratia enim divina donat SPIRITUM reconciliationis, qui carnis vetustatem oppugnat, & interius quandam operatur cordis ac virium novitatem, ut incipiat homo legi Dei delectari & obedire. Obediētiæ verò quicquid deest & inobedientiæ quicquid adest, propter Christum ignoscit, cujus perfectissimam obedientiam homini imputat, quæ omnes defectus facilè potest explere. Aliàs lex divina, si remoto gratiæ subsidio & misericordiæ Dei umbraculo considerature-

Lib. 1. Dial. advers. Pelag.

retur ζυγὸς est non εὐβάςακτος facilis gestatu, sed ἀβάςακτος, difficilis portatu, ut Petrus Act.15.10. & Paulus Roman.8.7. testatur.

Posterior ratio est Bellarmini: *Quod in potestate nostra non est, circa illud non peccamus. At primi concupiscentiæ motus in potestate nostra non sunt. Ergo circa primos concupiscentiæ motus non peccamus.*

Respondemus: *Propositio* itidē vera non est, nisi in judicio ac foro politico, quod operum & actuum ejusmodi continet præceptiones, quos facere vel omittere in singulorū est potestate. In judicio autem Dei feruntur præcepta & leges, ut foris quidem coërceant locomotivam, intus autem in conscientia accusant peccatum, & hominis corruptionem atque impotentiam arguant, uti ex Math.5.& Roman.8.7. perspicuum est.

Motus concupiscentiæ habere rationem peccati probatur.

Ut autem pateat, non esse *propositionem* κατὰ παντὸς & in universum veram, primosq; concupiscentiæ motus peccati nomen declinare non posse, considerentur rationes sequentes.

1. Quodcunq; à Deo probibetur, circa illud peccatur. Concupiscentiæ motus omnes à Deo prohibentur. Exod.20.17. Math.15.19. Ergo circa primos concupiscentiæ motus peccatur.

2. Peccatum est, quicquid pugnat cum lege Dei, 1.Joh.3.4. Primi concupiscentiæ motus pugnant cum lege Dei, Exod.20.17. Math.15.19. Rom.7. 7.8.9. Ergo, &c.

Jacob. 1.15. 3. Judicio & supplico divino nihil subjacet, nisi peccatum. Primi concupiscentiæ motus subjacent judicio & supplicio divino. Ergo sunt peccatum. *Assumptio* probatur Matth. 5. 22. ubi Christus *iram* temerè & fortuitò subrepentem judicio ac pœnę subjicit. Hic est priorum concupiscentiæ motuum unus. Posteà versu 28. *Quisquis aspexerit*, inquit, *mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo.* Hic est iterum primus concupiscentiæ motus. Mœchus autem extorris est à regno Dei, 1.Corinth.6.9.& 10.8. Ergo, &c.

4. Concupiscentia ipsa peccatum est, ut suprà probavimus. Igitur multò magis concupiscentiæ motus.

5. Quicquid est inimicitia adversus Deum, peccatum est. Intelligentia carnis, quæ pertinet inter priores concupiscentiæ motus, est inimicitia adversus Deum. Ergo intelligentia carnis est peccatum, &c.

6. Jacobus inquit cap. 1. ℣. 15. *Concupiscentia, quum conceperit, parit peccatum. Peccatum verò, quum consummatum fuerit, parit mortem.* Ubi Bellarm. ipse Concupiscentiam ab ejus motibus primo, secundo & tertio, qui Theologis appellantur *Suggestio*, *Delectatio & Consensus*, distingui adversus seipsum testatur. Hos autem motus Apostolus vocat peccatum, consentiente Bellarmino. Ergo, &c.

Lib. 5. de statu peccati, cap. 7.

7. Quod coinquinat hominem, est peccatum. Primi & proni concupiscentiæ motus coinquinant hominem. Ergo sunt peccatum. *Assumptionis* probatio habetur Math. 15. 19. *De corde enim*, inquit Christus, *exeunt cogitationes malæ*, &c. Ac postea ℣. 20. *Hæ sunt*, ait, *quæ inquinant hominem*, &c. Cogitationes autem pravas inter concupiscen-

tiæ

tiæ motus non esse postremos, nemo ignorat. Unde in repudiandis à peccatis ratione concupiscentiæ motibus Papistas Pelagianæ hæreseos reos esse, convictum est.

Bellarminus ut incautè suos in Pelagianismum circa doctrinam de concupiscentia præcipitet.

PORRO mirificum se adversarium contra ista se Bellarminus exhibet lib. 5. de Amiss. grat. & statu pecc. cap. 11. & tamen nihilominus & se & suos Pelagianismo involvit. Nam profitetur, se constituisse omnia loca, breviter explicare, quæ ab Euangelicis proferuntur è sacris literis ad probandum, concupiscétiam ex natura sua esse peccatum. Sciendum verò, omnia hæc loca Scripturæ, primo excepto, produci à *Luthero* in assertione secũdi articuli à Leone X. Papa Romano damnati Anno 1520. qui talis erat: *In puero post Baptismum remanens esse peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare.* Unde intelligitur, his testimoniis non tam probari in specie, concupiscentiam ex natura sua esse peccatum, quod prętendit Adversarius, quàm in genere, in baptizatis remanere peccatum, quod LUTHERUS ibi probare intendit.

Contra, quod Adversarius contendit, in baptizatis nullũ remanere peccatum propriè dictum: adeò ut tandem affirmare non dubitet: *Posse fieri, ut saltē ad breve tempus aliquis careat omni peccato etiam veniali:* qui est ipsissimus Pelagianismus. Statuit enim hic; *Hominem in hac vita posse esse sine omni peccato, si velit, non solùm ad breve tempus, sed etiam ad perpetuum.* Critobulus enim Hieronymi personam Pelagiani sustinens, sic dicit: *Ego hoc assero, qui potest uno die abstinere à peccato, posse & altero, qui duobus, posse & tribus: qui tribus, posse & triginta: atque hoc ordine posse trecentis & tribus millibus, quamdiu se voluerit abstinere.* Ad hunc Pelagianismum apertè tuendum Adversarius libidine contendendi abreptus ab instituto proposito revera dilabitur, ut Lector id caput pellegens, & cum explicatione D.D. Parei conferens probè inveniet.

Lib. 1. advers. Pelag.

Simul errant & Pelagianizant Pontificii, qui peccatum originale *ex animi limitibus in partes anima inferiores detrudunt.* Quia enim mens ipsi rebellat, & eam *captivam* tenet Rom. 7. 23. Et Apostolus jubet in studium *renovationis mētis* incumbere, Rom. 12. 2. 2. Cor. 4. 16. *Eph. 4. 23.* Ideo necesse est, hoc peccatum non tantùm in mole corporea & sensibus, verùm in ipsa mente sedem habere.

Orthodoxa doctrina summa de peccato originali.

Ut itaque ex istis opinionum hæreticarum sordibus ac cloacis in doctrina de peccato originali lectorem expediam, nunc orthodoxæ doctrinæ summam de eodem subnectam. Est enim peccatum originale totum illud primorum nostrorum parentum peccatum, hæreditaria labe ab ipsis in posteros per generationem propagatum, ac transfusum. VEL, est hæreditaria ἀνομία, quâ propter inobedientiam Adami omnes homines in eo peccaverunt, injustiq; toti quanti quanti sunt, animo & corpore effecti ac corrupti, filii iræ nascuntur, ad Deum agnoscendum & amandum, ac ad ea, quæ Deo placent, faciendum ineptissimi & impotentissimi, ad omne autem malum suâ naturâ propensissimi, ac nisi per Christum liberentur, in æternas tandem pœnas detrudendi. Hoc collatis breviter utriusque partis argumentis ex sacra Scriptura & Patrum consensu exponam.

Pareus cōt. lib. 4. Bell. de amiss. gratia. Cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

T Inter

Consensus Papistarum & Euangelicorum in doctrina de peccato originali.

Inter Euangelicos & Papistas est aliquis consensus in doctrina de peccato originali remanente in nobis post Baptismum. Nam Papistæ dicunt, corruptionem naturalem post Baptismũ esse sublatam, idipsum dicimus & nos, sed videndum hîc, quatenus sit sublata. Nam sub peccato originis intelliguntur tria: 1. *pœna* peccati, quæ est prima & secunda mors: Deinde, *culpa*, quæ obligat creaturam Deo ad pœnã; tertiò, *ipsum crimen*, sive Dei offensio: sub quo etiam comprehenditur nostrum crimen, quod committimus labendo in Adamo, ut & corruptionem mentis, quæ est promptitudo quædam & inclinatio naturalis ad malum.

Quod ad primum attinet, assentimur illis, quod *pœna* peccati originalis est sublata in regeneratis post Baptismum. *Nulla enim est condemnatio*, ait Apostolus, *in iis, qui sunt in Christo Jesu.* *Rom 8.1.* Quod verò ad secundum, convenimus similiter cum illis, ac dicimus, *culpa* solutos esse regeneratos. Nam si nulla est in ipsis condemnatio: nihil etiam est, quod eos ad pœnam obligare possit. Ubi tamen observandum est, culpâ solutam esse ipsam personam regeneratam: non verò ipsum ejus personæ peccatum. Sed de hoc infrà. De tertio quoque dicimus, quod culpa & crimen primæ offensæ Adami sit nobis remissum. De corruptione autem cordis & mentis *duo* asserimus. PRIMUM quòd in regeneratis eatenus est sublata hæc corruptio, ut non ampliùs regnet in ipsis. *Rom.5.21.* DEINDE, quod corruptio illa etiam eatenus est sublata, in quantum est culpa quædam & peccatum ejus hominis regenerati, in quo est: quomodo etiam remissa est & sublata culpa peccati alicujus actualis jam commissi. Verum quidem est, remanere illam corruptionem in homine usque ad mortem, esseque peccatum in seipso consideratum: at non imputatur personæ illi, atque hac ratione est quasi non sit, quum sit remissa.

Dissensio est de modo peccati originalis sublati.

Convenimus cum Pontificiis, ut jam dictum est, in eo quod peccatum originale in regeneratis tollatur: quo modo autem hoc fiat, nunc differemus. Papistæ enim dicunt, *peccatum originale post Baptismum ita esse solutum, ut jam ampliùs peccatum propriè ac verè sit dictum, minimè sit: sed saltem defectum quidem & imbecillitas naturæ: quâ mens hominis apta sit nata ad concipiendum peccatum: non aliter atque fomes, qui quidem ignis ex seipso non est, attamen aptus admodum atque facilis est ad ignem recipiendum.* Nec alio fine negant Papistæ corruptionem remanentem esse peccatum, quàm ut hoc præsupposito, errores alios suos quosdam absurdissimos & crassimos possint defendere: quales sunt, hominem posse implere legem Dei, ac bona opera omnimodò pura præstare, & justificari ante Dei tribunal operibus illis à se peractis.

Nos verò longè secius docemus. Asserimus enim, quamvis peccatum tollatur in regeneratis diversis respectibus, manere tamen nihilominus in iisdem non modò ut defectum quendam atque imbecillitatem: sed etiam ut peccatum, & quidẽ peccatum propriè sic dictum.

Rationes Pontificiorum refelluntur.

Rationes Pontificii pro sua sententia probabiles adferunt, sed quæ haud difficulter refutari queunt. I. Ajunt:

In Baptismo recipit homo perfectam & absolutam remissionem suorum peccatorum. Si igitur peccatum est condonatum, sublatum etiam erit totaliter; ac proinde peccatum originale cessat post Baptismum esse peccatũ. RESP. Peccatum tollitur duobus modis. PRIMUS est, non imputando id personæ: SECUNDUS extirpando id, ita ut amplius non existat. Atque idcirco dat Deus homini in Baptismo duo hæc dona, nimirum peccatorum *remissionem*, & eorundem *mortificationem*. CONDONATIO sive remissio tollit peccatum in universum, quoad imputationem: at non simpliciter & absolutè quoad existentiam. MORTIFICATIO igitur procedit ulteriùs, ac solvit liberatque omnes tam corporis quàm animæ potentias à reliqua concupiscentia sive corruptione, etiam quoad existentiam. Verùm quum MORTIFICATIO ista nunquam perfectè compleatur in homine usque ad mortem, fit etiam ut corruptio ista originalis in homine permaneat usque ad mortem, quantumvis non imputetur.

2. II. Ajunt: *Omne peccatum est voluntarium. At peccatum originale post Baptismum in nullo homine est voluntarium. Ideóque non est peccatum.* RESPONDEMUS: Major regula est politica, pertinetque ad politiũ forum, ac debet intelligi de actionibus mutuis inter homines; non verò pertinet ad forum conscientiæ, in quo Deus judicat, cordaque hominum inspicit. Quorum vel minima aberratio & declinatio à conformitate legis divinæ est peccatum. Deinde RESPONDEMUS: Peccatum originale voluntarium fuisse in primo nostro parẽte. Is enim peccavit & præcipitavit volũtariè in hãc miseriã: licet in nobis jã alia sit ratione, idq; certas & justissimas ob caussas. In Adamo præcessit peccatum actule, & sequuta demum est originalis corruptio. In nobis verò antegreditur corruptio originalis, & sic deinceps subsequuntur peccata actualia.

III. Ajunt: *Sublata uniuscujusque rei forma, cessat esse res illa, cujus est forma. At in regeneratis post Baptismum forma peccati originalis (puta culpa) est in universum sublata. Propterea peccatũ originale desiniit esse peccatum.* RESPONDEMUS: Culpa sive obligatio ad pœnam, non est forma corruptionis originalis: sed est (ut sequuntur Scholæ) accidens necessariò eam consequens. Vera autem & propria forma peccati originalis est defectus, sive privatio ejus integritatis in mente, voluntate, affectionibus & potentiis tam animæ quàm corporis: ejus, inquã, integritatis quã LEX requirit, Deut. 6. 1. Math. 22. 37. Luc. 19. 27.

Excipiunt Papistæ: *Ubi cessat culpa, & sublata quoque est pœna, ibi nullus est defectus. At post Baptismum sublata sunt & culpa & pœna. Quare ut remaneat illa originalis corruptio: non tamen remanet ut culpa, qua nos reprehensibiles reddere possit coram Deo, sed saltem ut imbecillitas aliqua.* RESPONDEMUS: Culpam & sublatam & non sublatam. Sublata est & extincta, quatenus est in hac vel illa persona regenerata, quæ propter nullum peccatum coram Deo rea censetur, sive id originale sit, sive actuale: NON est sublata culpa peccati, quatenus simpliciter ut peccatum & in seipso consideratur. ALII respondent: Culpa sive reatus est *duplex* actualis & po-

 tentia-

tentialis. *Actualis* est, quo fit ut homo ipso actu reus conseatur in conspectu Dei, quæ est sublata in regenerato. Culpa verò POTENTIALIS, quæ est promptitudo quædam & inclinatio ad peccatum, quaque eum reum (actualiter scilicet) constituit si peccat, neutiquam sublata est. Atque ob hanc causam semper remanet peccatum. Huc pertinet illud Augustini: *Nos autem eam* (concupiscentiam) *malam dicimus, & manere tamen in baptizatis, quamvis ejus reatus (non quo ipsa erat rea: neque enim aliqua persona est: sed quo reum hominem originaliter faciebat) fuerit remissus atque vacuatus.*

Lib.6.contra Julianũ cap.6.

IV. Ajunt Papistæ, ut nos apud omnes exosos reddant, nos docere, *peccatum originale post Baptismum radi solummodò ac detondi, quomodo solent capilli. Quorum radices quum semper intra corpus remaneant, denuò protrudunt ac pullulant, ut nova genitura, etiam postquam semel abscissi fuerint.* RESPONDEMUS: Malè illos nostram doctrinam intelligere, aut certè falsum asserere de nostra doctrina. Nam quum germinis alicujus vel arboris rami amputantur, aut pilus aliquis capitis abraditur, manet ipsa radix illæsa, atque ideo denuò viret, & novos surculos extrudit. At non ita se res habet in mortificatione peccati post Baptismum. Neque enim dicimus, radi peccatum illud simili modo: quin potiùs asserimus, quod in primo instante (ut ita dicamus) conversionis hominis peccatoris, peccatum accipiat vulnus lethale, ipsa radice succisa, absque ulla spe de novo ad priorem altitudinem excrescendi aut pullulandi. Hæc de Papistarum sententia.

Rationes pro nostra sententia quàm plurimas habemus maximi ponderis, sed hæ præcipuæ sunt. I. Clarissimè ait sanctus Paulus: *Non ampliùs ego id perpetro, sed peccatum, quod in me manet,* ℣. 2.5 *At hoc est peccatũ originale.* RESPOND. Papistæ: *Peccatum hîc dici impropriè, eò quod à peccato ortum sit, & sit occasio, ut peccata committantur.* VERÙM textus circumstantiæ omnes evincunt, peccatum hîc propriè dici. Nam in verbis statim sequentibus inquit sanctus Paulus: *Hoc peccatum in eo habitans compellere ipsum ad perpetrandum id peccatum, quod aversatur.* Ex quib. sic colligimus: *Id quod semel fuit peccatum propriè dictum, & quod in homine semper manens facit eum peccare, item quod eum peccati pœnis subjicit: denique quod hominem miserum* (in spiritualibus scilicet) *efficit, id est, & dicitur peccatũ propriissimè. At peccatum originale efficit hæc omnia. Quare peccatum originale est & dicitur propriè peccatum.*

Rationes Evangelicorum confirmantur.
Rom.7.20.

II. Dicimus: *Infantes baptizati & regenerati moriuntur* morte corporali antequam ad annos discretionis perveniant: ac *proinde peccatum originale est propriè peccatum.* Nec enim morerentur, si nulla esset in ipsis mortis caussa. *Mors enim est stipendium peccati,* ut ait Apostolus. Infantes verò, qui moriuntur antequàm ad usum rationis perveniant, peccato actuali carent. Ergo originali laborantes morti subjacent.

Rom.6.23.
Rom.5.12.

III. Quod concupiscit adversus Spiritum, & concupiscendo tentat, tentandoque incitat atque pertrahit mentem ad peccandum, id ex sua natura ac per seipsum est peccatum. At concupiscentia in regeneratis reliqua concupiscit adversus spiritum, tentatq; mo-

Jacob.1.14.
Gal.5.17.

do

do jam dicto. Quare concupiscentia est propriè peccatum. Qualis enim est fructus, talis est ipsa arbor. Et sic S. Augustinus: *Concupiscentia carnis*, inquit, *adversus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest ipsi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis: & caussa peccati est, defectione consentientis, vel* CONTAGIONE *nascentis*.]

Contra Julianum Pelagianum lib. 5. cap. 3.

IV. Testimonia & consensus veteris Ecclesiæ purioris. Sanctus Augustinus epist. 29. ait: *Charitas in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est. Plenissima verò, qua jam non possit augeri, quàm diu hic homo vivit, est in nemine: quamdiu autem augeri potest*, PROFECTO ILLUD QUOD MINUS EST QUAM DEBET, EX VITIO EST. *Ex quo vitio nō est justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Ex quo vitio non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens. Propter quod vitiū si dixerimus, quod peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Propter quod etiam quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere: Dimitte nobis debita nostra, quum jam omnia in baptismo dicta, facta, cogitata, dimissa sint.*

1. Reg. 8. 46. Psal. 143. 2. 1. Joh. 1. 8.

Equidem verum est, cumpluribus locis negare sanctum Augustinum, cōcupiscentiam post Baptismum reliquā esse peccatum. Verum illis locis hoc tantum sibi vult, quod concupiscentia in renatis non sit peccatum (non in sese considerata) sed quatenus est in ipso homine. Sic n. alibi seipsum exponit: *Hoc enim est non habere peccatum, reum non esse peccati.* Ad Valerium lib. 1. cap. 6. Item alibi: *Lex quippe peccati ista* (de qua Rom. 7.) *qua in membris est corporis hujus, & remissa est regeneratione spirituali, &*

Concupiscentiam quatenus peccatum esse neget Augustinus.

MANET IN CARNE *mortali*. REMISSA *scilicet, qua reatus solutus est Sacramento, quo renascuntur fideles*: MANET *autem, quia operatur desideria, contra qua dimicant fideles.* Lib. 2. contra Julianum & Tract. 41. in Joh. Item alibi: *Non regnet ergo peccatum in vobis. Non ait, non sit: sed, nō regnet. Quamdiu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis saltem illi regnum auferatur, non fiat quod jubet.*

Postremò cumprimis fiducia de infantum è vita sive ante sive post Baptismum excedentium ita concipienda est, ut Christianorum liberi in fœdus Dei asciti atque sancti credantur quēadmodum Deus Gen. 17. 7. & Apostolus 1. Cor. 7. 14. testatur. Sancti autem sunt propter societatem eum Ecclesiā, quam in Symbolo profitemur, *communionem sanctorum esse.* Nec propagationi, sed gratiæ & misericordiæ Dei, seu liberrimæ Dei ELECTIONI, remissio tam peccati originis quàm omnium actualium peccatorum. (blasphemia in Spiritum sanctum excepta) & justitia addicta est, tribuique debet juxta Apostolum Ephes. 1. 4. 7. & 2. 8. Denique sancti sunt, quia in fœdere divino comprehenduntur, de quo dicitur: *Ego ero Deus tuus & seminis tui post te.* Ac quoniam ab Apostolo Rom. 11. 16. dicitur: *Si radix sancta, etiam rami sancti sunt*, fide parentum vel susceptorum & fidejussorum piorum atque renatorum tenellis pariter atque adultis eorum aut aliorum liberis prodest. Nam etsi justum sua ipsius fide vivere Propheta testatur, nec filiis impiis & defectoribus parentum fidē & pietatem conducere Ezechiel multis docet: tamen propter fœdus Dei & preces

Infantum salus in peccati originalis ratione.

Gen. 17. 7.

Hab. 2. Ezech. 18.

μὴ κτ̀ σάρκα περιπατοῦσιν ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα. Id est: *Nulla igitur nunc est condemnatio iis, qui sunt in Christo Jesu id est, qui non secundùm carnem incedunt, sed secũdùm spiritum.* Propositiones autem hæ: Cõcupiscentia non est damnabilis, & homo concupiscens renatus non damnatur, infinitè differunt, nec sub sensus & significationis ταυτότητα aut ἰσοδυναμίαν coire in æternum possunt. Illa à concupiscentia aufert, quod aliàs meritissimo jure ei debetur, & φύσει quasi inest, nec tolli unquam potest. Hæc verò considerat, quid non concupiscentiæ quidem, sed homini concupiscenti, non δικαίως καὶ κατ' ὀφείλημα, sed δωρεὰν καὶ κτ̀ χάριν, id est, non jure & secundùm debitum, sed gratis & secundùm gratiam obtingat. Non enim ab ipsa concupiscentia tollitur τὸ ἄνομον & κατάκριτον, ut ipsa desinat esse mala, damnabilis & per μεταμόρφωσιν inauditam fiat sancta atque laudabilis. Sed ab homine credente & renato per gratiã Dei aufertur τὸ κατάκριμα, condemnatio, & donatur ei τὸ δικαίωμα, justitia & justitiæ imputatio. Variè igitur delinquit hoc argumentum. 1. πλήθει & multitudine terminorum. 2 σχήματι τῆς λέξεως, figurâ dictionis, confundendo abstractam & concretum. 3. Elencho accidentis. 4. A dicto secundùm quid ad dictum simpliciter, non distinguendo id, quod donatur ex gratia ab eo, quod debebatur ex natura: & id, quod est per se ab eo, quod obtingit per gratiam.

Exceptiones tres Papisticæ. TRIPLICITER excipit Bellarminus. 1. Si reatus dimittitur, nihil est in renatis, quod veram habeat peccati rationem. Reatus enim est id, quod propriè dicitur peccatum. Item: Reatus est omnino inseparabilis à re, quæ naturâ sua & digna damnatione.

Ubi distinguere debebat Bellarminus reatum ipsius vitii, & concupiscentiæ à reatu hominis vitiosi concupiscentis. Nam ab *homine* quidem reatum gratia divina tollit, reatum autem *concupiscentiæ seu vitii* relinquit.

II. Argumentatur: sublato formali perit rei natura. Quum forma sit præcipua pars naturæ, imò sit ipsa ratio & quidditas rei. Reatus est formale peccati. Ergo sublato reatu concupiscẽtiæ perit etiam ratio peccati. RESPONDEMUS: Sumit Bellarminus ὡς ὁμολογούμενον, quòd est κρινόμενον, id est, pro concesso quod adhuc est in quæstione. Quod enim cũcupiscentiæ reatus tollatur, nondum erat concessum. Nec concedi potest, nisi hac adhibita tum cautione, tum distinctione, ut *partim* reatus concupiscentiæ auferri dicatur, non quo rea erat ipsa, sed quo reum originaliter faciebat hominem; ut ait AUGUSTINUS l. 6. c. 6. contra Julianum: *partim* formale *Relationis*, quod est obligatio ad pœnam, accuratè distinguatur à formali *Qualitatis*, quod est pugnantia cum Lege Dei. Quorum illud potest tolli, hoc interim manẽte. Sicut à lapide tali potest formale relationis quę est ordinatio ad limitandũ, formali qualitatis interim nõ cessante. *Distinctio duplicis formalis & duplicis reatus.*

III. Aliquot profert Scripturæ testimonia, quibus contendit probare, Deum nunquam remittere reatum, dum maneat ejus fundamentum. RESPONDEMUS: At quia loquuntur de non renatis, qui in impietate sua computrescunt, operantes iniquitatem & loquentes mendacium sine resipiscentia, aliena hîc sunt. Lemma

Lemma autem illud Bellarmini ratum si foret, nemo esset, cui Deus unquam in hac vita remitteret, quum omnibus & semper sit orandum: *Dimitte nobis debita nostra:* Et quoad hic vivūt dicendum: *Si dixerimus, quod peccata nō habeamus, veritas in nobis non est. Scio, quod non habitet in me,* hoc est, in carne mea *bonum. Volenti facere bonum adjacet malum. Video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, captivantem me sub legem peccati. Infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis hujus?*

Math.6.

1.Joh.71..

Rom.7.

4.Ratio Papistica.

QUARTUM argumentum sumit Bellarminus à Baptismo, dicens: *Baptismus liberat hominem à peccato originali. Baptismus non liberat hominem à concupiscentia. Ergo concupiscentia non est peccatum originale.*

RESPONDEMUS: Mutuatus est hanc rationem Bellarminus cum Synodo Tridentina à Pelagio, cujus hæc erat præcipua, ut describit Augustinus lib.1. cap.13. contra duas epistolas Pelagii: *Si concupiscentia reliqua post Baptismum est peccatum, sequitur Baptismum non dare indulgentiam omnium peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant.* Sed ita sentire, est insignis contumelia in Baptismum, & blasphemia in mortem AGNI DEI, qui tollit peccata mundi. Ac Lutherus & Melanchthon dudum huic ratiunculæ responderunt ex Augustino, dicente: *Liberari hominem à peccato quoad reatum, licet illud remaneat actu.*

Resp.

Explodit quidem hanc solutionem Bellarminus, sed frustrà & absque ratione, quum INNOCENTII etiam, quem reprobare ipse non potest, testimonio comprobetur. Sic enim ille super 4. Psal. Pœnitentialem ait: *Originale peccatum transit reatu, quantum ad labē, & remanet actu, quantum ad fomitem, ex quo surgunt motus vel actus peccandi: sicut è contrario solet dici quòd actuale peccatum transit actu, & remanet reatu.*

Huc si addas, quod Chemnitius in locis communibus annotavit, nihil erit, quod desideretur. Sic enim Chemnitius: Baptismus vocatur lavacrum regenerationis & renovationis, Tit.3. 5. Id est, confert duo dona: Remissionem peccatorum & inchoationem renovationis, corrumpentem vetustatē carnis, 2. Cor. 4.16. Aliud autem est REMISSIO peccati, aliud MORTIFICATIO, expurgatio, destructio, seu expoliatio peccati. *Remissio* tollit reatum omnium peccatorum, ut *nihil damnationis sit in his, qui sunt in Christo* Jesu. Hæc remissio est plena & perfecta. *Renovatio* verò expurgans vetus fermentum exspolians & destruens corpus peccati, tantùm inchoatur, nec in hac vita plena & perfecta est, ita ut nihil vetustatis vel peccati remaneat. Quia *novus homo de die in diem renovatur,* 2. Cor.4.16. Hactenus ille.

Part.1.

Rom.8.1.

Sic igitur à peccato solvit hominem Baptismus, ut nihilominus sanctissimi etiam homines filios procreent non innocentes, aut ab impuro naturę contagio mundos, sed peccato inquinatos & iræ divinæ obnoxios. Et in renatis perpetua sit lucta carnis & spiritus. Gal.5.17. Ex quibus tale notetur argumentum. 1. Ubi est plena sanitas, & perfecta Spiritus novitas, ibi non est carnis vetustas. In hominibus renatis

N.B.

& baptizatis est carnis vetustas, Rom. 7. & 8. Ergo non est plena in iis sanitas, Et hoc sequens. 2. Si non est injurium in sanguinem Christi, emundantem nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. 7. dicere peccatum nos habere, ℣. 8. non magis injurium erit in Baptismum Christi, qui datur in remissionem peccatorum, dicere post Baptismum remanere peccatum. Illud autem in sanguinem Christi injurium non est. Ergo nec hoc in Baptismum Christi injurium erit.

5. Ratio Papistica.

QUINTUM Bellarmini argumentum est: *Concupiscentia est effectus & pœna peccati. Ergo non est peccatum ipsum.* RESPONDEMUS: Negatur consequentia. Utrumque enim esse potest diversa ratione & consideratione. *Augustinus* contra Julianum lib. 5. cap. 3. *Sicut cæcitas*, inquit, *cordis & peccatum est, quia in Deum non creditur, & pœna peccati, quia cor superbum digna animadversione punitur: & caussa peccati, quum mali aliquid cæci cordis errore committitur: Ita concupiscentia, adversus quam concupiscit spiritus, & peccatum est, qui illi inobedientia inest adversus dominatum mentis, & pœna peccati, quia reddi... est meritis inobedientis, & causs. peccati defectione consentientis, vel cōtagione nascentis.* Hæc Augustinus.

Concupiscentia peccatum est & caussa & pœna peccati.

6. Ratio Papistica.

SEXTUM Bellarmini argumentum est: *Quod naturale est per se & ex sua natura, peccatum non est.* Nam propter naturalia justè nemo potest reprehendi. *Concupiscentia est naturalis. Ergo concupiscentia peccatum non est.*

RESPONDEMUS: *Propositio* eget restrictione, ne peccatum originale, quod homini tam est naturale, quàm concupiscentia reliqua, ipsum quoque nomine & ratione abdicetur. Consideratur autem id, quod *naturale* est dupliciter. Vel, quod naturæ, quâ natura, est ὁμόχορον, vel quod σύμφυτον naturæ, quatenus vitiata & corruptione in deterius est mutata. De illo verum est, quod reprehensionem non incurrat, nec peccati rationem subeat. Deū enim habet auctorem. De hoc autem, quia vitiositatis & contagionis multū aliunde est attractum, quod propagatione fit quodammodò hæreditarium, secus res habet. AUGUSTINUS hypognosticῶν, 4. de malo originali sic: *Nos*, inquit, *libidinem non naturale bonum, sed naturale malum esse dicimus, credimusq́;. Naturale autem malum sic dicimus, non quia sit natura, Deo opifice, congenitum, sed quod à peccante natura transierit in peccatricem naturam, id est, quod peccatricis naturæ sit vitium, non ipsa natura.* Idem Anshelmus. De concupiscentia par est judicium. Et accuratè si foret loquendum, παραφυσικὴ *præternaturalis* potiùs, quā φυσικὴ naturalis dicenda erit concupiscentia: quia non est naturæ Deo opifice congenita, verùm aliunde contracta, quam carnalis nativitas singulis facit hæreditariam. Ut maximè autem concupiscentia naturalis dicatur ἀταξία tamen & vitiositas, quæ accessit, naturalis non est, si ἰδιῶς loqui volumus. Hæc enim non συμπεφυκότως congenita homini est, sed συμβεβηκότως aliunde accedens.

Naturale dupliciter considerandum.

MAXIMA quoque illa; Quòd naturalia non mereantur reprehensionem, si generatim accipi debeat, non valebit, nisi in cōmuni hominum contubernio & conversatione, quæ naturalia, vitio aut opprobrio non ducit. Judicii autem divini ἀκρίβεια & rigor legis

Naturalia non mereri reprehensionem, quatenus valeat.

legis quodcunque sive naturæ, sive voluntatis vitium improbet, execratur & maledictioni destinat. Rom. 5. 23. Deut. 27. Gal. 3. 10.

7. *Ratio Papistica.* SEPTIMUM Bellarmini argumentum est. *Primi concupiscentiæ motus non sunt peccatum. Multò minùs ergo concupiscentia ipsa*, vel ipsa pronitas ad malum actum. At ex præmissis falsis, non nisi conclusio falsa sequi potest. Nam antecedens est falsum: quia sive mens resistat sive non, si motus illi inordinati repugnent legi Dei, sunt peccatū. Non minus igitur concupiscentia ipsa, & inordinata pronitas repugnans legi, est peccatum.

Probat non repugnare legi: Exemplo puerorum, amentium, dormientium: item virorum sapientum, & vigilantium, in quorum potestate non est, non concupiscere. *Probatio sic erit:* Quod non est in nostra potestate evitare & facere, id non repugnat legi. In potestate puerorum, amentium, dormientium, sapientium, vigilantium non est nō concupiscere. Ergo non repugnat legi concupiscentia.

RESPONDEMUS: Hoc cavillum in lib. 2. cap. 6. Bellarmini, de Amiss. gratiæ & statu peccati prolixè refutavit D. Pareus. *Propositio* est falsa à non caussa. Sive enim sit, sive non sit in potestate nostra evitare concupiscentiam, omnis ἀνομία & transgressio legis repugnat legi. At concupiscere ea, quæ LEX DEI vetat, est ἀνομία & legis transgressio. Exemplo patet: In diabolorum & impiorum potestate non est non peccare, nec tamē peccata eorum ideo non repugnant legi. In potestate intemperantis non est continere se ab ingurgitatione, teste Aristotele Ethic. lib. 3. cap. 5. Nec tamen intemperantia ideo non repugnat legi.

Quæ de facilitate & suavitate jugi Christi & præceptorum addit, nihil huc faciunt: quia concupiscentia inordinata præceptis Dei prohibetur, & jugo Christi repugnat.

OCTAVUM Bellarmini argumentum est: Si concupiscentia est verum peccatum, & semper manet in justificatis, sequitur Christum nos non verè à peccatis redemisse, sed imputativè aut imaginariè tantùm. RESPONDEMUS: Quasi verò interior renovatio, & vitiositatis ac membrorum expurgatio & mortificatio sit momentanea, fiatque ὅμως & ὅλως, simul & totaliter, ac non potiùs successivè ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ, 2. Corinth. 4. aut tantùm inchoëtur, & non consummetur. Liberavit sanè nos à peccato Christus, servato tamen hujus & futuræ vitæ discrimine. In hac quippe vita plenam habent & perfectam peccatorum suorum indulgentiam credentes, expurgationem non item, quæ hîc suum quidem capit solum & progressum, illic autem ad consummationis apicem & culmen demum pertingit. PRIMÒ igitur negatur connexio propositionis. Nam nihilominus nos verè redemit *Christus*: tum quia fidelib. omnia peccata, quoad reatum, remittit perfectè: tum quia ipsa peccata per sanctificationem Spiritus expurgat inchoatè in hac vita, cōsummatè in altera. Et sic sunt intelligenda allegata Scripturæ Johan. 8. 38. *Si Filius vos liberaverit, verè liberi eritis.* Rom. 5. 19. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, &c. sic per unius obediētiā justi cōstituētur multi.* Nēpe p

8. *Ratio Papistica.*

imputationem quidem perfectè: per sanctificationem verò inchoatè in hac vita, consummatè in altera. Ideo Apostolus utitur verbo futuro κατασταθήσονται.

Secundò, Adversarius malè opponit *verè & imputativè*: quasi quod *imputativè* fit, *verè* non fiat. Nam Deus imputativè remittit peccata, quia ea non imputat: & imputativè justificat, quia justitiam Christi imputat: & verè tamen utrumque, quia verè dicitur ad Rom. 4. 8. & 6 *Beati, quorum Deus non imputat peccata: Sed quibus imputat justitiam sine operibus.*

9. Ratio Papistica.

Nonum Bellarmini argumentum est: *In quo est legis divinæ inobedientia, in eo quoque est reatus divinæ indignationis & odii. At in renatis non est reatus divinæ indignationis. Ergo in renatis non est legis divinæ inobedientia.*

Respondemus: *Propositio* est legalis: *Assumptio* Euangelica. Uniformis ergo conclusio hinc deduci nequit. Si enim ad justitiæ divinæ tribunal sisti, & secundùm legis rigorem pensitari atque examinari vita nostra deberet, certò certius esset, omnium ora obturatum & totum mundum Deo factum iri reum. Roman. 3. ℣. 19. 23. *Omnes enim peccaverunt, & destituuntur gloria Dei.*

In meditat. *Verum est*, inquit Anshelmus, *conscientia nostra meretur damnationem, & pœnitentia nostra non sufficit ad expiationem: sed certum quoque est, quod* Misericordia *Dei superet omnem offensionem.* Quâ fit, ut justificemur, hoc est, à peccatorum nexu & iræ divinæ noxa liberemur gratis, per gratiam ipsius, per redemptionem in Christo Jesu, quem proposuit propitiatorem in Euangelio per fidem in sanguine ejus, Rom. 3. 24. 25. Per quem misericordiam consequitur, peccatorumque remissionem adipiscitur, & ab omnib. à quibus in lege non poterat, justificatur omnis, qui credit in eum. Act. 13 38. Heb. 4. 6.

Aliter tamen ultimum illud Bellarmini argumentum sic formatur: *Sententia seipsam destruens est falsa. Sententia Euangelicorum seipsam destruit: Nos esse verè peccatores & tamen non esse reos divinæ indignationis & odii. Ergo est falsa.* Paulo aliter itaque etiam respondemus: *Assumptio* est falsa. Nam licet justificati & sanctificati maneant in se peccatores, juxta Scripturam: *Non est justus, ne unus quidem. Dimitte nobis debita nostra*: Rom 3. 10. Math. 6. tamen non sunt rei, tum quia per fidem gratis habent remissionem reatus peccatorum omnium per Christum: tum quia non indulgent, sed resistunt peccatis per gratiam Spiritus Dei. Aut prodeant hypocritæ, & quum videantur sibi justificati sua charitate & operibus, nec rei esse velint, se peccatores esse negent. Atqui Johannes hypocrisin eorum redarguet, dicendo: *Si dixeritis, vos peccatum non habere, mendaces estis, & veritas Dei non est in vobis.* 1. Joh 1. ℣ 8.

Hucusque refutavimus argumenta & rationes Bellarmini, quibus concupiscentiam malam non esse verè & propriè peccatum, probare est conatus. Refutationem aptiorem & doctiorem, si desiderat Lector studiosus, evolvat D. Parei explicationem & castigationem lib. 5. Bellarmini de Amiss. gratiæ & statu peccati, à cap. 3. usque ad 16.

Ibidem quidem cap. 10. 11. 12. 13. 14.

&

Concupiscentiam esse peccatū probatur.

& 15. Bellarminus nostra argumenta pro veritate, *quod concupiscentia prava sit peccatum.* refutat, sed à D. D. Pareo solidè vindicantur. Illis nostrorum argumentis nos hîc pauca addemus, quæ ordine sic habent.

1. Quicquid proprie & verè peccatū dicitur, peccatum est. Concupiscētia reliqua verè & propriè dicitur peccatum. Ergo verè & propriè peccatū est. *Assūptio* legitur Rom. 6.12.14. & 7.14.17.20.. 3.1. Joh. 1.8. Heb. 12.1.

2. Cuicunque convenit definitio peccati, eidem & definitum convenit. Concupiscentiæ reliquæ convenit definitio peccati. Ergo & definitum ei convenit. Rursus *Assumptio* probatur 1. Joh. 3. 4. ubi peccatum Apostolo definitur *ἀνομία*, hoc est, transgressio Legis vel pugnantia cum lege. Concupiscentia autem est contra legem, ut Rom. 7.1 Apostolus ait: *Concupiscentiam non novissime nisi lex dixisset. Non concupisces.* Et versu 23 *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captivantem me sub lege peccati.*

Tantum de concupiscentia ipsa: Nunc de motibus concupiscentiæ.

Motus concupiscentiæ negando esse peccatum Papistæ fieri Pelagianos.

Pravi affectus, vitiosæ inclinationes, cogitationes & cupiditates sunt primi concupiscentiæ motus. Eos Papistæ defendunt, atque è catalogo & nomenclatura peccatorum expungunt. Ut Catechesis Romana pag. 442. *Primi*, inquit, *Concupiscentiæ motus quibus non prabetur assensus, non sunt peccatum.* Et Bellarminus ratione quarta, *Concupiscentia*, inquit, *si sumatur pro actu involuntario, id est, primis concupiscentiæ motibus, non est peccatum.*

Lib. 5. de statu peccati cap 9.

Quod probare nititur duabus ratiunculis. Prior est: *Nulla lex Dei est impossibilis. Devitare concupiscentiam est impossibile. Ergo de vitanda concupiscentia nulla est lex Dei* Respondemus. In Repub. quidem forensi & civili obtinet hæc legum ferendarū conditio, cujus Plutarchus in Solone meminit: Δεῖ γὰρ τὸ δυνατὸν τίθεσθαι τοὺς νόμους. At in legibus divinis proprio nostro vitio nunc hæc possibilitatis conditio periit, manente interim debita legis obedientiæ exactione. Indiderat enim nobis Deus in creatione vires, sapientiam, justitiam & sanctitatem, ut si voluissemus, ad vivum præstare legem Dei potuissemus. Nostra autem culpa vires has, quum effuderimus, non tenetur Deus legem suam mutare, aut carnis nostræ fragilitati attemperare, quia æternæ ejus voluntatis & justitiæ norma est immota & immutabilis. Dicta autem illa Math. 11.30. & 1. Johan. 5 3. quæ legem Dei levem ac facilem lenemque facere videntur, intelligi debent secundū πρόσθεσιν & additionem atque applicationem GRATIÆ Euangelicæ. Nam ita explicat Hieronymus dicens: *Præcepta Dei impossibilia sunt natura, possibilia autem gratia.* Gratia enim divina donat SPIRITUM reconciliationis, qui carnis vetustatem oppugnat, & interius quandam operatur cordis ac virium novitatem, ut incipiat homo legi Dei delectari & obedire. Obediētiæ verò quicquid deest & inobedientiæ quicquid adest, propter Christum ignoscit, cujus perfectissimam obedientiam homini imputat, quæ omnes defectus facilè potest explere. Aliàs lex divina, si remoto gratiæ subsidio & misericordiæ Dei umbraculo considere-

Lib. 1. Dial. advers. Pelag.

etur.

retur ζυγὸς est non εὐβάστακτος facilis gestatu, sed δυσβάστακτος, difficilis portatu, ut Petrus Act. 15. 10. & Paulus Roman. 8. 7. testatur.

POSTERIOR ratio est Bellarmini: *Quod in potestate nostra non est, circa illud non peccamus. At primi concupiscentiæ motus in potestate nostra non sunt. Ergo circa primos concupiscentiæ motus non peccamus.*

RESPONDEMUS: *Propositio* itidẽ vera non est, nisi in judicio ac foro politico, quod operum & actuum ejusmodi continet præceptiones, quos facere vel omittere in singulorũ est potestate. In judicio autem Dei feruntur præcepta & leges, ut foris quidem coërceant locomotivam, intus autem in conscientia accusant peccatum, & hominis corruptionem atque impotentiam arguant, uti ex Math. 5. & Roman. 8. 7. perspicuum est.

Motus concupiscentiæ habere rationem peccati probatur. Ut autem pateat, non esse *propositionem* κατὰ παντὸς & in universum veram, primosq; concupiscentiæ motus peccati nomen declinare non posse, considerentur rationes sequentes.

1. Quodcunq; à Deo prohibetur, circa illud peccatur. Concupiscentiæ motus omnes à Deo prohibentur. Exod. 20. 17. Math. 15. 19. Ergo circa primos concupiscentiæ motus peccatur.

2. Peccatum est, quicquid pugnat cum lege Dei, 1. Joh. 3. 4. Primi concupiscentiæ motus pugnant cum lege Dei, Exod. 20. 17. Math. 15. 19. Rom. 7. 7. 8. 9. Ergo, &c.

Jacob. 1. 15. 3. Judicio & supplico divino nihil subjacet, nisi peccatum. Primi concupiscentiæ motus subjacent judicio & supplicio divino. Ergo sunt peccatum. *Assumptio* probatur Matth. 5. 22. ubi Christus *iram* temerè & fortuitò subrepentem judicio ac pœnę subjicit. Hic est priorum concupiscentiæ motuum unus. Posteà versu 28. *Quisquis aspexerit,* inquit, *mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo.* Hic est iterum primus concupiscentiæ motus. Mœchus autem extorris est à regno Dei, 1. Corinth. 6. 9. & 10. 8. Ergo, &c.

4. Concupiscentia ipsa peccatum est, ut suprà probavimus. Igitur multò magis concupiscentiæ motus.

5. Quicquid est inimicitia adversus Deum, peccatum est. Intelligentia carnis, quæ pertinet inter priores concupiscentiæ motus, est inimicitia adversus Deum. Ergo intelligentia carnis est peccatum, &c.

6. Jacobus inquit cap. 1. ℣. 15. *Concupiscentia, quum conceperit, parit peccatum. Peccatum verò, quum consummatum fuerit, parit mortem.* Ubi Bellarm. ipse CONCUPISCENTIAM ab ejus motibus primo, secundo & tertio, qui Theologis appellantur *Suggestio, Delectatio & Consensus,* distingui adversus seipsum testatur. Hos autem motus Apostolus vocat peccatum, consentiente Bellarmino. Ergo, &c. *Lib. 5. de statu peccati, cap. 7.*

7. Quod coinquinat hominem, est peccatum. Primi & proni concupiscentiæ motus coinquinant hominem. Ergo sunt peccatum. *Assumptionis* probatio habetur Math. 15. 19. *De corde enim,* inquit Christus, *exeunt cogitationes malæ,* &c. Ac postea ℣. 20. *Hæ sunt,* ait, *quæ inquinant hominem,* &c. Cogitationes autem pravas inter concupiscen-

tiæ

tiæ motus non esse postremos, nemo ignorat. Unde in repudiandis à peccatis ratione concupiscentiæ motibus Papistas Pelagianæ hæreseos reos esse, convictum est.

Bellarminus ut incautè suos in Pelagianismum circa doctrinam de concupiscentia præcipitet.

PORRO mirificum se adversarium contra ista se Bellarminus exhibet lib. 5. de Amiss. grat. & statu pecc. cap. 11. & tamen nihilominus & se & suos Pelagianismo involvit. Nam profitetur, se constituisse omnia loca, breviter explicare, quæ ab Euangelicis proferuntur è sacris literis ad probandum, concupiscētiam ex natura sua esse peccatum. Sciendum verò, omnia hæc loca Scripturæ, primo excepto, produci à *Luthero* in assertione secūdi articuli à Leone X. Papa Romano damnati Anno 1520. qui talis erat: *In puero post Baptismum remanens esse peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare.* Unde intelligitur, his testimoniis non tam probari in specie, concupiscentiam ex natura sua esse peccatum, quod prętendit Adversarius, quàm in genere, in baptizatis remanere peccatum, quod LUTHERUS ibi probare intendit.

Lib. 1. advers. Pelag.

Contra, quod Adversarius contendit, in baptizatis nullū remanere peccatum propriè dictum: adeò ut tandem affirmare non dubitet: *Posse fieri, ut saltē ad breve tempus aliquis careat omni peccato etiam veniali*: qui est ipsissimus Pelagianismus. Statuit enim hic; *Hominem in hac vita posse esse sine omni peccato, si velit, non solùm ad breve tempus, sed etiam ad perpetuum.* Critobulus enim Hieronymi personam Pelagiani sustinens, sic dicit: *Ego hoc assero, qui potest uno die abstinere à peccato, posse & altero, qui duobus, posse & tribus: qui tribus, posse & triginta: atque hoc ordine posse trecentis & tribus millibus, quamdiu se voluerit abstinere.* Ad hunc Pelagianismum apertè tuendum Adversarius libidine contendendi abreptus ab instituto proposito revera dilabitur, ut Lector id caput pellegens, & cum explicatione D.D. Parei conferens probè inveniet.

Simul errant & Pelagianizant Pontificii, qui peccatum originale *ex animi limitibus in partes animæ inferiores detrudunt.* Quia enim mens ipsi rebellat, & eam *captivam* tenet Rom. 7. 23. Et Apostolus jubet in studium *renovationis mētis* incumbere, Rom. 12. 2. 2. Cor. 4. 16. *Eph. 4. 23.* Ideo necesse est, hoc peccatum non tantùm in mole corporea & sensibus, verùm in ipsa mente sedem habere.

Orthodoxa doctrina summa de peccato originali.

Pareus cōt. lib. 4. Bell. de amiss. gratia. Cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Ut itaque ex istis opinionum hæreticarum sordibus ac cloacis in doctrina de peccato originali lectorem expediam, nunc orthodoxæ doctrinæ summam de eodem subnectam. Est enim peccatum originale totum illud primorum nostrorum parentum peccatum, hæreditaria labe ab ipsis in posteros per generationem propagatum, ac transfusum. VEL, est hæreditaria ἀνομία, quâ propter inobedientiam Adami omnes homines in eo peccaverunt, injustiq; toti quanti quanti sunt, animo & corpore effecti ac corrupti, filii iræ nascuntur, ad Deum agnoscendum & amandum, ac ad ea, quæ Deo placent, faciendum ineptissimi & impotentissimi, ad omne autem malum suâ naturâ propensissimi, ac nisi per Christum liberentur, in æternas tandem pœnas detrudendi. Hoc collatis breviter utriusque partis argumentis ex sacra Scriptura & Patrum consensu exponam.

Consensus Papistarum & Euangelicorum in doctrina de peccato originali.

Inter Euangelicos & Papistas est aliquis consensus in doctrina de peccato originali remanente in nobis post Baptismum. Nam Papistæ dicunt, corruptionem naturalem post Baptismũ esse sublatam, idipsum dicimus & nos, sed videndum hîc, quatenus sit sublata. Nam sub peccato originis intelliguntur tria: 1. *pœna* peccati, quæ est prima & secunda mors: Deinde, *culpa*, quæ obligat creaturam Deo ad pœnã; tertiò, *ipsum crimen*, sive Dei offensio: sub quo etiam comprehenditur nostrum crimen, quod committimus labendo in Adamo, ut & corruptionem mentis, quæ est promptitudo quædam & inclinatio naturalis ad malum.

Quod ad primum attinet, assentimur illis, quod *pœna* peccati originalis est sublata in regeneratis post Baptismum. *Nulla enim est condemnatio*, ait Apostolus, *in iis, qui sunt in Christo Jesu.* Rom 8.1. Quod verò ad secundum, convenimus similiter cum illis, ac dicimus, *culpa* solutos esse regeneratos. Nam si nulla est in ipsis condemnatio: nihil etiam est, quod eos ad pœnam obligare possit. Ubi tamen observandum est, culpâ solutam esse ipsam personam regeneratam: non verò ipsum ejus personæ peccatum. Sed de hoc infrà. De tertio quoque dicimus, quod culpa & crimen primæ offensæ Adami sit nobis remissum. De corruptione autem cordis & mentis *duo* asserimus. PRIMUM quòd in regeneratis eatenus est sublata hæc corruptio, ut non ampliùs regnet in ipsis. Rom. 5.12. DEINDE, quod corruptio illa etiam eatenus est sublata, in quantum est culpa quædam & peccatum ejus hominis regenerati, in quo est: quomodo etiam remissa est & sublata culpa peccati alicujus actualis jam commissi. Verum quidem est, remanere illam corruptionem in homine usque ad mortem, esseque peccatum in seipso consideratum: at non imputatur personæ illi, atque hac ratione est quasi non sit, quum sit remissa.

Dissensio est de modo peccati originalis sublati.

Convenimus cum Pontificiis, ut jam dictum est, in eo quod peccatum originale in regeneratis tollatur: quo modo autem hoc fiat, nunc dissere-mus. Papistæ enim dicunt, *peccatum originale post Baptismum ita esse solutum, ut jam ampliùs peccatum propriè ac verè sit dictum, minimè sit: sed saltem defectum quidem & imbecillitas naturæ: quâ mens hominis apta sit nata ad concipiendum peccatum: non aliter atque fomes, qui quidem ignis ex seipso non est, attamen aptus admodum atque facilis est ad ignem recipiendum.* Nec alio fine negant Papistæ corruptionem remanentem esse peccatum, quàm ut hoc præsupposito, errores alios suos quosdam absurdissimos & crassimos possint defendere: quales sunt, hominem posse implere legem Dei, ac bona opera omnimodò pura præstare, & justificari ante Dei tribunal operibus illis à se peractis.

Nos verò longè sécius docemus. Asserimus enim, quamvis peccatum tollatur in regeneratis diversis respectibus, manere tamen nihilominus in iisdem non modò ut defectum quendam atque imbecillitatem: sed etiam ut peccatum, & quidẽ peccatum propriè sic dictum.

Rationes Pontificiorum refelluntur.

Rationes Pontificii pro sua sententia probabiles adferunt, sed quæ haud difficulter refutari queunt. I. Ajunt:

In Baptismo recipit homo perfectam & absolutam remissionem suorum peccatorum .Si igitur peccatum est condonatum, sublatum etiam erit totaliter; ac proinde peccatum originale cessat post Baptismum esse peccatū. RESP. Peccatum tollitur duobus modis. PRIMUS est, non imputando id personæ: SECUNDUS extirpando id, ita ut amplius non existat. Atque idcirco dat Deus homini in Baptismo duo hæc dona, nimirum peccatorum *remissionem*, & eorundem *mortificationem*. CONDONATIO sive remissio tollit peccatum in universum, quoad imputationem: at non simpliciter & absolutè quoad existentiam. MORTIFICATIO igitur procedit ulteriùs, ac solvit liberatque omnes tam corporis quàm animæ potentias à reliqua concupiscentia sive corruptione, etiam quoad existentiam. Verùm quum MORTIFICATIO ista nunquam perfectè compleatur in homine usque ad mortem, fit etiam ut corruptio ista originalis in homine permaneat usque ad mortem, quantumvis non imputetur.

2. II. Ajunt: *Omne peccatum est voluntarium. At peccatum originale post Baptismum in nullo homine est voluntarium. Ideóque non est peccatum.* RESPONDEMUS: Major regula est politica, pertinetque ad politiũ forum, ac debet intelligi de actionibus mutuis inter homines; non verò pertinet ad forum conscientiæ, in quo Deus judicat, cordaque hominum inspicit. Quorum vel minima aberratio & declinatio à conformitate legis divinæ est peccatum. Deinde RESPONDEMUS: Peccatum originale voluntarium fuisse in primo nostro parẽte. Is enim peccavit & præcipitavit voluntariè in hãc miseriã: licet in nobis jã alia sit ratione, idq; certas & justissimas ob caussas. In Adamo præcessit peccatum actule, & sequuta demum est originalis corruptio. In nobis verò antegreditur corruptio originalis, & sic deinceps subsequuntur peccata actualia.

III. Ajunt: *Sublata uniuscujusque rei forma, cessat esse res illa, cujus est forma. At in regeneratis post Baptismum forma peccati originalis (puta culpa) est in universum sublata. Propterea peccatũ originale desinit esse peccatum.* RESPONDEMUS: Culpa sive obligatio ad pœnam, non est forma corruptionis originalis: sed est (ut sequuntur Scholæ) accidens necessariò eam consequens. Vera autem & propria forma peccati originalis est defectus, sive privatio ejus integritatis in mente, voluntate, affectionibus & potentiis tam animæ quàm corporis: ejus, inquã, integritatis quã LEX requirit, Deut. 6. 1. Math. 22. 37. Luc. 19. 27.

Excipiunt Papistæ: *Ubi cessat culpa, & sublata quoque est pœna, ibi nullus est defectus. At post Baptismum sublata sunt & culpa & pœna. Quare ut remaneat illa originalis corruptio: non tamen remanet ut culpa, qua nos reprehensibiles reddere posset coram Deo, sed saltem ut imbecillitas aliqua.* RESPONDEMUS: Culpam & sublatam & non sublatam. Sublata est & extincta, quatenus est in hac vel illa persona regenerata, quæ propter nullum peccatum coram Deo rea censetur, sive id originale sit, sive actuale: NON est sublata culpa peccati, quatenus simpliciter ut peccatum & in seipso consideratur. ALII respondent: Culpa sive reatus est *duplex* actualis & po-

do jam dicto. Quare concupiscentia est propriè peccatum. Qualis enim est fructus, talis est ipsa arbor. Et sic S. Augustinus: *Concupiscentia carnis*, inquit, *adversus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest ipsi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis: & caussa peccati est, defectione consentientis, vel* CONTAGIONE *nascentis.*]

Contra Julianum Pelagianum lib. 5. cap. 3.

IV. Testimonia & consensus veteris Ecclesiæ purioris. Sanctus Augustinus epist. 29. ait: *Charitas in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est. Plenissima verò, quæ jam non possit augeri, quàm diu hic homo vivit, est in nemine: quamdiu autem augeri potest*, PROFECTO ILLUD QUOD MINUS EST QUAM DEBET, EX VITIO EST. *Ex quo vitio nō est justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Ex quo vitio non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens. Propter quod vitiū si dixerimus, quod peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Propter quod etiam quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere: Dimitte nobis debita nostra, quum jam omnia in baptismo dicta, facta, cogitata, dimissa sint.*

1. Reg. 8. 46. Psal. 143. 2. 1. Joh. 1. 8.

Equidem verum est, compluribus locis negare sanctum Augustinum, cōcupiscentiam post Baptismum reliquā esse peccatum. Verum illis locis hoc tantum sibi vult, quod concupiscentia in renatis non sit peccatum (non in sese considerata) sed quatenus est in ipso homine. Sic n. alibi seipsum exponit: *Hoc enim est non habere peccatum, reum non esse peccati.* Ad Valerium lib. 1. cap. 6. Item alibi: *Lex quippe peccati ista* (de qua Rom. 7.) *quæ in membris est corporis hujus, & remissa est regeneratione spirituali, &* MANET IN CARNE *mortali.* REMISSA *scilicet, quia reatus solutus est Sacramento, quo renascuntur fideles:* MANET *autem, quia operatur desideria, contra quæ dimicant fideles.* Lib. 2. contra Julianum & Tract. 41. in Joh. Item alibi: *Non regnet ergo peccatum in vobis. Non ait, non sit: sed, nō regnet. Quamdiu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis saltem illi regnum auferatur, non fiat quod jubet.*

Concupiscentiam quatenus peccatum esse neget Augustinus.

Postremò cumprimis fiducia de infantum è vita sive ante sive post Baptismum excedentium ita concipienda est, ut Christianorum liberi in fœdus Dei asciti atque sancti credantur quēadmodum Deus Gen. 17. 7. & Apostolus 1. Cor. 7. 14. testatur. Sancti autem sunt propter societatem eum Ecclesiâ, quam in Symbolo profitemur, *communionem sanctorum esse.* Nec propagationi, sed gratiæ & misericordiæ Dei, seu liberrimæ Dei ELECTIONI, remissio tam peccati originis quàm omnium actualium peccatorum. (blasphemia in Spiritum sanctum excepta) & justitia addicta est, tribuique debet juxta Apostolum Ephes. 1. 4. 7. & 2. 8. Denique sancti sunt, quia in fœdere divino comprehenduntur, de quo dicitur: *Ego ero Deus tuus & seminis tui post te.* Ac quoniam ab Apostolo Rom. 11. 16. dicitur: *Si radix sancta, et eam rami sancti sunt*, fide parentum vel susceptorum & fidejussorum piorum atque renatorum tenellis pariter atque adultis eorum aut aliorum liberis prodest. Nam etsi justum sua ipsius fide vivere Propheta testatur, nec filiis impiis & defectoribus parentum fidē & pietatem conducere Ezechiel multis docet: tamen propter fœdus Dei &

Infantum salus in peccatis originalis ratione.

Gen. 17. 7.

Hab. 2. Ezech. 18.

preces sanctas pro liberorum salute fusas, ex parentum aliorúmve pietate ac fide fructus ad liberos redit. Quibus finem erroribus Pelagianismi, in Papatu residuis atque novitatibus aliis auctis circa peccati originalis doctrinam, imponimus.

3. *De libero arbitrio Papistas cum Pelagianis sentire.*

TERTIA Pelagianorum hæresis est perversa doctrina de libero Arbitrio, in qua egregios imitatores habent Papistas. Nam referente August. hæres. 28. Pelagiani docuerunt. *In homine post lapsum reliquam esse aliquam arbitrii libertatem ad bonum. Imò hominem præditum esse libro arbitrio, antequam Dei gratiam acceperit.* Item: *Posse homines ut res cæteras, ita opera sua efficere sine* ULLO DEI AUXILIO, *sive generali, sive speciali:* ut testatur S. Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem & l. 1. advers. Pelagianos. Idem Donatistæ asserebant, teste Augustino. Ac *Pharisæos* Judæorum notat hoc nomine hæreseos Epiphanius & Euanglium, quòd arbitrii humani libertatem asseruerint, viribúsque nativis in homine bonum volendi & præstandi facultatem tribuerint. Hinc ampullæ & sesquipedalia verba *Pharisæi* Luc. 18 11. & legisperiti Math. 19 20. qui de suæ justitiæ αὐταρκείᾳ & perfectione sibi fastuosè gratulantur, deque plena legis impletione superbire haud verentur.

In toto hoc isti ὁμοψήφους & suffragatores habent Papistas.

Nam de natura Liberi Arbitrii octo quidem diversissimas sententias recitat Robertus Bellarminus lib. 3. de lib. Arbitrio cap. 7. sed quarum pleraq; eò recidunt, *ut hominem ante gratiam habere quidem liberum arbitrium statuant, verùm saltem peccatorum laqueis implicatum, ut eo libere uti nequeat.* Et hoc ex Concilio Tridentino atque Andradio ejus interprete, & censura Coloniensi fol. 33. 34. 35 36 37. etiam constat.

De viribus verò illius permulti expresse statuunt: *Hominem liberi arbitrii viribus absque speciali Dei auxilio actum moralem,* hoc est, *rectæ rationi consentaneum proferre posse,* ut testatur Gregorius Ariminensis.

Communis sententia Theologorum Papisticorum est: *Objectum liberi arbitrii seu voluntatis humanæ proprium & primarium esse* BONUM, *sive aliquid apprehensum sub ratione boni:* MALUM *autem non pertinere ad objectum voluntatis, nisi secundariò & per accidens, quatenus videlicet malum nolumus quia* BONO, *quod per se volumus, contrarium est.* Hoc apertè Bellarminus cap. 12. pag. 248. fatetur.

Ac idem quidem dicit: *Manere sententiam communem in Scholis Theologorum, posse ab homine fieri multa opera sine auxilio Dei speciali, ut arare, serere, putare vites, plãtare arbores, ambulare, sedere, loqui & alia id genus: nihil tamen fieri posse, sine auxilio Dei generali.* Sed Gabriel Biel, *Voluntas,* inquit, *humana viatoris* EX SUIS NATURALIBUS *potest diligere Deum super omnia.* Ac Bellarminus tandem lib. 6. de lib. arbitr. cap. 15. *Homo,* inquit, *ante omnem gratiam liberum habet arbitrium, non solùm ad opera naturalia & moralia, sed etiam ad opera pietatis & supernaturalia.* Cap. 4. pag. 284. 288. In 3 sent. dist. 27. quæst. 1.

Anno 1547. Jenuarii die 13. sexta sessio Tridenti habita est, ac inter alia in ea de libero arbitrio actum. Canone igitur quinto sic Patres sanxerunt: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut*

rem

rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique, Anathema sit.

Confutatio. HÆC & similia disertè in dictis & scriptis Romanæ Ecclesiæ Doctorum passim obvia sunt, quasi è Schola Pelagii prodiissent. Nec ægrè ferri possunt aut debent à Papistis, si illis hodie tanquam hæreticæ & Pelagianæ sententiæ objiciuntur, quum hoc à non paucis neque obesæ naris hominibus ex ipsorummet caterva factum sit. Nam GREGORIUS ARIMINENSIS & MARSILIUS PATAVINUS apertè ea omnia negant, & hæretica ac Pelagiana esse asserunt. Quum enim Ariminensis rationem suę negationis reddere velit: *Eò quòd*, inquit, *illa sententia à doctrina sanctorum &* ECCLESIASTICIS *definitionibus dissonet, &* ERRORI PELAGII *faveat, aut si in aliquo discedat, magis tamen recedat à Catholica veritate, quàm dictum* PELAGII. Ac propterea Scotum, Occamum & similes nominatim lib. 2. distinct. 20. refutat. Et rectissimè quidem ita ARIMINENSIS judicat, ut ordine Deo bene juvante probabimus.

PRIMÒ enim, Pelagianæ hæresi affinem esse Papistarum sententiam, ipsa verba horum cum Pelagianorum collata evincunt.

DEINDE à doctrina SANCTORUM, nempe tam Prophetarum & Apostolorum, quàm Patrum veteris Ecclesiæ Christianæ dissentit. Nam non repetam considerationem status hominis ante lapsum, quia de eo satis lib. 1. cap. 25. in hæresi Manichæorum disserui: sed tantùm dicam nunc plura 1. de statu post lapsum ante regenerationẽ, 2. de statu in ipsa regeneratione, 3. de statu regenerati.

Quoad essentiam manet liberum arbitrium semper. Nam etsi post Adami lapsum in homine liberum Arbitrium mutatum sit: in his tribus statibus tamen eum consequutis semper est voluntas hominis LIBERA, sed non semper LIBERATA. Per essentiam enim animæ, quæ est subjectum liberi arbitrii, habens potentias seu vires *intellectum & voluntatem*, retinet homo semper liberum Arbitrium, hoc est, INTELLECTUM & VOLUNTATEM. Nã & intellectus & voluntas hominis semper est *libera*, hoc est nunquam est coacta, sive in bono, sive in malo. Et sua natura capax est contrariarum operationum: sicuti etiam contrariis definitur, nempe VELLE & NOLLE. Et sic sua naturâ pariter se habet ad utrunque oppositorum.

Non semper liberata est voluntas. Sed non semper est *liberata*, verum CAPTIVA & SERVA. Etenim post lapsum Adami per PECCATUM factum est, ut jam illa vera libertas non nisi ad unum sit determinata in actionibus divinis & spiritualibus, quæ merè sunt Theologicæ, sidelicet ad malũ & peccatum, quo liberè fertur. Hic habitus solus jam est reliquus in natura ex se & per se, quem omnes homines usitato modo naturæ ex Adam nascentes secum afferunt.

1. Status ante regenerationẽ. Nam quoad statum ante regenerationem, quamvis secundum *οὐσίαν*, id est, substantiam & essentiam non est corrupta anima, nec ulla ejus pars (quia non potest tolli *aliqua ejus potẽtia*, quin tota perimatur, quum definiatur anima suis potẽtiis, quæ nihil aliud est, quàm omnes ejus potentiæ scilicet *intellectus & voluntas*) ac ideo voluntas per essentiam (uti diximus) est libera, hoc est,

est, non coacta sive in bono sive in malo: tamen distinguuntur hominis actiones post lapsum ante regenerationem in *externas* vel *civiles*, & in *Spirituales* seu *Theologicas*.

In *externis* seu civilibus, quæ & *politica atque œconomica*, ac rationis judicio sunt subjectæ, reliqua est libertas, ac voluntas hominis est libera. Habet enim reliquum discrimen honestorum & turpium, ac potest utcumque regere locomotivam potentiam, & præstare disciplinam externam. Potest item homo non renatus viribus liberi sui arbitrii verbū Dei audire & meditari: ut & sedere, stare, ambulare, edere, bibere, manū admovere aut removere, aliquid aggredi ac facere, aut ab eo abstinere. Experientia hoc testatur & sensus ipsi, cōmunisq; notitia. Hinc ipsæ sacræ literæ *justitiam carnis* vocant libertatem & voluntatem præstandi externam disciplinam. Ut Tit. 3. 5. *Non ex operibus justis, quæ fecerimus nos.* Verùm remaneat licèt in homine non regenerato anima cum suis potentiis, intellectu videlicet voluntate & sensu, ut eo respectu sit libera: tamen captiva simul est, nempe corruptione & malo peccati accedentis, ideoque libera tantùm ad peccatū & malum, quia illarum potentiarum vires ad bonum spirituale sunt corruptæ, & penitus amissæ. Inde liberum arbitrium ad bonum SERVUM est, & MINIME LIBERUM. Testis hujus est CHRISTUS, dicens: *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Et de liberatione è servitute hac liberi arbitrii differens, ait: *Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.* Joh 8 34. 36.

Scriptura igitur divina nec ante, nec post regenerationem homini liberum arbitrium ad bonum spirituale ex se & naturalibus suis viribus concedit. Vel, ut paucioribus dicam, nemini hominū ex Adamo propagatorum liberam voluntatem pariter ac facultatem ad BONUM ascribit. Ratio est: quia lapsum sequuta est privatio agnitionis Dei in mente seu intellectu, & inclinationis ad obedientiam in voluntate & corde, ac virium in potentia & facultate præstandi ei obedientiam, perficiendiq; ie bonum, quod jubet & postulat. Successit autem cœcitas & aversio à Deo atque bono spirituali, quam homo exuere non potest, nisi per Spiritum sanctum regeneretur. Confirmat hoc Scriptura, dicens: *Omne figmentum cordis humani tantummodò malum est semper à pueritia.* Item: *Si potest Aethiops mutare pellem suam, & pardus maculas suas,* VOS *quoque* POSTERITIS *benefacere, assueti malefacere.* Præterea Christus: *Non potest*, inquit, *arbor putris fructus bonos ferre.* Et cap. 12. 34. *Quomodo possitis bona loqui, quum sitis mali?* Ac Apostolus ejus sententiæ maximè conscius: *Animalis homo*, inquit, *non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere.* Et alibi: *Non sumus idonei cogitare aliquid boni ex nobis, quasi ex nobis.* Et Ephes. 2. 1. *Eramus mortui in offensis & peccatis.* Cum quibus testimoniis annon congruit singulorum conscientia & experientia, quæ clamat, nos nullā ex nobis ipsis atque viribus nostris ad bonum, nimis verò magnam & expeditam ad malum cogitandum atque faciendum libertatem & propensionē voluntatis nostræ habere?

Gen. 6. 5. Jer. 13. 23. Math. 7. 17. 1 Cor. 2. 14. 2. Cor. 3. 5.

Misertima est ergo hominum conditio

2. *Status in regeneratione.* *Joh.3.3.* ditio, nisi regenerentur, teste Christo, qui ait: ***Nisi quis fuerit genitus denuò, non potest videre regnum Dei.*** Sed non convenit ea perterre fieri nimis, ut in desperationem instar Caini, Saulis & Judæ delabamur: verùm quærenda est regenerationis via ac ratio. Ea perspici ac teneri potest, si secundus status hominis in regeneratione consideretur. Nam ut ante lapsum Deus, mens liberrima, ex singulari gratia est caussa efficiens liberi arbitrii, quia hominem ad sui imaginem condidit: ita similiter post lapsum homine ad bonum spirituale per peccatum corrupto & perdito, ut arbitrium ejus sit solummodo ad malum & peccatum liberum, est unica caussa reparationis & reformationis liberi arbitrii, ac regenerationis corrupti hominis. Unde Jerem.31.18. *Converte me Domine, & convertar.* Et ℣.33. *Dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum describam.* Deuteron.30.6. *Circumcidet Deus cor tuum.* Ac Christus Johan. 6.44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Act.16.14. *Deus adaperuit cor Lydiæ, ut attenderet ea, quæ dicebantur à S. Paulo.* Rursum Christus: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Idem Psal.51.12. Philip.2.13. *Συναίτια* & caussæ cooperentes sunt Filius & Spiritus sanctus, quia opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. Hinc de Filio Luc.24.32.45. *Christus aperuit mentem discipulorum, ut intelligerent Scripturas.* Et Hebr.12.2. *Respicientes authorem fidei, & consummatorem* JESUM CHRISTUM. De Spiritu sancto apud Ezechiel. *Dabo vobis cor novum & Spiritum novum.* Item: *Et Spiritum meum dabo in medio vestri, &c.* Psal.51.12. *Cor mundum crea mihi Deus, & Spiritum tuum sanctum ne à me auferas.* Ac Christus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intraire in regnum Dei.* Item: *Ita est omnis, qui genitus est è Spiritu.* 2. Corinth.4.13. *Habes eundem Spiritum fidei,* id est, fidem ex ejusdem Spiritus sancti afflatu ac dono. Hæc sunt caussæ efficientes conversionis vel regenerationis hominis, sæpenumero ex gratuita Dei benevolentia, procul dubio efficaces in infantibus atque adultis, etiamsi externæ caussæ vel instrumentales non accedant. Nam: *Nemireris,* inquit Christus, *quòd dixi tibi: Oportet vos gigni denuò. Ventus, quo vult, spirat, & sonum ejus audis, sed nescis, unde veniat, & quo vadat: ita est omnis, qui genitus est ex Spiritu.* Nam sicut ventus ex improviso & ibi spirat, ubi non putabatur: ita Spiritus sanctus præter opinionem nostram in electis soli Deo cognitis, sive infantes sint sive adulti, regenerationem operatur. Idque inprimis tenere oportet, quoad infantes fidelium, quos Tertullianus, *fidei candidatos,* vocat, & ex adultis fidem Christianam appetentes, mediis autem externis regenerationis destitutos. Nam illi certò ex formula divini fœderis Genes.17.5. & ex verbis Pauli, *Infantes sunt sancti,* 1. Corinth.7.14. hi ratione gratuitæ Dei dilectionis Joh.3.15. regenerationis capaces, ac proinde regni cœlestis hæredes esse, sunt sperandi. De reliquis autem nihil temerè vel asserendum, vel negandum, aut saltem in benigniorem partem propendendum. Nam favores semper ampliandi, odia verò restringenda sunt.

Marginal notes: *Caussa regenerationis internæ efficientes.* (beside "ad sui imaginem condidit"); *Ezech.36.26.27.* (beside "De Spiritu sancto apud Ezechiel"); *Joh.3.5.8.* (beside "Christus ait: Nisi quis renatus"); *Joh.3.7.8.* (beside "Nam: Nemireris"); *Efficiens propinqua seu immediata caussa regenerationis.* (beside the following paragraph)

Efficiẽs ꝓpinqua seu im̃ediata caussa regenerationis, sunt *humanæ & naturales*

anima potētia, intellectus, voluntas, affectus: sed manifestè cum discrimine, quòd sunt materia, in qua & circa quā fit ac versatur regeneratio vel conversio: de qua dicitur: *Non est currentis nec volentis, sed miserentis Dei.* Rom. 9. 16. Nā *respectu* GRATIÆ extrinsecus advenientis & prævenientis VOLUNTAS MERE PASSIVE SE HABET. Quia omnes ejus vires, quoad spiritualia, sunt extinctæ, quibus se præparare ad gratiā vel eā oblatā accipere possit. *Respectu* verò ESSENTIÆ, quatenus volūtas hominis creatura Dei, manet *δυύαμις ἐνεργητική*, quæ non est ociosa: sed verbum Dei audit, & meditatur, quod est carnale studium, quo currit. Sed illud suis viribus, vel acie mentis intelligere, aut proprio motu ex sese assentiri non potest.

Veruntamen regeneratio non fit absq; VOLUNTATE hominis, quum hæc subjectum sit, in quo fit regeneratio & conversio. Nam in negotio conversionis ac salutis homo se non habet instar ligni, aut lapidis: quasi qui ignorans, aut invitus ad Deum convertatur, ac salvus fiat. Nec est *subjectum merè passivum*, aut *instrumētum prorsus ociosum*; Sed ita eum ac voluntatem ejus præbuit Deus, ut homo ab illo actus, ipse quoque agat, ac voluntas in homine à Deo acta, ipsa quoque agit: & liberè quidem, hoc est, absque coactione, & naturali determinatione, semper agat: bene autem non ex seipso, sed *ex Dei gratia* semper agit. Quæ *gratia*, quia efficax est, resistentiam non habet, &c.

Itaque per se quidem *voluntas* hominis in regeneratione *prorsus nihil habet virium*, ut vel aliqua ex parte ex se, suâque natura Spiritui sancto moventi consentiat, vel consentire possit, nisi hunc ipsum consensum de novo creet & operetur Deus. Est enim *voluntas* ad bonum emortua. Et quemadmodum *intellectus* est cœcus in divinis: ita *voluntas* non modò mortua est, sed etiam, quod amplius, contumax est ex se, & per se non nisi repugnare potest: adeò ut etiam in renatis, quatenus non est regenerata & reformata, reluctetur. Juxta illud Apostoli: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me legi peccati, quæ est in membris meis.* Et tamen, ut intelligatur hominem plurimū differre à trunco aut lapide, habet homo *voluntatem* flexibilem, quæ per Spiritum sanctum flecti potest, quā beneficia Dei oblata, jam excipiat mota ac reformata. Et sic aptus est ac vertibilis homo per Spiritum sanctum, quæ lapis aut truncus non habet.

Rom. 7. 22. 23.

Ergo nec vi hominis voluntas trahitur. Nam quod Christus dicit: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; non de violenta tractione, vel coactione est accipiendum. Voluntas enim cogi non potest, & semper est libera, sive in bono, sive in malo: sed *de efficaci Dei voluntate & operatione intelligendum est*, quâ per Spiritum sanctū ex nolentibus facit volentes, & ex repugnātibus consentientes: ut in Pauli exemplo est videre Act. 9. Hoc modo rectè dicitur Deus volentem trahere, id est, voluntate flexibilem ad parendum, ac renovatum & reformatum. Ita ut Spiritus sanctus principium sit, medium & finis in conversione. Unde & Spiritus sanctus *Regenerationis & Sanctificationis*

Joh. 6. 44.

tionis Tit. 3. 5. dicitur, quam præstat & efficit.

Organa regenerationis.

Organa vel *instrumenta* regenerationis sunt Verbum Dei & Sacramenta. Nam quando Spiritum sanctum Christus facit regenerationis unicum & præcipuum auctorem Johan. 3. 5 6. 8. conjungit ei AQUAM, per quam instrumentum, quo Spiritus sanctus in regenerandis hominibus utitur, denotat. Illud verò *Baptismus* dici simpliciter non potest, quum multi priusquam baptizentur, jam regeniti sint, & olim adultis ex Judæis ac Gentibus ille tunc demum daretur, qui jam Christum fide apprehenderant, & se renatos esse non obscuris signis demonstrabant, sicuti in Æthyopis Eunuchi & Corneli Centurionis multorumque aliorum exemplis est cernere. Nec Spiritus sanctus ipse per aquam intelligi simpliciter potest, quemadmodum fit Joh. 4. 14 & 7. 38 39. Etenim absurda & à Scripturis S. aliena tautologia esset, ac si Christus diceret: *Nisi quis fuerit genitus ex Spiritu & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.*

Act. 8. & 10.

Vide Gualtherum in Joh. Homil. 18. fol. 45. b.

Quòd si quæras, quodnam igitur tandem sit illud externum organum seu medium, quod Christus Joh. 3. 5. per *Aquam* intelligat, & Spiritui sancto conjungat, non aliud proferri aut mõstrari potest, quam VERBUM DEI, quo GRATIA ejus in Christo nobis exhibita homini jam per Spiritum regenerari cœpto, vel adhuc regenerando prædicatur, quod & *recõciliationis* 2. Cor. 5. 19. & *gratiæ* verbum Act. 20. 24. dicitur. Hoc igitur nobis per *aquam* intelligi videtur, & ut ita sentiamus S. Petri Apostoli auctoritate adducimur, qui ex professo de REGENERATIONIS mysterio loquens, ait: *Renati non ex semine mortali, sed ex immortali per* VERBUM *Dei vivi & manentis in seculum.* Quibus verbis evidenter docet, verbo suo uti Deum, quando nos regenerat, & hoc verè dici, res ipsa testatur, quando constat absque verbo divino neminem vocari ad Ecclesiæ Dei societatem, in qua renati Dei filii & hæredes efficimur. Quin ideo in totum orbem emissos esse scimus Apostolos, ut verbum illud ubique prædicarant. Et de verbi prædicatione Paulus loquebatur, quando tum Corinthiorum *patrem* se vocabat, & se illos per EUANGELIUM in Christo Jesu GENUISSE scribit: tum se Galatas iterum *parturire* dicit, donec Christus in illis formetur: tum denique se Onesimum GENUISSE in vinculis asserit. Et verbum suum alibi etiam *aquæ* confert Christus, nimirum propter effectum, quo animos purgat, & cupiditatum sordes eluit, quâ ratione etiam per ignem adumbratur, Jerem. 23. 29. Huc enim referri debet ablutionis pedũ historia, quâ docet, quotidie eluendas esse sordes, quas ex mundi & carnis consuetudine contrahimus: id quod verbi studio perficitur, quod ut ad pœnitentiam nos excitat, sic verum ejus modum præscribit. Et idem in ultima cœna discipulis dicebat: *Jam vos mundi estis propter verbum meum, quod locutus sum vobis.* Quò etiam Paulus respexit, quãdo de Ecclesia loquens, eam à *Christo lavacro aquæ per verbum purgari dicit.* Verbi enim ideo meminit, ne quis aquæ Baptismi purgationem illam tribuat, sed hunc ejus purgationis sigillum agnosca-

1. Verbum Dei.

1. Pet. 1. 23.

1. Cor. 4. 14. 15.

Phil. 10.

Joh. 13. 10.

Joh. 15. 3.

Ephes. 5. 26.

gnoscamus, cujus ille nobis auctor est, & quam per verbum suum nobis offert. De hoc igitur & Christus Joh.3.5. loquitur, & ad hujus studium remittit eos, qui renasci cupiunt. Eodem pertinet, quod verbum alibi etiam, sicutà sancto Petro, *semen* dicitur, & ejus prędicatio sementi confertur. Ut enim in generatione semen aliquod sit oportet, ex quo illa fiat: ita in regeneratione nostri semine opus est, quod Dei verbum esse ex 1. Pet. 1.23 Math. 13. Marc. 4. Luc. 8. Ephes. 5.26. Joh. 15 3. ostendimus. Deinde, ut semen terræ mandatur, & nisi hoc fiat, nihil potest gignere: Ita Dei verbum in animos nostros demitti oportet, quod prædicatione aut privata lectione, aut etiam colloquio piorum fieri consuevit. Rursus ut terram ad excipiendum semen idoneam esse convenit, ut idem retineat, foveat atque conservet: Ita animos præparari necesse est, ut ad Dei verbũ dociles & studio discendi flagrãtes accedant, auditum vel lectum apprehendant, apprehensum intra se cõservent, & diligenti meditatione foveant, ne vel ab infelici cupiditatum & malarum cogitationum avitio devoretur, vel à spinis & fontibus curarum hujus seculi suffocatum pereat, quantum in nobis est. Ut verò semen sui simile gignit: sic Dei verbum animis nostris verè perceptum occulta, & à Deo insita virtute abstrusa atque divina Spiritus operatione vivificatur, & mox in illis primò vim suam exerit, eos immutat, & sui similes facit, puros nimirum, sanctos & Deo consecratos. Et quia animus omnium actionum fons est, illos quoque dirigit, ut qui priùs nihil præter terrena atque carnalia sapiebat, cogitabat, loquebatur & faciebat, nunc cœlestia, divina atque spiritualia sapiat, cogitet, loquatur, atque faciat. Hinc etiam Rom. 1.16. Euangelium dicitur *potentia Dei ad salutem omni credendi.* Et iterùm: *Fides ex auditu est, auditus* PER VERBUM Dei. Ac Gal. 3. 2. *Hoc solùm cupio discere à vobis. Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex fide per auditum percepta?* Et Act. 10. 44. *Petro loquenti hæc verba Euangelii, illapsus est Spiritus sanctus in omnes, qui audiebant hunc sermonem.*

Marc. 4. 3. Math. 13. 1. Luc. 8. 4.

Jam SACRAMENTIS, nempe Baptismo & Cœnâ Dominicâ Deo uti pro organis seu mediis, quibus regenerationem hominis operetur aut confirmet, abundè ex Marc. 1. 4. 5. & 16. 16. Math. 28. 19. 1. Cor. 10. 2. & 12. 13. Rom. 6. 3. 4 5. &c. Gal. 3. 27. Math. 26. 26. Marc. 14. 22. Luc. 22. 19. 1. Cor. 10. 16. 17. & 11. 24. ac 12. 13. Ephes. 5. 26 Tit. 3. 5. Act. 2 38. 42. aliisque locis constat. Et ut Baptismus est lavacrum regenerationis sigillum adoptionis, ablutionisque peccatorum, sacramentum pœnitentiæ & fidei, ac tessera τῆς πλειώσεως, initiationis seu receptionis in Ecclesiã, quare *Janua & vestibulum salutis* dictus est veteribus: ita cœna est signum & sigillũ commemorationis & conservationis seu nutritionis in ea, vel confirmatio regenerationis & receptionis factæ, ne unquam ab Ecclesia deficiamus & pereamus,

2. Sacramenta.

Administræ caussæ sive συνεργοῦντες, sunt MINISTRI Ecclesiæ. Nam de Baptista ait Angelus: *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum.* Et Paulo inquit, Act. 26. 17. Christus: *Mitto*

3. Ministri Ecclesiæ. Luc. 1. 16. 77.

Mitto te ad gentes, ut aperias oculos eorum, & convertas eos à tenebris ad lucem. Ac de Corinthiis verbi prædicatione & Sacramentorum administratione à se regeneratis, ait: *In Christo Jesu per Euangelium genui vos.*

Hisce rationibus & instrumentis seu mediis Deus hominis regenerationem semper promovit, & adhuc promovet, quæ non corpus mutat, neque secundùm Pytagoræ commentum animam in aliud corpus transfert, sed liberum hominis lapsi Arbitrium corruptum corrigit, animumque innovat, ex quo totius hominis renovatio dependet. Et sic illa regeneratio fit, sine qua regnum cœlorum nemo potest videre, nedum intrare & possidere. Hanc ergo quicunque affectant, Spiritus sancti illuminationi & admonitioni locum dent, Dei verbum libenter & frequenter audiant, & ejus meditationi assidua operam dent, curentque ut illius semen fide vera concipiant. Addant huic legitimum usum Sacramentorum, quæ quod verbo Dei docetur, sensibus quoque nostris quasi percipiendum offerunt, & universum redemptionis nostræ beneficium nobis obsignant.
Heb. 13.7. 17. Ministris Ecclesiæ debitam observan-
1.*Tim.* 5.17. tiam deferant, qui illa nobis dispensant & administrant Dei loco atque nomine, ut 2. Cor. 5.19.20. Apostolus testatur. Nam in hunc finem Deus Ministerium in Ecclesia instituit.

Nulla tamen vis & efficacia vel ad Ministros loquentes, vel ad ipsa verba aut Sacramenta est referenda. Solus enim Spiritus sanctus per ea efficaciter agit atque operatur præsens, & est efficax sua virtute & potentia in iis. Nam solus & unus *intellectum* regenerandorum & salvandorum illuminat, *voluntatem* contumacem movet, flectit & mutat, ut verbum Dei auditum intelligere, eique assentiri incipiat, atque ita voluntas hominis in conversione à Spiritu sancto efficaciter mota consentiat, & oblatam gratiam apprehendat.

3. Status regenerationis. Libertas hominis renati ad bonum & malum.

In tertio igitur regenerati hominis statu, voluntas sua libertate in homine licet renato utitur non tantùm ad malè, sed partim ad bene, partim ad malè operandum.

Ad bene operandum; quia per regenerationem accenditur Spiritus sancti operatione in mente nova lex, in corde novi motus, in voluntate novæ inclinationes cum lege divina congruentes. Et voluntas efficaciter movetur à Spiritu sancto ad agendum secundùm has notitias & inclinationes, atque ita & facultatem volendi, quod Deus approbat, & facultatis ejus usum recuperat, incipitque Deo obedire. Fit ita secundùm dicta: *Circumcidet Deus cor tuũ.* Deut. 30.6. Et: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, nempe ad bonum spirituale ac divinum. Et: *Quisquis ex Deo natus est, non peccat.*

Partim verò ad bene, partim ad malè operandum. I. Quia regeneratio vel renovatio mentis & voluntatis in hac vita non fit perfecta, sed perpetuò etiam in sanctis ac piis manent reliquæ multæ peccati, unde opera, quæ faciunt, sunt imperfecta, & peccatis adhuc inquinata aliàs minus, aliàs magis. Unde Apostolus de sese regenerato: *Scio*, inquit, *quod nõ habitat in me*, hoc est, *in car-* *Rom.* 7.18.

1 Reg. 8. 51. 1 Par 11. Marc. 14. 68. *ut mea bonum*. Ac Isaiæ 64. 6. *Sumus ut immundus nos omnes, & tanquam pannus saquinatus vel menstruatus omnes justitia nostra*. II. Quia renati non semper à Spiritu sancto reguntur, sed interdum à Deo vel examinandi vel humiliandi ipsos causâ ad tempus deseruntur: sed tamen ad resipiscentiam revocantur, ut non pereant. Unde David de se renato, & in peccatum duplex, tam adulterii quàm homicidii relapso, Psal. 51. 13. orat ad Deum: *Cor mundum crea mihi Deus, & Spiritum tuum sanctum ne auferes à me*. Ac Isa. 63. 17. queruntur fideles. *Quare errare nos fecisti de viis tuis?* III. Quia summus & perfectissimus gradus seu status regenerationis liberi arbitrii atque totius hominis omnium ELECTORUM demum erit in altera vita, sive post glorificationem. In qua voluntas libertate sua uti poterit TANTUM AD BONUM, & non ad malum eligendum, propter tum cognitionem perfectissimam & dilectionem ardentissimam Dei, tum summam inclinationem ad justitiam & aversionem à peccato, tum denique perpetuam Spiritus sancti gubernationem.

Summa de libero arbitrio. Summa hæc sit: Liberum hominis arbitrium nec à Deo, nec à Diabolo, nec ab ullo suo objecto aut subjecto, vel ad volendum & eligẽdum aliquid, vel ad nolendum & repudiandum reverà unquam cogi: aut sic ad unum determinari, ut naturam suam, seu naturalem proprietatem, qualem à Deo in ipsa creatione accepit, prorsus amittat. Adeò tamen esse corruptum & vitiatum peccato, ut in caussa salutis æternæ ac rerum divinarum & spiritualium nihil omnino ex se suisque potentiis & viribus naturalibus possit, sed omnem vim, potẽtiam, virtutem ac facultatem ad beneagendum à DIVINA GRATIA mutuetur.

Quod autem *Lutherus & pauci alii* è nostris de *passiva* hominis conversione alicubi tradunt, id respectu gratiæ (uti dixi) prævenientis & primas agẽdi partes hac in re perpetuò sibi vendicantis, dextrè accipiendum est: quum constet hominem in ipso conversionis initio ex seipsó nihil *cooperari* (unde etiam *gratia operans* dici solet) postea verò cooperari quidem, seu vim & efficaciam operandi tamen à seipso non habere, verùm *à Deo gratis* obtinere. *Bell. lib. 6. de lib. arbitrio cap. 9.*

ARGUMENTA hujus doctrinę nostræ hæc præcipua sunt: 1. Philip. 1. 29. & 2. 13. dicitur *Deus in nobis inchoare opus bonum, & efficere in nobis etiam ipsum velle*, &c. Ergo regenerationis vel conversionis initium fit absque nostra *cooperatione*. Et Deus non tantùm sic nos adjuvat, ut velle possimus, sed & simpliciter facit, ut velimus, nempe quæ ipsi grata sunt. Hocque eò certiùs est, quia Apostolus addit: *Pro gratuita sua benevolentia*.

2. Ephes. 2. 1. & Coloss. 2. 13. *mortui in peccatis dicuntur à Deo vivificari spiritualiter*, &c. Ergo ad ipsam primam sui vivificationem nihil de suo conferunt. Nam mortuus operationes vitales edere non potest, quin prius vivificetur.

3. Psal. 51. 12. *Deus creat in nobis cor mundum*, &c. Et Ezech. 11. ac 36. 26. 27. *Deus dat cor novum & Spiritũ novum, ac aufert cor lapideum, & dat cor carneum, & facit nos ambulare in praceptis suis*, &c. Quare hîc præcedit Dei operatio sine nostra cooperatione, saltem in ipso conversionis

versionis principio, ut non, nisi Deo movente, homo voluntatem accommodet suam.

Joh. 6. 44. 45. 4. *Nemo potest venire ad Christum, nisi tractus à Patre, & quicunque audit à Patre & discit, venit*, &c. Ergo & tractus divinus operationem nostram præcedit, & idem efficax est in omnibus electis: & consequenter aliqua est Dei gratia, operans in nobis sine cooperatione nostra.

5. Accedit & ratio, partim à necessitate gratiæ prævenientis, partim à natura gratiæ efficacis sumpta. Nam si nihil boni potest homo, nisi præventus & excitatus à Dei gratia, jam aliqua gratia operatur in homine sine homine: & qui sic prævenitur, is revera patitur. Item, si gratia efficax est, per quā homo reipsa convertitur, & hæc efficacia non ab assensu & cooperatione hominis, sed ab interna Dei illustratione & commoda persuasione pendet (prout ipse Bellarminus lib. 1. de grat. & lib. arbitr. cap. 12. asserit) certè in quo hæc gratia operatur, is necessariò, hoc est, infallibiliter ad Deum convertitur: & consequenter aliquid gratia Dei operatur in nobis sine nobis.

Ut à patribus doctrina Pontificia de libero Arbit. dissentiat. 6. August. idem nobiscum passim tradit de grat. & lib. arbitr. c. 17 dicens: *Ut velimus, sine nobis operatur. Quum autem volumus, & sic volumus, ut operemur, nobiscum operatur.* In Enchirid. cap. 32. *Totum*, inquit, *Deo dandum est, qui hominis voluntatem bonam & præparat ad juvandum, & adjuvat præparatam*, &c. Et priùs cap. 30. *Deus enim est, qui operatur & velle & operari, pro bona voluntate.* Phil. 2. 13. *Ubi satis ostendit Apostolus, etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operātē Deo fieri. Nam si quæramus, utrum donum Dei sit voluntas bona, mirum si negare quisquam audeat.* Ac ad Vitalem: *Quapropter ut in Deum credamus, & piè vivamus, non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei est. Non quia velle & currere non debeamus, sed quia ipse in nobis & velle operatur & currere.* Epist. 107. Contra 2. epist. Pelag. ad Bonifacium lib. 2. cap. 2. *Dominus*, inquit, *ut responderet futuro Pelagio, non ait, sine me difficile potestis quicquam facere. Sed ait: Sine me nihil potestis facere.* Joh. 15. 5. *Et ut responderet futuris etiam istis, in eadem ipsa Evangelica sententia non ait: Sine me nihil potestis perficere, sed facere. Nam si perficere dixisset, possent isti dicere, non ad inficiendum bonum, quod à nobis est, sed ad perficiendum esse Dei adjutoriū necessarium.* Soliloquiorum cap. 24. *Si vis*, inquit, *potes me salvare. Ego autem, etsi vellem, non possum. Magna est multitudo miseriarum mearum mecum. Velle quidem adjacet, perficere autem non invenio. Velle, quod bonum est, non possum, nisi* TU VELIS *nec quod volo possum, nisi tua potentia me confortet. Id quod possum aliquando, non volo, nisi tua voluntas fiat, sicut in cœlo & in terra. Et quod volo & possum, ignoro, nisi tua sapientia me illustret.*

Et quo minùs quis nostra doctrina offendatur, qua liberum Arbitrium in non renatis & ante gratiam servum esse & captium asseveramus, idem AUGUSTINUS in nostram sententiam ait: NON EST RELICTUM LIBERUM, SED SERVUM ET CAPTIVUM ARBITRIUM. *Non valet nisi ad peccandum. Non liberum in bono, captivatum est, damnabilis est ancilla.*

Rursus de Gratia & lib. Arbitrio cap. 53. *Quid tantum* inquit, *de natura possibilitate præsumitur? vulnerata sauciata, vexata*

vexata, perdita est. Vera confessione, non falsa defensione opus habet. Gratia ergo Dei, non qua instituatur, sed qua restituatur, quaratur.

Contra Collat. c. 21. Augustini sententiam sequutus est PROSPER, qui ait: *Infidelitas rapuit fidẽ, captivitas abstulit libertatem, nec potuit illic ulla portio residere virtutum, quò tanta irruperat turma vitiorum.*

MAXENTIUS in lib. de fide cap. 32. *Liberum*, ait, *naturale arbitrium ad nihil aliud valere credimus, nisi ad discernenda tantùm & desideranda carnalia, sive secularia, qua non apud Deum, sed apud homines, possunt fortassis videri gloriosa. Ad ea verò quæ ad vitam æternam pertinent, nec cogitare, nec velle, nec desiderare, nec perficere posse, nisi per infusionem & inoperationem intrinsecus Spiritus sancti.* Et sic habemus, quomodo doctrina Pelagiana-Ponficia à SANCTORUM sententia deflectat secundum ARIMINENSIS judicium.

Ut à definitionibus Ecclesiasticis sententia Papististica de libero arbitrio discedat. 7. ECCLESIASTICÆ definitiones juxta idem nobiscum sentiunt, ut ab iis Pontificii δὶς διὰ πασῶν dissentiant. Concilium Arausicense, cui præfuit B. HILARIUS Arelatensis Episcopus, quodque celebratum est anno circiter 370. aliquot annis post Nicenum Concilium primum canonem de libero Arbitrio talem definivit, qui can. 1 prim. §. 14. Dist. 16. his verbis extat: *Alienum est à recta fide, non omnino liberum Arbitrium per peccatum primi hominis asserere infirmatum, aut certè ita læsum putare, ut tamen quidam valeant sine revelatione Dei, mysterium salutis æternæ* PER SEMETIPSOS *posse conquirere. Quod quum sit contrarium veritati, ipse Dominus probet, qui non aliquos, sed neminem ad se venire posse testatur, nisi quem Pater attraxerit.* *Joh. 6. 44.*

Et 13. ejusdem Concilii Canone ita cotinetur: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per* GRATIAM BAPTISMI *non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Unde ipsa veritas dicit; Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Joh. 8. 36.

Stapletonus doctrinam hanc flagellat, & AUGUSSINUM *modum in hac cum Pelagianis disputatione fortasse excessisse dicit.* *Lib 2. de justif. c. ult.*

Sed alii tam ex vetustissimis Pontificiis quàm recentioribus cum Augustino sentientes, negant hominem viribus naturæ bonum morale posse *cognoscere.* Ergo multò minùs possunt bonum spirituale. *Ariminensis* in 2. dist. 26. quæst. 1. art. 2. & 2. dist. 29. quæst. 1. artic. 2. *Capreolus* in 2. dist. 28. quæst. 1. artic. 3. *Cassalius* de quadripartita justitia lib. 1. cap. 15. & 32. Negant etiam, *posse sine fide, cum auxilio speciali, & sine illo, ex viribus naturæ, bonum opus morale fieri, ut in eo nullum peccatum admittatur.* Ariminensis & Capreolus in 2. dist. 28. Marsilius in 1. quæst. 20.

BERNARDUS: *Velle siquidem*, inquit, *inest nobis ex libero arbitrio, non etiam posse, quæ volumus, non dico* VELLE BONUM *aut* VELLE MALUM, *sed tantùm velle. Velle etenim bonum profectus est, velle malum defectus. Liberum arbitrium nos facit volentes: sed* GRATIA *benevolos.* EX IPSO *nobis est velle*, EX IPSA *bonum velle.* *De grat. & lib. arbit.*

THOMAS BRADWARDINUS Archiepiscopus Cantuar. circa annum 1350. in libro de caussa Dei contra Pelagium, docet & defendit lib. 3. cap. 4. Quòd *Extat in Bibliothec. Collegii corp. Christi Cantabrigiæ.*

Quòd liberum arbitrium tentatum non potest propriis viribus, sine Dei auxilio & ejus gratiâ, tentationem aliquam superare. Et cap. 5. *Quòd liberum arbitrium quantacũque gratiâ creatâ suffultum, sine aliquo Dei auxilio speciali, non potest tentationem aliquam superare,* Et cap. 6. *Quòd illud Dei auxilium speciale, est Dei voluntas invicta.*

Quid igitur clarius, certius & verius, quàm Pontificios liberum arbitrium à lapsu Adami non esse debilitatum & corruptum, imò amissum atq; extinctum statuentes & defendentes, etiam à definitionibus Ecclesiasticis juxta Marsilii & Ariminensis sententiã desciscere. Inprimis Concilium Tridentinum suo anathemate de non amisso libero arbitrio post Adæ lapsum, non modò Lutherum, Calvinum aut quemvis alium verè Euangelicum atq; Catholicum Christianum, sed potissimùm Spiritum sanctum in Scripturis sacris loquentem ferit & percutit. Nã non aliundè quàm ex Scripturis, quæ Spiritus sancti sunt oracula, tam Lutherus & Calvinus, quàm alii Euangelici atque orthodoxi arbitrii humani ad bonum libertatem impugnant.

Magis quã Pelagium Pontificios quosdam in lib. arbit. doct. à Catholica veritate recedere.

Porrò nonnullos quoque Papicolas magis quàm Pelagium in doctrina de libero arbitrio à Catholica veritate discedere de sententia Gregorii Ariminensis, ipsorummet verbis comprobatur. Nam Johannes Cochlæus in articulum 18. Confessionis Augustanæ: *Qui hominem,* inquit, *propriis naturæ viribus præcepta Dei quoad substantiã actus facere posse negant, videntur hominis naturam & mentem nimis deprimere, atque à* NATURALI BONITATE SUA, *qua ratio ad optima deprecatur, ut ait Aristoteles in Ethicis, dejicere, & ipsum* DEUM *Opt. Max. summa bonitate, clementiâ & misericordiâ privare: dum imputant ei, quod imposuerit homini præcepta factu impoßibilia. Sciunt namque omnes quod* TYRANNICUM *sit potiùs quàm Regium, subditis impoßibiles constituere leges, & onera imponere importabilia. Ne quis verò hoc dicat de homine in statu naturæ per inobedientiam Adæ & peccatum originale corruptæ, dicit contra hos textus apertè: Mandatum, quod præcipio tibi* HODIE. *Omnia enim præcepta tam veteris quàm novæ legis post lapsum Adæ data sunt.* POTEST *igitur homo legem Dei facere* PROPRIIS VIRIBUS *quoad substantiam actus.* Hæc ille.

GABRIEL BIEL: *Homo faciens, quod in se est,* inquit, *sufficienter potest disponi ad infundendam gratiam. Perfectißimus autem faciendi, quod in se est modus, est dilectio Dei* SUPER OMNIA. *In 3. sent. dist. 21.*

De qua porrò sic: *Quando* EX NATURALIBUS *elicitur actus dilectionis Dei super omnia, illa est* IMMEDIATA, SUFFICIENS ET ULTIMA *dispositio, aptans ad susceptionem gratiæ, & ea existente statim infunditur gratia. Et ita* ACTUS ILLE MERITORIUS EST, *sicut in Physicis ultima dispositio* NECESSITAT *ad formam, &c.* Ac addit: *Ubi nota, quòd homo ex naturalibus* SINE PRÆVENIENTE AUT CONCURRENTE GRATIA *possit Deum super omnia diligere. faciens quod in se est gratiam* JUSTIFICANTEM, *hoc est, justitiam & vitam non* MERERI *tantùm, sed etiam* NECESSITARE. Sic ille Biel. Pelagianum ergo quid erit unquam, si hoc nõ est? Imò adversus Catholicam fidem magis quàm Pelagii error, ut judicat Ariminensis, quid unquam *In 4. sent. dist. 14. q. 2.*

quam erit, si non est hoc? Cui prorsus nihil absimile id Bellarmini: *Homo ante omnem gratiam liberum habet arbitrium, non solùm ad opera naturalia & moralia, sed etiam pietatis ac supernaturalia.* Lib. 6. de gratia & libero arbitrio cap. 15. Et quomodo probat? 1. *Probatur*, inquit, *ex Augustino* lib. de Spiritu & litera cap. 33. & *Driedone* lib. de concordia liberi arbitrii & prædestinatione cap. 3. & *Tappero* in explicatione art. 7. Sed debebat sacris Scripturis, non hominum auctoritate probare. Ideo eum hoc sancti Basilii dicto redarguimus: *Manifestum est infidelitatis & arrogantiæ crimen, vel rejicere aliquid, quod scriptum est, vel addere aliquid, quod non scriptum est*, videlicet in sacris literis. 2. *Probatur*, inquit Bellarminus, *quia liberum arbitrium neque datur, neque tollitur per gratiam aut peccatum.* Verùm refutatur pervalidè à Chrysostomo, qui etsi persæpe liberi arbitrii viribus ἐργαστικῶς & ὑπερβολικῶς nimium tribuit: tamen aliquoties resipiscens sententiam suam priorem corrigit. Sic igitur serm. 1. de adventu: *Homo*, inquit, *priusquam peccet, liberum habet arbitrium, utrum velit sub regno esse diaboli an non. Quum autem se peccando tradiderit sub regno ipsius, jam non potest de potestate ejus exire.* Refellitur item simili fortitudine à Basilio serm. de humilitate, ubi: *Nihil tibi relictum est*, inquit, *ad superbiam homo, cujus gloriatio & spes est ut mortifices omnia, quæ tua sunt, & quæras futuram in Christo vitam: Cujus nunc adepti primitias, in his sumus totum, quod vivimus,* GRATIÆ ET DONO DEI *debentes. Nam Deus est, qui dat & velle & operari, pro bona* SUA *voluntate.* Phil. 2. 13.

Li. fide.

Adhæc nos eum prosternere facilimè possumus testimoniis S. Apostoli qui Ephes. 2. 1. & Coloss. 2. 13. Spiritu divino dictante, homines omnes ante gratiam regenerationis vocat MORTUOS in spiritualibus & supernaturalibus atque pietatis operibus. Unde sic argumentamur:

Ubi mors est, ibi nulla superest δύναμις & potentia vitalis. At in homine nondum renato est MORS quoad motus & actiones spirituales: Ergo in homine nondum renato nulla superest δύναμις & potentia vitalis. Item:

Mortuus nō potest seipsū vivificare aut ad recuperandam vitam præparare. Homo omnis ante renascentiā est mortuus. Ergo nō potest se ad recuperandam vitam præparare. Quamobrem per hæc satis convincimus adversus Bellarminum, tolli liberum arbitrium per peccatum, dari autem vel reparari non nisi per GRATIAM.

EXCIPIT verò 1. Bellarminus ad dicta illa Paulina & distinguit inter vitam naturæ & vitam gratiæ, nugans, quòd *qui mortui sunt in peccatis, licet non vivant vitâ gratiæ, vivant tamen vitâ naturæ & sic possint cooperari ad sui vivificationem.* At impia hæc est absurditas & absurda impietas, disparata quæ sunt, invicem confundere in tanto religionis atque doctrinæ Christianæ negotio. Distincta enim sunt & disparata πρὸς ἀλλήλους inter se *vita naturalis & vita spiritualis*, Ideóque etiam actiones naturales & spirituales, harumque unde fluunt principia, servari disparata & inconfusa oportet. Confundere autem, & quæ gratiæ sunt, quales actiones spirituales omnes, naturæ vendicare in sua depravatione

Exceptio Bellarm. Lib. 6 de grat & lib. arbit. c. 13.

vatione relicta, PELAGIANISMUM sapit admodum crassum.

Gratia vocabulo fallaciter utuntur Papistæ.

II. Scrupulum movet & fallaciã utitur in ipso *Gratiæ* vocabulo. Multa enim verba & ipse & asseclæ ejus faciunt de GRATIA tum prævenienꝫ, tum adjuvante, ac ne possint videri Pelagianismum fovere gratiam libero arbitrio adjungunt, quam Pelagiani removent.

At observet studiosus Lector, nugas ipsos vẽdere & Christianis imponere. Non enim intelligũt gratiã regenerationis, renovationis & justificationis, sed impetus naturales, qui etiam reperiuntur in Ethnicis, quibus incitati bene operentur. Nec intelligunt per gratiam infusum & habituale aliquod donum Spiritus sancti, sed influentiam generalem. Et hœc naturales impetus vocant gratiam, eò quòd gratis dentur naturæ, sine merito, more & modo prorsus Pelagiano.

Cui assertioni sequentia hæc partim argumenta, partim testimonia ex ipsorummet libris depromta, patrocinari possunt.

1. Philosophos Ethnicos justitiã assequutos ex notitiis naturalibus contendit Andradius.

PRIMÒ talem intelligunt gratiam quæ Ethnicis etiam nondum renatis est communis. At gratia Spiritus sancti verè sic dicta, seu gratia justificationis, regenerationis & renovationis non est communis Ethnicis. Ergo non intelligunt gratiam verè sic dictam.

PROPOSITIONIS confirmatio habetur apud Andradium decretorũ Concilii Tridentini propugnatorem. Is enim contendit Philosophos Ethnicos justificari *ex notitiis naturalibus.* Et ait: Scriptum quidem esse, *justus ex fide sua vivet*: sed hanc fidem non haberi ex verbo tantũ, revelato sed ex naturali rerũ, quæ sensib. subjiciũtur, cõsideratione. Et totus est Synodicus ille interpres in defensione Justini, Clementis, Epiphanii, opinantium *Philosophiam per se justificasse Græcos homines sine lege Mosaica & Euangelica, eosq́, sola lege naturæ* (hoc est, notitiis, intentionibus, viribus & actionibus naturalibus) *esse justificatos.* Socratem & Heraclitum, quia secundum rationem vixerint, pertinere ad Christianos. Et addit: Ab hac sententia discedere, esse cœlitibus bellum inferre.

Hab. 2. 4.

Quid igitur intelligant per gratiam & præveniens adjutorium Spiritus S. Canone 3. Sess. 6. ex hoc ipsorum interprete Andradio abundè patet. Atque hoc præsenti loco ad gratiam Pelagianam cum Papistis communem exponendam & ostendendam sufficit. Infrã artic. 5. Pelagiano, hæresis justificationem gentibus ex naturalibus notitiis, tribuens copiosè explicabitur & refutabitur.

SECUNDÒ, gratiam pro beneficio qualitatis nobis innatæ cum Pelagianis sumunt Pontificii, nõ pro gratuita Dei benevolentia & misericordia nos justificante cum Apostolis. Nam S. AUGUSTINUS, quum videret Pelagium hæreticum asserere, *humanam naturam sibi sufficere non solùm ad facienda, verùm etiam ad perficienda mandata Domini per liberum arbitrium,* GRATIÆ *autem divinæ* nullam mentionem facere, aut per *gratiam* nihil intelligere, quàm *beneficium creationis*, religiosissimè & copiosissimè Epistola 95. ad Innocentium contrà disputat. Ac *beneficium* vel donum *creationis*, sicut Pelagius, non quidem nega-

2. Gratia renatis & non renatis communis, nec benevolentia & misericordia Dei constans à Papistis statuitur.

 bat

bat esse gratiam, sed urget, Apostolos maximè loqui *de Dei erga homines, præsertim electos, benevolentia atque misericordia, deq; gratia illa gratuita*, quâ gratis nullo nostro merito propter Christum & in Christo servamur, & ex qua ceu fonte, deinceps omnis generis dona gratuita, & facultas bona intelligendi, volendi, & perficiendi promanant. Rom.3.24. cap.4.5 16. cap.11.6. Luc.1.50.72.78. 1.Tim.1.16. Tit.3.5. Gal.2.17. cap.3.13. Rom.4 25. cap.8.34. Gal.2.20. cap.3. 13.14.&c. Ephes.2.8.

Si autem ista Pelagii doctrina, de Gratia pro simplici tantùm creationis dono accepta, fuit à S. Augustino tanquam hæretica confutata: quantò magis hæc Papistarum de eadem pro tali est habenda. Nam Bellarminus magis hæreticè docet: *Gratia Dei, maximè propriè accepta, non modò supernaturalis est atque indebita, sed etiam indignis & peccatoribus tantùm contingit. Et tamen rectè quadam gratia subsequens & cooperans dicitur, quæ contingit tantùm conversis & justificatis, seu filiis Dei jam reipsa sanctificatis.* Et cap.3. ac deinceps: *Gratia gratum faciens seu justificans, non est propriè favor, seu benevolentia & misericordia Dei: sed habitualis divina qualitas, sive sanctitas quædam nobis inhærens, cujus vi & respectu, imò* MERITO, *nos à Deo diligimur.* Et cap.6. ac deinceps: *Eadem gratia reipsa nihil differt à passiva Dei charitate, videlicet quâ nos Deum diligimus*: NON *autem est* CHARITAS DEI ACTIVA, *quâ videlicet ipse nos in Christo diligit.* &c. Ac c. 12. & deinceps: *Gratia efficax, quatenus est talis, non pendet ab assensu & cooperatione nostra, sed à secreta Dei persuasione & commoda attractione: & tamen* NIHIL *operatur in nobis, sine nobis, hoc est, sine consensu & cooperatione nostra.* Præterea lib.2.c.2.ac postea: *Etsi, inquit, gratiā suā ex merè beneplacito liberè & inæqualiter Deus hominibus largitur & justè etiam sufficiens speciale auxilium omnibus denegare posset: tamen nemo hac gratia destitutus verè peccare, aut coram Deo peccati reus esse possit*, &c.

Lib.1 de gratia, cap. 1. & 2.

Horum pleraque pergraves Pelagii errores complecti, nemo non animadvertit, qui sacras Scripturas vel à limine rectè salutavit. Nam 1. *principalis* significatio gratiæ divinæ aut prorsus omittitur, aut nimis obscurè & parcè sub vocabulo gratiæ æternæ describitur. 2. Contradictionis implicatio mira hîc ostenditur. Nam dum Adversarius *propriissimā* gratiæ significationem (quæ est, Deum nos sua gratia, hoc est, gratuito favore & benevolentia à nobis nō merita, nihil tale merentes complecti in Christo Jesu nobis remittere peccata, & donare tum Spiritum sanctum nos ad fidem salvificam & opera bona fidei effecta digna habiles atque idoneos reddentem, tum vitam æternam) ad dona supernaturalia, prorsus indebita, sed tantùm *indignis ac peccatoribus* collata, præcisè restringunt: & simul tamen inter species gratiæ (haud dubiè in eadem significatione acceptæ) quasdam recenset, quæ *dignis* tantùm (juxta ipsorū stylum) hoc est, conversis & renatis conveniunt, certè iisdem quædam tribuit, simul & adimit: eoque sibi non obscurè contradicit. 3. Justificationem cum sanctificatione ad Deum temerè commiscet, ac diversas charitatis vel gratiæ significationes confundit. Puta, ubi de Dei charitate *activa*, quâ is nos diligit, agitur

agitur, ibi *passivam*, quâ à nobis diligitur, accipiunt, & ita *homonymiam* committit. 4. Etsi Pelagianā gratiæ æqualitatē, ac generalitatē *item* originem ac progressionē damnare nobiscū solea.: tamen inani *logomachia* contendit, auxilium ad salutem æternam sufficiens dari omnibus saltem pro loco & tempore, si nō immediatè, saltem *mediatè*, &c. Nam *communis* gratia exhibetur generatim omnibus, qui per Euangelium ad fidem & salutem vocantur. Ac vocatio hæc Dei non est *illusoria*, sed seria & per se verè ordinata ad finem salutarem: adeoque ex parte Dei & suiipsius sufficiens dici potest. At altera illa *singularis gratia*, quæ reipsa salvos ac justos efficit, non omnibus promiscuè donatur. Et quia sola eatenus efficax est, quatenus hominem peccatis immersum non modò evocat, sed & reipsâ excitat, sola etiam respectu eventus, imò hominis jam vitiati seu corrupti, sufficiens potest dici. Atque hoc sensu loca illa Proverb. 1. & 9. quâ SAPIENTIA *omnes* ad se invitat, & Ezech. 18. ac 33. ubi Deus se nolle *mortem* peccatoris, sed potiùs *conversionem & salutem omniū* expetere dicit, ac 1. Timoth. 2. & 4. ubi *omnes homines salvos velle* dicitur, etiam ad omnes in genere homines, quotquot per Euangelium ad salutem capessendam vocantur, accommodari possunt. Verùm si de *misericordia Dei speciali*, seu de *gratia singulari*, quæ sola ad salutem efficax esse solet, nominatim agitur, tum per omnes homines non *singulos generum*, sed GENERA SINGULORUM (ut Scholæ loquuntur) hoc est, non omnes omnino homines, sive universè omnes & singulos, sed quosvis, sive omnium generum homines, per Synecdochen generis, quâ vox GENERIS loco SPECIEI est, intelligere convenit. Hoc ex locis Marc. 16. 15. Act. 13. 48. Rom. 11. 7. Joh. 10. 26. Genes. 2. 16. Exod. 9. 6. Math. 4. 23. & 10. 22. Joh. 3. 16. 17. Gal. 4. 4. 1. Joh. 4. 9. Rom. 3. 19. & 9. 12. Johan. 14. 17. & 17. 9. 14. 17. 1. Corinth. 11. 32. 1. Johan. 5. 19. 1. Timoth. 2. 4. Math. 22. 14. & aliis locis patet. Nec tamen Deus dicendus est ullius hominis interitum propriè & per se velle: sed omnium potiùs salute & conversione delectari. Neque defectu sufficientis auxilii, aut necessariæ alicujus gratiæ Dei: sed sola hominum ipsorum culpa revera perire, quicunque pereunt, cum Patribus sanctis & Scripturis divinis sentiendum est. Vide *Franciscum Junium* in libro de Natura & gratia adversus Franciscum Puccium, item *Conradum Vorstium* & D. D. *Pareum* contra libros Bellarmini de gratia & lib. arbitrio.

TERTIÒ, gratiam ineptis similibus exprimunt Romanæ Ecclesiæ doctores. Andradius enim, ut nemini in dubio relinquat, gratiam intelligere se eam, quæ nihil in homine operetur, aut voluntatem hominis verè & actualiter præveniat, tali simili suā suorumq; complicum & Concilii Tridentini sententiam declarat. *Si te rogem*, inquit, *quum ligneam materiam conflagrare cernis, quæ sit conflagrationis istius efficiens caussa, ignem dicas necesse est, unà cum Deo naturæ auctore, qui igni exurendi vim suppeditat, & ad operandum cum illo conspirat.* Quum igitur liberi nostri arbitrii motio non magis à Deo pendeat, quàm à divina virtute stipitis exustio, quid est, quod

3. Gratiam ineptis similibus exprimunt Papistæ.

liberum arbitrium non efficientis causſæ dignitate & nomine ſpolies?

Pelagii & Papiſtarum conſpiratio.

Unde ſic argumentũ infertur: Quæ & qualis eſt virtus concurrens in igne ad ſtipitis exuſtionem, ea quoque & talis eſt *gratia* ſeu virtus divina, quæ concurrit in homine ad eliciendum actiones motusq; ſpirituales. At virtus divina concurrens in igne ad ſtipitis exuſtionem non eſt alia, quàm virtus illa naturalis, quæ naturæ ipſi divinitus eſt inſita & indita. Ergo etiam *gratia* ſeu virtus divina concurrens ad actiones ſpirituales, nõ eſt alia, quàm virtus naturalis, quæ homini, ejusque naturæ & voluntati divinitus (ſcilicet, in creatione) eſt indita.

Item: Si non magis concurrit gratia divina ad ſtipitis exuſtionem, quàm ad actiones ſpirituales, tum gratiam intelligunt Papiſtæ non aliam, quàm Pelagani. Verum prius. Verum igitur & poſterius.

Tam enim olim Pelagius hominis voluntati & arbitrio conjungebat gratiam, quàm hodie Papiſtæ. Intelligebat autem per *gratiam* dona creationis, δυνάμεις φυσικάς, potentias & facultates mentis, voluntatis & locomotivæ, quas vocabant *gratiam* Pelagiani, quia ſine ullis præcedentibus meritis his naturæ donis homo ſit ornatus.

Monere ergo Pelagii hiſtoria ſeu verſutia nos debet, ne è Concilio Tridentino circumveniri nos patiamur, aut *decreto*, quo anathema denunciat omnib. *qui abſq; gratia & adjutorio divino hominem poſſe credere, diligere, ſperare, pœnitere ſtatuant*, fidem habeamus. Scribit enim AUGUSTIN. in Epiſt. 105. ad Innocentium Epiſ. Romanum, eadem

Can. 3. de lib. arbit.

fraude impoſuiſſe Epiſcopis Paleſtinis Pelagium in Concilio Paleſtino. Nẽpe ab anathemate ſibi metuens, anathematizavit ipſe omnes, qui dicerent, *ſerectè poſſe vivere abſque gratia.* Gratiam autem non intelligebat eam, per quam regeneramur & in Chriſtum inſerimur, ſed (ut ante dictum) dona nobis in creatione collata, ut liberum arbitrium, rationem, voluntatem, doctrinam legis, locomotivam & facultatem atque vim cogitandi, faciendique naturaliter in externis, &c. Hoc fuco circumventi Epiſcopi Paleſtini illũ abſolverunt. Similem equidem in modum nunc Pontificii Eccleſiis Euangelicis fucum facere nituntur. At jam ſenſus ipſorum notior eſt, quàm ut verborum fuco occultari poſſit.

Sed ad nectendam ſimplicibus fallaciam ampliùs utuntur ſimili ab avicula funiculo alligata ſumpto, quo mentem ſuam faciunt in articulo liberi arbitrii explicatiorem. Dicunt habere ſe liberum arbitrium inſtar aviculæ, quæ habet & retinet quidem potentiam ac facultatem volandi, ſed quando caveæ includitur, aut funiculo alligatur, non poteſt vim ſuam & δύναμιν ἔμφυτον ac potentiam inſitam liberè in actum producere, aut motum facultatis naturalis exerere. Si quis autem rumpit funiculum aut caveam recludit & aperit, non inſerit is aut addit aviculæ novam & peculiarem volandi δύναμιν ac potentiam, neque novi quicquam in avicula operatur, quod ante non habuerit, ſed impedimentum tantùm aufert, quo actus volandi inhibebatur.

Liberum arbitrium aviculæ alligata à Papiſtis comparatur.

At quorſum? Ut per hominem funiculum

Gratiam otiosam statuunt Papistæ.

niculum rumpentem, vel caveam recludentem significent *Gratiam* per aviculam nullas novas vires ab eo accipientem, sed pristinas retinentem denotet hominis *voluntatem*, quæ à gratia nihil novarum virium accipiat, sed suas insitas reservet atque exserat. Satis itaque luculenter hoc simile indicat, *gratiæ* nomine quid sibi velint Papistæ: videlicet non eam, quæ in homine quicquam operatur illuminando, regenerando, renovando, novos motus inclinationesque ad bona spiritualia excitando, sed gratiam *otiosam* & inefficacem, quæ adsit tantummodò pro forma, sit gratiâ titulotenus & secundum dici.

Trina Papistarum fraus in voce gratia.

Et apparet triplici hîc fallaciâ ludere Papistas. 1. Gratiam comminiscuntur, quæ gratia non est, nisi fortè verbalis & κτ̃ φέρειν. 2. Vocant prævenientem, quæ tamen voluntatem in homine nequaquam præveniat, sed ἐν δυνάμει φυσικῇ & potentia atque facultate sua naturali inveniat, eamque secundũ δύναμιν illam nativam operantem & agentem demum sequatur, aut saltem à posteriori, quæ & ἐμμέσως accedat. Talem graiam dicere *prævenientem ἀντιλογία* est & contradictio manifesta. 3. Fingunt δύναμιν virtutem & potentiã naturalem, quæ nulla est. Per lapsum enim & subsequutam corruptionem in homine vis, efficacia & facultas spirituales actiones inchoandi & perficiendi est amissa & elisa. Vitæ mors, integritati corruptio, efficaciæ inefficacia, δύναμει ἀδυναμία, potentiæ deniq; impotentia successit.

Hinc contra adversarios sic infertur: Δύναμις καὶ ἀδυναμία, habitus virtutis, & habitus vitiosus virtuti contrarius sunt incompossibiles ἀσύστατοι καὶ συναδύνατοι, non possunt simul stare. Contraria enim se mutuo pellunt: φθαρτικὰ τῶν ἀλλήλων ἐναντία. At in homine, in prima sua nativitate considerato est ἀδυναμία impotentia, ad bonũ & habitus virtuti contrarius. Ergo δύναμις potentia ad bonum habitus quæ virtutis est in eo συναδύνατος & imcompossibilis, qui stare cum δυνάμει non potest.

Assumptio est Apostoli dicentis: *Non sumus idonei ad cogitandum quicquam boni ex nobis, tanquam ex nobis.* Quo idoneitas & aptititudo (ut sic loqui liceat) atque potentia naturalis ad bonum omnino destruitur. Phrasis enim *Apostolica*, Esse nos ex nobis non idoneos, & *illa Papistica & Pelagiana*, esse nos φύσει, natura inidoneos, ineptos, impotentes ἀντιστρέφονται, reciprocantur & adæquantur inter se, nec differunt nisi τῷ λόγῳ, verbo. Idem Apostolus 1. Cor. 2. 4. *Animalis homo*, inquit, *non capit ea quæ sunt Spiritus Dei*, id est, spiritualia, *sunt enim ei stultitia*, *&* οὐ δύναται, *non potest intelligere, quia spiritualiter dijudicantur.* Ubi ἁπλῶς καὶ καθόλου simpliciter atque in totum negat Apostolus, esse hominem δεκτικὸν, capacem rerum spiritualium. Et ab eo non modò omnis rerum spiritualium perfectio & cognitio salutaris, sed ipsa quoque capacitas (activa) aptitudo, potentia & inchoatio homini ab eo eripitur. 1. Cor 3. 5.

Cui adde hoc Rom. 8. 7. *Intelligentia* vel prudentia *carnis est inimicitia adversus Deum. Legi enim Dei non subjicitur: nam ne potest quidem.* Quod has nobis collectiones seu rationes suppeditat.

1. Si

1. Si homo ψυχικὸς & animalis non potest legi Dei se accommodare & submittere, non erit residua homini ψυχικῷ animali δύναμις & potentia aliqua faciendi aut inchoandi actiones spirituales. Δύνασθαι enim & οὐ δύνασθαι, posse & non posse, potentiâ valere & potentiâ carere, pugnant. At constat primùm. Constat igitur & secundum.

2. Si Φρόνημα intelligentia & prudentia hominis animalis in se considerata est inimicitia adversus Deum, non poterit homo ex sese Deo vocanti & regeneranti consentire, aut cooperari. Verum prius. Verum igitur & posterius.

Consequentia firma est. Συμφωνία etenim & συνεργεία, consensus & cooperatio non sunt inimicitiæ, sed amicitiæ. Inimicitia trahit secum divortium sententiarum & operationum. Hinc qui consentit, non dissentit. Qui cooperatur, non contrariatur. Sunt enim adversa. In fumos ergo abit Papistarum & Synergistarum de *gratia* divinæ & *voluntatis* humanæ cooperatione figmentum.

3. Si intelligentia & prudentia carnis est inimicitia adversus Deum, falsum erit, RATIONEM adhuc deprecari ad optima (ut ait Andradius & Cochlæus ex Aristotele) & superesse in homine συνδήρεσιν, id est, vim motivam & inclinativam ad bonum, naturaliter moventem & stimulantem ac ducentem ad bonum, abhorrētem verò malum, ut definit Compend. Theologicum lib. 2. cap. 51. Hinc enim tale elicitur argumentum:

Ubi est inclinatio tantùm ad malum, ibi non est inclinatio ad bonum. In homine est inclinatio tantùm ad malum. Ergo non ad bonum.

Assumptio inchoatur ex Rom. 8. 7. & perficitur ex Genes. 6. 5. atque 8. 21. *Cogitatio cordis tantùm est mala ab adolescentia omni die.* Item Rom. 7. 23. *Lex membrorum humanorum repugnat legi mentis,* & solicitat hominem ad peccatum, *ut eum captivum ducat, & faciat legi peccati, quæ est in membris ejus.*

Quapropter errat errorem Pelagianum cum reliquis suis gregalibus Bellarminus, quando synderesin, hoc est, vim motivam & inclinativam ad bonum depravatæ hominis naturæ facit reliquam. Et addit: *Qui neget, nescire quid loquatur.* Nesciat ergo Apostolus, nesciat Moses, nesciat Dominus ipse, quid loquatur: aut, quod verius est, nesciat Jesuita Bellarminum & quisq; ejus complicum, quid divinitus inspirata Scriptura loquatur. *Lib. 5. de Grat. & lib. Arbit. cap. 1.*

Eodem in capite defendenda sibi sumit & ab Euangelicorum examine vindicanda hæc *Scholasticorum* pronuntiata: *Naturalia post peccatum mansisse integra. Hominem post lapsum habere rectum lumen rationis.* Sed stantibus his Scholasticorum lemmatis, cadat necesse est tot sanctissimorū hominū, Apostolorum, Prophetarū, ipsius quoq; Dei voce toties deplorata naturæ humanæ corruptio. Integritas n. & corruptio rectū & perversū cōtraria sunt inter sese.

Quod integrum est, non est corruptum. Natura post peccatum cum potentiis & viribus suis est integra, secundum Papistarum Theologos Scholasticos. Ergo non est corrupta, secundùm eosdem.

Item: Quod rectum est, non deviat,

viat, non errat, non declinat, non sapit nisi rectum. Ratio hominis est recta. Ergo, &c. Quum autem Scripturæ & experientiæ *conclusio* adversetur, præmissam quoq; *Assumptionem* cum Scriptura stare non posse, jure & verè colligitur.

Ex his, quæ dixi, etsi satis pateat, in Pelagii castris militare Papistas, eodemque, quo ille sensu & significatione vocabulum GRATIÆ, quam in producendis actionibus spiritualibus arbitrio hominis adjungunt, accipere; tamen nequid desit, pluribus idipsum contra ipsorum Papistarum doctores evincere docendi ac confirmandi gratia semel pigebit.

Gratiam otiosam Papistas facere pluribus probatur. *Lib. de gratia cap. 15. & 4. c. 11.*

Dicimus suprà per *gratiam* eos intelligere gratiam *otiosam & inefficacem*, quę nihil operetur, aut quicquam in homine immutet, agat vel efficiat. Pleniùs hoc ipsum comprobat simile Bellarmini, quo gratiam concurrentem seu cooperantem libero arbitrio comparat obrectos, sed speciei sensibili, quæ vim videndi in oculo non efficit, sed concurrit tantùm ad visionem *ἐσωτέρως* ab extra, ut conditio sit sine qua non. Hinc sic argumentatur: Conditio sine qua non, non est vera caussa. *Gratia* vel adjutorium divinum ad actiones spirituales se habet, ut conditio sine qua non. Ergo gratia divina non est vera caussa actionum spiritualium. Joco igitur, non seriò loqui homines istos intelligito, quando *gratiam* seu auxilium divinum in operibus *θεοσεβείας* pietatis cum libero arbitrio conjungunt, & *συναίτια* faciunt.

Lib. 4. c. 15.

Simili adhuc alio utitur Bellarm. Confert gratiā prævenientem & liberū arbitriū duobus viris, qui ferant ingentem lapidem, quorum unus quidem ferre non possit, at neuter alteri *vires addat*, nec impellat, & utrique liberum sit onus relinquere.

Audis hîc gratiam divinam libero arbitrio nihil addere virium, sed hoc vires suâ naturâ habere ante gratiam omnem. Et proinde de illorum sententia liberum arbitrium in homine satis erit ex seipso validum, aptum, sanum & potens, quod habeat minimè opus à gratia sanari, adjuvari, immutari, cōfortari, præparari aut innovari. Quod ipsum quid aliud est, quàm cum Pelagianis pelagianizare? De Fausto enim Pelagiano narrat MAXENTIUS cōtra epist. Hormisdæ, quòd humano labori adjunxerit GRATIÆ ADJUTORIUM, ut videlicet gratia & labor humanus, cujus possibilitatem non per eandem gratiam, sed naturaliter inesse omnibus asserebat, pariter sociati pietatis opera perficiant. Adhæc gratia divina, hoc modo suis agendi partibus, officio, opere atque operâ in totum abdicatur. Non enim otiosa *ἀργὴ καὶ ἀεργὸς* à Scripturis divina agnoscitur gratia, sed mutans intus mentem atque reformans: (*creandi,*

Vásque novum ex veteri fingens virtute

Ut ait Prosper de ingratis.

Gratia qualis à sacra Scriptura prædicetur.

Scripturæ enim Propheticę & Apostolicæ *gratiam divinam* nobis in homine deprædicant talem, non quæ sit ociosa & iners, nihil agens vel operans, sed *quæ creet cor novum, circumcidat vetus, auferat cor lapideum, det carneum*, Psal. 51. 12. Ezech. 11. 19. & 31. 39. ac 36. 27. *aperiat cæcum*, Act. 16. 14. *emolliat durum*, 2. Paral. 34. 27. *convertat aversum*, Jer. 31. 33.

conterat saxeum, Ezech. 6. 9 vivificet mortuum, Ephes. 2. 5. Col. 2 13. Isa. 57. 15. purificet inquinatum, Act. 15. 9. voluntatem renovet, Rom. 12. 2. animam sanet, Psal. 41. 5. mentem illuminet, ab intellectu tenebras depellat & nova luce imbuat, Ephes. 1. 18. & 4. 23. 2. Cor. 4 6. Psal. 119. denique in homine operetur velle cogitare, inchoare facere, perficere bonum, Phil. 2. 13.

Ac Ephes. 2. 10. Sumus, inquit Apostolus, ipsius Dei opus, conditi in Christo Jesu ad opera bona. Et cap. 4. 24: Homo novus secundùm imaginem DEI creatus est. Et idem de se: Laboravi, ait, in fide, verùm non ego, sed gratia Dei, quæ in me est: id est, quæ me potentem effecit, & aptum ad laborandum & agendum bonum.

Cap. 16. Unde AUGUSTINUS iterum de gratia & libero arbitrio: Certum est, inquit, nos VELLE quum volumus, sed ILLE facit, ut velimus, de quo dictum est: Deus est, qui operatur in vobis velle. Certum est, nos FACERE, quum facimus, sed ILLE facit, ut faciamus, præbendo voluntati vires efficacissimas, qui dixit: Faciam, ut faciatis. Videat ergo Bellarminus, quàm bellè ipsi conveniat cum Spiritu sancto & Augustino, dicentibus operari GRATIAM DIVINAM in homine motuum, inclinationum & actionum novitatem, voluntatique efficacissimas præbere vires.

Phil 2 13.

Pelagianismus Papistarum manifestus.

Similiter Pelagiani spiritus indicia sunt, quæ idem Jesuita scribit lib. 5. de gratia & libero arbitrio cap. 29. Posse hominem ex suis viribus vocationi Dei acquiescere, & si velit, omnia mãdata Dei sicut oportet observare, exuere cor vetus, induere novum ex toto corde se ad Deum convertere, quia scriptum sit: Facite vobis cor novum, &c. Zach 1. Joë. 2. Jere. 3. & 4. Isa. 1. &c. Ephes. 4. Phil. 1. 2 Et lib 6. cap. 8. Dilectionem Dei super omnia esse virium naturæ, & naturalem, quoad actum primũ. Et cap. 15. ibidem: Hominem ante omnem gratiam liberum habere arbitrium, non solùm ad opera naturalia & moralia sed opera etiam pietatis & supernaturalia. Ibidem disputat; Habere hominem ex se potentiam activam ad opera pietatis, seu opera supernaturalia, pag 545. accedere autem gratiam instar objecti.

Totum igitur, aut si non totum, maximum tamen & præcipuum in operibus pietatis tribuunt Papistæ viribus hominis naturalibus, ita ut natura & voluntas humana τὸ πρῶτον, seu primas, gratia verò divina τὸ ἔσχατον, ultimas obtineat.

Gratia divina voluntati humanæ postponitur à Papistis.

Unde etiam non veretur Jesuita voluntati hominis gratiam divinam postponere lib. 4. cap. 15. & hanc illa facere posteriorem, his verbis: DEUS semper concurrit, quando voluntas nostra concurrit, quoniam ad hoc se liberè quodammodò obligavit, quando liberam voluntatem creavit. Ex quo etiam sequitur, ut licet in eodem prorsus momento temporis & natura Deus & voluntas operari incipiant: tamen Deus operetur, QUIA VOLUNTAS OPERATUR, non contrà. Et hoc est, quod alii dicunt: VOLUNTATEM PRIUS NATURA OPERARI QUAM DEUM. &c.

Quod prorsus non differt à doctrina Pelagianorum, docentium divinæ voluntati humanam præire, ut ideo quis adjuvetur, quia voluit, non ideo velit, quia adjuvatur: quemadmodũ refert PROSPER ad Augustinum de reliquiis Pelagianæ hæreseos.

Tale

Tale inde deducitur argumentum Papisticum, Si Deus seu gratia divina operatur, quia voluntas humana operatur, non contrà: Et hæc natura priùs operatur, quã illa: tum gratia nõ potest dici prævenire voluntatem, sed voluntas prævenire gratiam. Prius verum secundùm Papistas. Ergo etiam posteriùs.

Hinc consectaria *duo* colliguntur: 1. Papistas esse verissimè Pelagianos. 2. Præstigiis ludere, quando gratiam vocant prævenietẽm, quæ tamen ex ipsorum opinione non prævenit, sed prævenitur. Gratia enim quæ prævenitur non est præveniens. Gratia quam Papistæ per fallaciam ita vocant, à voluntate hominis prævenitur. Ergo gratia, quę illis præveniens dicitur, præveniens non est.

A QUE ita *duo* hactenus ostendimus. I. Pontificios, etsi videri nolint gratiam divinam aversari, sed contrà huic maximè favere, partesq́ ie agendi præcipuas in actionibus spiritualibus ei tribuere simulent; Pelagianis tamen revera nihil meliùs sentire. II. Adversus illorum sententiam, homini ex prima sua nativitate nullam esse reliquam δύναμιν, vim, virtutem, potentiam, facultatemque naturalem inchoandi perficiendiq́; actiones spirituales: nullam gratiæ divinæ cooperandi, nullam ex sese ad eam disponẽdi & præparandi atque applicandi: sed totum hoc à GRATIA DIVINA proficisci, quæ illuminando, præparãdo, mutando, convertendo, regenerãdo, renovando, sanando, trahendoq́ie operetur velle, posse, nosse, cogitare, inchoare & perficere.

Anaceplacaosis doctrina de gratia.

His ita dictis & demonstratis, concluderem hanc de libero arbitrio tractationẽ, nisi superessent aliquot Bellarmini argumenta pro arbitrii humani συνεργίᾳ & cooperatione in actionibus spiritualibus, nobis opposita, quæ quia audaciam ejus in argumẽntando & sententiæ Pontificiæ absurditatem produnt, paucis attingam.

Synergia & cooperatio lib. arbit. in divinis refellitur.

INPRIMIS quærit desperatæ suæ caussæ patrocinium in vocabulo συνεργεῖν, & adducit Apostolum 1 Cor. 3. 9. dicentem: *Dei enim sumus συνεργοὶ, cooperarii*, vel administri, putans Synergias idolum hinc posse extrui. Interim verò primum nõ animadvertit, loqui Apostolum de hominibus *renatis* potiùs, quos regenerationis GRATIA tinxit, & nova operandi facultate instruxit, quàm de non renatis, qui in nativa sua cæcitate & pravitate adhuc hærent, gratiâ regenerationis destituti. His nulla superest δύναμις aut facultas & potentia Deo cooperandi: illis verò gratiam donavit.

Lib. 5. de gratia, & lib. arbit. cap. 10.

1.

Neque enim ita operatur Spiritus sanctus conversionem in voluntate nostra, quasi tam post quàm ante nihil ipsa operetur. Sed Papistæ dicunt, quòd *voluntas* hominis etiam ante cõversionem EX SESE naturalem prælucendi & cooperandi gratiæ divinę in rebus illis spiritualibus habeat potentiam. Nos verò id negamus, & dicimus, quòd cooperetur homo divinæ gratiæ ex GRATIA: quum ante ex seipsa voluntas in eo *activa* nõ fuerit, sed solummodò *passiva*, quodq́ue bene velit in quantum *à gratia* movetur. A quâ necesse est priùs moveatur & manu teneatur, antequam ipsa seipsam move-

Ante conversionem ut homo adjuvetur à Deo, ac voluntas ejus Deo cooperetur.

re, aut quidquam bene velle possit. In his utrinque consistit controversia, & hæc est Pelagianæ-Papisticæ opinionis, atque orthodoxæ & Euangelicæ sententiæ differentia.

Simile captivi.

Hæc autē ut meliùs intelligi queat, rem totam similitudine eadem quam ipsi Adversarii adferunt & urgent, illustrabimus. Nam Ecclesia Romana hominem peccatorem *ante* conversionē comparat alicui *captivo*: similiter & Nos: at quum discrimine, quod bene notari debet. Nam illi dicunt, captivū quidem illum manibus pedibusque vinctum jacere, infirmum præterea ac invalidum: at nequaquam prorsus mortuum, sed adhuc sperantem. Deinde præsupponunt & hoc, quòd licet captivus iste sic constitutus non quidē se moveat ullo modo, ut salutem sibi acquirat: habeat tamen potentiæ & virium aliquid ad movendū seipsum: adeo ut si carceris custos veniat, ac solutis vinculis, prehensaq; dextra ipsum in consurgendo juvet, quòd tunc & velit, & possit se erigere, ambulare, carcere denique egredi. Similiter se habet res, inquiunt, cum homine ante conversionem. Constrictus quidem est peccatorum suorum vinculis, manibus pedibusque captus: non tamen mortuus omnino, sed infirmus, quomodo & homo ille, qui inter Jericho & Jerusalem vulneratus est. Atq; ideo tunc quidem bonum nec vult, nec desiderat. Verùm si superveniens ipsi Spiritus sanctus vincula ipsius solvat, manumq; gratiæ porrigat, ; o: est, inquiūt, tunc seipsum & erigere, & salutē quoque suam quærere, al ú lve quodcunque tandem illud sit bonum. Et ut scia-

Luc.10. 63.

tur, quomodo parabolam Luc.10.30. de homine, qui in latrones incidit, applicent libero arbitrio, Salmeron Jesuita comment. in parabol. tract.16. Hæc, inquit, ita exponenda sunt: *Samaritanus*, id est, *Christus, hominem semivivum*, id est, *liberum arbitrium*(intelligit ad virtutem liberum) *non extinctum deduxit in stabulum*, hoc est, *Ecclesiam. Dedit stabulario*; id est, *Petro summo pastori, & dixit, suscipe*, id est, *rege gregem. Dedit duos denarios*, id est, *vetus & novū Testamentū, & dixit: Quicquid supererogaveris, significat quædam esse opera consilii & perfectionis, quæ supererogationis opera dicimus, ad quæ præstanda nemo obligatur, quibus promittit Deus præmium responsurum.*

Samaritani parabola ad lib. arb. perperam à Pontificiis applicatur.

Nos verò, ut non negamus, hominem naturalem bene comparari posse captivo alicui; tali tamen captivo docemus eum conferri, qui non solum æger sit & viribus infirmis, verùm etiam totus insuper mortuus. Qui, inquam, nec se movere possit, etiamsi custos carceris ipsi demat catenas, nec audire, licet vel tubam auribus ipsius admoveat: adeò si hic velit, ut captivus sese moveat, atque egrediatur, necesse sit ipsum non manu solùm porrecta auxilium præstare, sed & vitam animamque reddere. Atque ita à natura comparati sumus, non vincti solùm odio peccatis, sed planè mortui, instar cadaveris in terra jam computrescentis, quod nec vires, nec facultatem ullam habet sic movendi, aut inde egrediendi. Atque idcirco non potest homo aut velle, aut facere quicquam, quod verè bonum sit, nisi eum Deus priùs præveniat, donetque nova vita, hoc est, Spiritui gratiæ suæ nos vivificet

Refutatio.

vificet

vificet & excitet. Quando verò hac ratione homo à Deo est vivificatus, tunc incipit etiam VOLUNTAS ejus desiderare & velle ea, quæ bona sunt, in illo nimirũ temporis puncto, quo Deus gratiam suam per Spiritum suum ipsi infundit. Hæc est vera differentia inter nos & Ecclesiam Romanam, quãtum quidem articulum de libero arbitrio & vim cooperandi Deo vel gratiæ divinæ concernit. Nostraque sententia solidissimè comprobatur non tantùm Genes. 6. 5. Rom. 8. 7. 1. Corinth. 2. 14. verumetiam maximè Ephes. 2. 2. & Coloss. 2. 13. ubi *omnes homines naturâ mortui in peccatis*, nõ verò, ut Pontificii dicunt, invalidi, ægri aut semimortui, affirmãtur. Etenim ut homo mortuus, in sepulchro jacens aut carcere, in quo est captus & vinctus, non potest movere vel minimum digitum (destituitur enim vitâ, sensu, potentiaque ad se movẽdum) eadem planè ratione is etiam, *qui in peccatis est mortuus*, ne velle quidẽ bonorum vel minimum. Nam si posset velle aut facere bonum aliquod, non jam mortuus diceretur ab Apostolo, neque mortuus esset in peccatis. Rursus quemadmodum homo mortuus non potest suscitari, nisi sola Dei potẽtia: sic etiam, qui mortuus est in peccatis non potest excitare seipsum, sed si excitatur & vivificatur, à sola divina gratia absq; ullo concursu facultatum aut virium ipsius excitatur & vivificatur, sed facultates illius atque vires excitantem & vivificantem gratiam amplectuntur & sequuntur.

Quare *alii Pontificii* explicationem parabolæ de *Samaritano & homine semimortuo* Lucæ 10. 30. accommodatam ad liberum arbitrium, reprehendunt potiùs, quàm admittunt. Ut JOHAN. MALDONATUS: *Meminisse*, inquit, *Lector debes id, quod sæpè monui*, NON OMNES *hujusmodi parabolæ partes* SUBTILITER ESSE EXPLORANDAS: *sed eo fine parabolæ colligendæ esse, quæ sunt ejus partes necessariæ, Quæ verò ut supplementa aut ornamenta narrationis adhibita, & hujusmodi esse arbitror, quod in hac parabola dicitur in stabulum dixisse, duos denarios dedisse ut curam haberet mandasse, & si quid præterea expendisset, se soluturum promisisse, hac distinctam significationem* NULLAM *habent, sed omnia huc spectant, ut intelligamus Samaritanum omnia pietatis officia erga proximum præstitisse. Quòd verò dicitur, spoliatum, vulneratum*, SEMIMORTUUM *esse relictum, nihil aliud significat, quàm eum in statu maximè miserabili relictũ esse. Nam ita relictum esse, ut semimortuus esset, miserabilius est, quàm si fuisset mortuus, quo magis miseriam sentiebat suam.* Comment. in eum locum.

Et Didacus STELLA Minoritanus: *Hac moralis*, inquit, *expositio quantum distet à literali sensu parabolæ, quivis, etiam si lippus aut cæcus poterit videre.* Comment. in Lucam.

Non ergo cæteros Pontificios puduit, ex *semimortuo*, qui est status *miserior*, liberi arbitrii virtutem, videlicet hominis statum præstantiorem adumbrare? Præterea in eo Salmeronis & aliorum incogitantia singularis, atque audacia projecta sese prodit, quod ex voce *supererogavit, opera supererogationis & perfectionem eliciunt, quæ duorum denariorum*, id est, (Jesuita interprete) *utriusque Testamenti perfectionem* superat. Quæ *supererogationis* ostentatio intollerabilis *supererogationis* nota insignis est. Facessant igitur istæ argutiæ.

Post conversionem ut nomo à Deo adjuvetur, ut voluntas sua ei cooperetur.

Ac ut ad locum 1. Corinth. 3. 9 à Bellarmino ad cooperationis humanarum virium facultatem cum gratia Dei traductum revertamur, homo *renatus post conversionem* incipit repugnare tentationibus carnis, luctari cum diffidentia, & securitate, ad gratiam annitendo se applicare, motuum & actionum bonitati studere, Deoque cooperari jubenti, ducenti, trahenti.

2. Deinde, nec Apostolo in mentē hac venit appellatione, *συνεργοὶ & cooperarii sumus*, ullam Synergiam & cooperationem physicam stabilire, aut quid naturæ viribus in spiritualibus homo valeat, docere: sed quid Deus divinâ suâ gratiâ in homine & per hominem præstet, ostendere. Non enim ignorabat Apostolus, ex sese homini nullam superesse *ἱκανότητα* & idoneitatem vel virtutē bonum vel cogitandi, nedum operandi, sed omnem *ἱκανότητα* & aptitudinem atque virtutem ex Deo esse (ut alibi 2. Corinth 3. ✠ 5. docet) qui solus idoneos faciat ministros. Unde alibi quoque, quicquid possit aut præstet ipse totum illud gratiæ divinæ se fatetur debere, 2. Cor. 15. 10. inquiēs, *Gratia Dei sum, quod sum.* Item: *Non ego, sed gratia Dei, qua mecum est.* Rom. 15. 16. 17. 18. &c. veretur quicquam SIBI tribuere, sed omnem gloriam operationis, vel studiorum atque factorum suorum in suo ministerio refert ad Christum, qui solus per ipsum omnia effecerit.

3. Præterea *ἀπροσδιόνυσον* & prorsus impertinens est hoc testimoniū. Quæstio enim est, an voluntas hominis cooperetur & concurrat in SUI conversionem? Et negatur ab orthodoxis. Bellarminus contrà affirmat, & in patrocinium advocat Apostolum, ministros vocantem cooperarios. Nec attendit ministros esse & dici cooperarios, non in SUI, sed aliorum, quibus ministrant, conversione. Et conversionem hanc in homine operari, *non vi sua*, non voluntate sua, neque ingenitis naturæ viribus agendo, sed servitiū præstando, & delegatum sibi concionandi ministerium obeundo. DEUS verò solus vi sua conversionem & reconciliationem operatur, licet non sine externo ministerio: ut ex Deuter. 30. 6 Jerem. 31. 18. Jacob. 1. 5. Est enim in hac voce, *Dei cooperarii, œconomi & dispensatores mysteriorum Dei sumus*, Metonymia effecti. Convertit quippe Deus trahit & illuminat per *ἱερουργίαν* & ministerium ministrorum. Ministri autem pro Christo legatione funguntur, & positum in se habent sermonem reconciliationis. Ipseq; te Apostolus non ad ministros, sed ad Dei gratiam atque virtutem effectum ministerii refert, dicens eodem capite 3. 2. Corinth. ✠. 5. & 6. *Quis igitur est Paulus, quis autem Apollo, nisi ministri per quos credidistis, &* UT CUIQUE DOMINUS DEDIT. *Ego plantavi, Apollo rigavit sed* DEUS DEDIT INCREMENTŪ. In uno igitur hoc testimonio variè delinquit Bellarminus 1: Ignoratione elenchi. 2. Fallacia *ἑτεροζητήσεως*. 3. Et allegatione impertinentis. 4. Justitiâ tropi metonymiæ.

1. Cor. 3. 9. & 4. 1.

2. Cor. 5. 20.

ALLEGAT porrò dictum Apostolicum: *Diligentibus Deum πάντα συνεργεῖ omnia cooperantur vel adjuvant in bonum.* *Rom. 8. 28.*

Ex pumice verò aquam citius elicies, quàm ex hoc dicto Synergiam & cooperationem humanæ voluntatis cum

cum Deo. Nam verba sonant, non de cooperatione hominis cum Deo, aut arbitrii humani cum gratia divina in motionibus spiritualibus, sed *de afflictionum*, quæ piis obveniunt *salutari usu*, qui in quæstionem nunquam venit. Inter alia enim argumenta consolatoria & exhortatoria ad sustinendas magno animo afflictiones recenset etiam hoc ductũ à fine vel eventu afflictionũ. *Scimus*, inquit, *quod eos qui diligunt Deum, omnia simul cooperantur & adjuvãt in bonũ.* Hoc est, novimus & nihil dubitamus quæcunque sanctis & piis adversa accidunt sive secunda, ea simul omnia cooperari & adjuvare, id est, conducere & vergere homini in bonum, hoc est, utilitatem. Idque non ex natura ipsa afflictionum, quæ per se dolorem adferunt, sed ex benignissimâ Dei dispositione, qui mala quoque & adversa pro immensa sua sapientia & bonitate ad optimum finem atque eventum novit dirigere, ut electis non nocumento, sed emolumento sint, & adjumento in bonum. Prorsus ergo extra aleas vagatur Bellarmini argumentum, & peccat ipse multipliciter. 1. Dictum Pauli violenter detorquet. 2. A statu quæstionis aberrat. 3. τὸ συνεργεῖν & cooperari accipit activè, quod accipiendum neutraliter. Quæ acceptio auctoribus non est inusitata, ut idem sit, quod cõducere, prodesse, expedire, inservire, &c. Ut Plutarchus in Romulo Συνεργεῖ πρὸς εὐτεκνίαν, *conducit ad fœcunditatem.* Et Theophrastus lib. 3. de caus. plant. συνεργεῖ πρὸς εὐτροφίαν *conducit ad copiam alimenti.* Philo de Mundo συνεργὸν ὀφθαλμοῖς serviens oculis. 4. Et vocabulum πάντα, omnia, interpretatur de operib. sanctis, quod Apostolus loquitur de rebus adversis.

Idem est judicium de dicto Marci Euangelistæ. *Illi autem exeuntes vel egressi, prædicaverunt ubique, Domino cooperante* τοῦ κυρίου συνεργοῦντος. Quod hic impertinens & alienum est, non faciens πρὸς Διόνυσον, neque attingens τὸ κρινόμενον, statum quæstionis & nucleum caussæ. Quare huic non immoror. Nam ut quæstio non attingitur: ita principium petitur: quum cooperarii Dei appellamur, imò ab eo adjuvari dicamur respectu gratiæ cooperantis, & quum operari dici possit, in quo sciente & non reluctante Deus operatur. Marc. 16. 20.

Recurrit Bellarminus ad Apostolum 1. Cor. 3. 14. dicentem: *Unusquisque mercedem accipit secundùm* Suum *laborẽ.* Ubi notari vult pronomen Suum, & argumentatur: *Si labor dicitur* Noster, *certè nos ipsi Domini sumus illius actionis.* Sed hoc ad rhombum nihil facit. Pronominis enim non ea vis est, quam Jesuita suspicatur. Aliàs sequeretur, quãdo dicitur, *Justus sua fide vivet*, hominem esse dominum fidei suæ & auctorem, fidemque haberi ex propriis naturæ viribus, quod docuit Pelagius, teste *Primasio* in Enarrat cap. 5 Epist. ad Romanos: & Prospero de ingratis. At refutatur manifestis Scripturæ locis Heb. 12. 2 *Respicientes auctorem fidei & consummatorem Jesum Christum.* Rom. 12. 3. *Deus partitus est cuique mensuram fidei.* Philip. 1. 29. *Vobis datum est in Christi negotio non solùm in eum* Credere, *sed etiam pro eo affligi.* Item sequeretur, quando Paulus *Euangelium Christi vocat* Suum, Rom. 2. 16. Paulum dominum esse Euangelii, cujusmodò est διάκονος & Heb. 2. 4. *Fidem ex nobis oriri Pelagianũ est.*

& servus atque minister, 1. Cor. 3. 5. ac 2. Cor. 5. 19. 20. 21. Et quando in oratione Dominica *panẽ quotidianũ* Christus vocat NOSTRUM, habere nos victum ex nobis, quum tamen non nisi à Patre cœlesti donari testetur tum præscriptio Salvatoris, jubentis orare, DA *nobis panem* NOSTRUM *quotidianum hodie*: tũ interrogatio Apostoli, 1. Cor. 4. 7. *Quid habes, quod non acceperis? quòd, si accepisti, quid gloriaris, ut qui non acceperis?*

Opus bonũ ut nostrum dici possit.

Dicatur sanè opus sanctum & bonũ, quod operamur, NOSTRUM, suo tamen modo, non ratione principii, originis & caussæ primæ, quæ est *gratia divina*, non studium aut arbitrium humanum. Hoc enim Bellarminus, vi veritatis adactus, alibi, ut lib. 6. de gratia & libero arbitrio, cap. 15. ipse fatetur. Ac proinde ait: *Gratia solum facit, ut actio humana fit pia, & supernaturalis, ad quod sanè viribus suis nunquam ipsa natura pertingeret.* Inanis igitur est Bellarmini in superioribus argutiola, circa opus SUUM & NOSTRUM bonum.

Dicta Scriptura, qua suadent & imperant opera pietatis, non patrocinantur lib. arb. juxta Papistas & Pelagianos.

Patrocinari etiam Synergias & cooperationis idolo putat testimonia illa Scripturæ, quæ imperant aut suadent hominibus opera pietatis, ac ipsam etiam conversionem. *Stultum enim esset,* inquit, *imperare aut suadere ejusmodi opera ei, qui non haberet arbitrii libertatem.* Et huc cumulat multa è Prophetis & Apostolis Zach. 1. 3. 4. 5. Joël 2. 12. 13. Jer. 3. 1. 4. 13. Isa. 1. 16. 17. Ezech. 8. 31. Eph. 4. 22. Phil. 2. Col. 3. aliaque complura. Bellarminus lib. 6. de gratia & libero arbitrio, cap. 6. 10.

Sed mutuatus est argumentum hoc à Magistris suis Pelagianis, quorum etiam præcipuum fuit, ut refert HILARIUS Arelat. in epist. ad Augustinum. Quare nec prolixa hîc refutatione illud diluam, quum docta Patrum ætas in certamine Pelagiano jamdudum responsis suis illud expugnaverit, quorũ aliquot saltem ascribam.

De grat. & lib. arb. c. 6.

AUGUSTINUS: *Magnum quid*, inquit, *se scire putant Pelagiani, quando dicũt: Non juberet Deus, quod sciret ab homine perfici non posse. Quis hoc nescit? Sed ideo Deus jubet aliqua, qua non possumus, ut noverimus, qua ab ipso petere debeamus.*

Serm. 50. in Cantico.

BERNHARDUS: *Non latuit*, inquit *praceptorem pracepti pondus hominum excedere vires, utile tamen judicavit sua illos* INSUFFICIENTIÆ *admonere, & ut scirent sanè, ad quem justitia finem niti pro viribus oporteret. Ergo non dando impossibilia non prævaricatores homines fecit, sed humiles, ut omne os obstruatur, & totus mundus fit obnoxius Deo. Accipientes igitur mãdatum & sentientes defectum, clamabimus in cælos, & miserebitur nostri Deus.*

Contra Pelag. lib. 2. cap. 12.

Rursum Augustinus: *Nihil*, ait, *in Scripturis video juberi homini propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur vel dari ab ejus bonitate, vel posci propter adjutorium* GRATIÆ *non possit.* Item: *O homo in praceptione agnosce, quod habere debeas: in correptione tuo te vitio non habere: in oratione, unde accipias, quod habere vis.* De gratia & libero arbitrio capite 16.

Vera igitur & sufficiens ad hoc argumentum responsio est: Fallacia cõmittitur non caussæ, quasi ideo hæc dicantur, quia eorum quidquã possimus ex nobis: hoc est, non præventi & excitati divinitus. Ex lege præcipiente & prohibente non est agnitio virtutis

&

& potentiæ, sed depravationis & impotentiæ. Non docet præceptum, quantum ex viribus naturæ præstare valeamus, sed quousque eniti & conari oporteat. A præcepto à posse: à voluntate Dei ad voluntatem hominis: ab officio ad obedientiam invalida est consequentia.

Quũ enim præcipit vel exigit Deus aliquid, non exprimit, quid homines suis relicti viribus ex se valeant præstare, sed quid Deo sub ratione debiti exsolvere teneãtur. Ut videre est in *parabola servi*, qui domino suo debebat decies mille talenta. A quo dum creditor debitum exigit, licet in viribus debitoris non esset, propterea injustitiæ, aut ut Bellarminus putat, stultitiæ argui haud potest. Neque creditor solutionem imperando quid servus possit, sed quid debeat, ostendit, & ad humilem culpæ vel INSUFFICIENTIÆ confessionem, devotam verò gratiæ petitionem adigit. *Math. 18. 23.*

Et quod præceptiones divinæ non semper præsupponant in eo, cui præcipitur, agendi possibilitatem, illa etiam Christi vox, quâ ad filiam Jairi temporaliter mortuam per modum præcipiendi ait: *Puella surge*, monere potest. Non enim hinc sequitur, quod puella illa suis viribus potuerit surgere, aut Christo in suscitatione cooperari, verùm erat vox hæc quasi organon quoddam resuscitationis divinæ. Ita etiam quando Deus præcipit hominibus, *Agite pœnitentiam, credite Euangelio, convertimini ad me ex toto corde, lavamini, mundi estote, facite cor novum, operamini salutem*, &c. non sequitur, hominem ad bonũ spiritualiter emortuum sua posse virtute à morte reviviscere, à peccatis resurgere, aut cor vetus abdicare. Sed est vox illa admonitio erga nos de Deo, quod Deo debemus, & quoddam simul quasi organum, quo Deus hominem à morte spirituali revocat, & conversionem operatur, nisi contumaciter operationi ejus sese opponat. *Math. 9. 18. Marc. 5. 41.*

Præterea argumentum aliud ex Pelagii ludo mutuum sumit Bellarminus, quod à verbo *adjuvandi* petitur. Infert enim ita: *Qui adjuvatur, unà agit & adjuvanti cooperatur. Voluntas humana* ADJUVATUR *à gratia. Ergo voluntas humana unà agit cum gratia, eiq; cooperatur.* Commune hoc est latibulum PELAGIANIS atque PAPISTIS. Sub eodem enim adjuvandi verbo etiam Pelagius olim venenum suum occultavit, sub quo jam Pontificii. *Adjuvandi verbum falsò ad vires humanas in libero arbitrio refertur.*

Et nonnulli veterum quoque Patrum aliquando dicunt, *à Deo adjuvari voluntatem nostram.* Sed, si ita dicunt, more humano. Nam inter homines ita loquimur, ut dicamus nos ope alicujus adjutos fuisse, etiamsi nihil agamus, & totum opus ipse penitus effectum det, qui juvat. *Bell. lib. 6. de gratia & lib. arbit. c. 11. & 15.*

2. Respondet Pelagio *Augustinus* lib. 3. cap. 4. ad Bonifacium: *Deum non adjutorem tantùm esse, sed largitorem etiam virtutis.* Et lib. 2. cap. 9. ait: *Hominis bonum propositum adjuvat quidem subsequens gratia, sed* NEC IPSUM *esset,* NISI PRÆCEDERET GRATIA.

Augustinus igitur tum demum gratiæ ADJUVANTI, dat locum, quando jam gratia præveniens voluntatem sollicitavit, mutavit, & sine ulla veteris hominis cooperatione præparavit ut velit.

Vocis adjuvare significatio. Addimus nos exceptionẽ ad PROPOSITIONEM. Neque enim in SOCIIS tantùm caussis vocabulum adjuvandi obtinet, verùm caussis etiam solitariè agentibus usum præbet in rebus tum humanis tum spiritualibus. Ubi non sociam semper aut partialem caussam, sed cum Deo tribuitur, plerumque totalem & solitariam significat. Ut idem sit, quod salvare, ex miseriis & difficultatibus eruere, &c. In quibus omnis cessat operatio humana, Dei autem virtus sola cernitur. Passim obvia est hæc significatio in Prophetis & Psalmis. *Psal. 26. 9. & 70.* Ea ipsa quoque testimonia, quæ ex Psalmis adducit Bellarminus, hanc significationem non respuunt. Paulinum verò, quòd profert ex Rom. 8. 26. & 1. Cor. 15. 10. non loquitur de conversione hominis nondum renati, & convertendi adhuc, sed de perseverantia jamdum regenerati & conversi.

Quum ergo syllogismi *propositio* admittat exceptionem, quia est incerta & particularis: *Assumptio* autem non sit vera, nisi de hominibus jamdum renatis & in gratia constitutis, quorum voluntatem Spiritus sanctus innovavit, præparavit & mutavit, secundùm illud Augustini in Enchiridio: *Hominis volũtatem adjuvat præparatam, & præparat adjuvandam*: Manifestum est, etiam *conclusionem* nutare & vacillare.

A nolle amplecti gratiam ad velle ridiculum argumentũ. POSTREMUM argumentum sumit Bellarminus ex iis locis, quæ de hominis contumacia, libidine Deo resistendi, & veniendi atque obediendi nolũtate loquuntur. Ut Prov. 1. *Vocati, & renuistis* Math. 23. *Volui vos cõgregare & noluistis*. Joh. 6. *Num & vos vultis abire?* Act. 7. *Vos semper Spiritui sancto restitistis*. Apoc. 3. *Ego sto ad ostium & pulso. Si quis aperuerit, introibo ad eum.* Ac infert: passim traditur, hominem à Deo vocatum, posse non venire si velit &c. Ergo in his omnibus est libera voluntas nostra. Ac quædam etiam loca ex Patribus adducit. Ut Augustini de spiritu & lit. cap. 34. *Consentire vocationi, aut non cõsentire propriæ voluntatis est.* Ergo hæc est totius Ecclesiæ sententia.

At 1. Confunditur libertas naturæ & gratiæ: quum ad peccandum, sive non amplectendum gratiam oblatam satis virium semper habeamus, quantumvis alioqui corrupti, &c. 2. Inconveniens est & ridiculum à NOLUNTATE ad VOLUNTATEM, à nolle ad velle, à facultate nolendi & repudiandi gratiam ad faculatem volendi & amplectendi eandem argumentum ducere. Ac in totum homonymia hîc latet: sicut ex collatione aliorum Augustini locorum patet. Nam verissimum quidem est, quod nostrûm sit velle vel nolle: quodque Deus non omnino justificet nos sine nobis: sed & hoc verissimum est, quòd bene velle non est ex nobis, sed Ex DEO: quodq; ad gratiam justificantem non tam ipsi nos, quàm Deus nos præparet & disponat, &c. Nobis enim assentitur & AMBROSIUS, qui: *Licèt insit homini*, inquit, *nolle bonum; tamen nisi datum non habet velle bonum. Illud contraxit natura per culpam. hoc recipit natura per gratiam.*

Reliquorum argumentorum Bellarmini, quæ magno numero intermiscet lib. 4. c. 7. & lib. 5. cap. 16. 17. 18. 19. &c. solutionem qui desiderat, legat Calvinum in Institut. lib. 2. cap. 5. vel cap. 2. à §. 11. usque ad finem.

Sed

Sed ampliùs è *Pelagianiſmo* ALII objiciunt: Si homo non haberet liberum arbitrium, cujus viribus poſſet aut peccare, aut non peccare, nemo omnium puniri deberet vel poſſet propter ſua peccata: peccaret enim ex neceſſitate. Ac idem argumentum urget Bellarminus lib. 5. de Grat. & Lib. Arbit. cap. 15. etiam de præmiis agens, ac concludens: *Niſi ex libera arbitrii electione tum virtutes, tum vitia procedunt, non eſſet conſentaneum, ut homini vel pœna infligatur, vel præmium rependatur.*

Ratio Pelagiana à pœna & præmio.

Hoc argumentum etſi eſt quidem tum Ariſtotelicum, tum à Chryſoſtomo & Hieronymo, ac Auguſtino cap. 14. libri de vera Religione uſurpatum, quibus per infirmitatem, & nimiam vitium humanarum admirationem abſque Scripturæ ſacræ obſervatione attentiori obrepſit: tamen PELAGIANIS inprimis fuit familiare, ut nec ipſe Hieronymus in Epiſt. ad Cteſiphontem & Dial. 1. diſſimulat, ac ipſorum etiam verba refert.

SED negatur ab utraque parte conſequentia. Nam quoniam gratia Dei in nobis agit bonam, præmia gratuitò dantur. Quoties enim Auguſtinus ait: *Non merita noſtra Deum coronare, ſed ſua dona*? Nec nos ulla habemus merita, quòd libero arbitrio ad bonum caremus. Ac nihil valet reſponſio Bellarmini, ratiocinantis contrà: *Si homo ideo caret merito, quia caret libero arbitrio. Ergo pariter de merito carebit.* Etenim pœna debetur peccato. Ac quamvis homo non poſſit aliud à ſeipſo, quàm peccare: ejus tamen culpa univerſa in ipſomet eſt, atque idcirco pœnæ ſubjacet. Eadem planè ratione, quâ etiam debitor aliquis obligatione debiti non eſt ſolutus, licet bonis ſuis omnib. dilapidatis ſolvendo non ſit, quũ æs alienũ ſua culpa ſibi contraxerit. Math. 18. 24.

Relationem hanc Pelagiano-Papiſticæ doctrinæ de libero arbitrio cum refutatione ejuſdem fuſiùs propoſuimus, ut Papiſtæ & alii eam aliquantum plenè cognoſcant, & ſe non injuriâ ejus traduci diſcentes, emendationem flagrantiùs & æquiori animo inſtituant. Orthodoxam autem doctrinam de libertate voluntatis humanæ diligenter obſervari neceſſe eſt, ut ſoli Deo ſumma & perfectiſſima libertas atque immutabilitas & effectio omnium bonorum in nobis, tanquam primæ cauſſæ tribuatur. Adhæc ut peccãtibus omnis excuſatio detrahatur, ac omnes agnitione miſeriæ & pravitatis noſtræ verè coram Deo humiliati, ab ipſo ſolo noſtræ ſalutis conſervationem & cõſummationem petamus, & convicti teſtimoniis divinis ad credendum & obtẽperandum voci ipſius permoveamur.

Uſus refutationis Pelagiano-Papiſtica doctrina de lib. arbit.

Oportet verò Papiſtas Pelagianis in hoc articulo conſentire, ſiquidem aliàs nullo modo doctrinam ſuam de merito congrui, & de voluntate ad juſtificationem cooperante, ſtabilire poſſent. Verùm de his novorum Pelagianorum opinionibus, earumq; refutationibus videat pius Lector ulterius *Auguſtinum* contra epiſt. Pelag. lib. 4 cap. 6. lib. 2. cap. 5. & contra Petilian. lib. 1. cap. 9. lib. 2. cap. 8. *Proſperum* adverſus Caſſianum. Item NOSTROS paſſim, &c.

4. *Diſtinctio peccati in veniale & lethale eſt apud Papiſtas Pelagiana & hæretica.*

Quarta hæreſis Pelagiana eſt, *quòd leviora peccata ne in peccatis quidem habebant:* teſte Auguſtino contra Julianum Pelagianum lib. 6. cap. 6. & lib. 4. c. 3.

Ita *Eunomiani* vetusti hæretici, *aberrare aliquem in scortatione aut alio peccato, nihil esse ajebant*, ut habet Epiphanius in Anacephalæosi Hæresum, pag. 600.

Idem facere & dicere Papismi propugnatores atque sectatores, num non luce meridiana clarius est? Certè *tribus modis* peccati levitatem & exiguitatem tenent.

1. Peccati definitio levis apud Papistas.

I. Nimium leves & exiles atque adeò pueriles peccati etiam actualis definitiones proponunt. Censura enim Coloniensis: *Peccatum*, inquit, *non est, quicquid est contra legem Dei, sed quicquid est ex libero arbitrio & voluntariè ab aliquo fit*, pag. 44. Rursus pag. 46. *Peccatum est nihil. Peccatum est defectus & carentia seu absentia boni, & alienatio voluntatis à lege divina, adeóq; voluntatis est, ut nisi voluntas non esset, peccatum non esset.* Vitus Miletus ex Gemunda Suevorum ait: *Quæcunq; homo ignorans, vel absq; voluntate & assensu facit, in rationem peccati non venit, nec peccatum propriè est.* Idem cap. 4. repetit sententiam Censuræ Coloniensis, ac dicit: *Non est propriè peccatum, quicquid contra legem Dei fit (si generaliter loquamur) sed tantum quicquid fit ex prava voluntate.*

In Speculo Catholico cap. 3.

Orthodoxa peccati definitio.

Ubi notandum, quàm impudenter definitionem peccati à sancto Johanne Apostolo & Euangelista è Spiritus sanct. suggestione 1. Epist. cap. 3. ý. 4. allatam negent. Nam disertissimè is ait: *Peccatum est legis transgreßio.* Num ergo isti Pontificii sancto Johanne sapientiores, doctiores, donisq; Spiritus sancti refertiores atque ornatiores? Rectiùs ergo & magis orthodoxè peccatum actuale, est fructus peccati originis, quum actu violatur lex Dei, videlicet omnis cogitatio, affectio, loquutio, actio, omissio pugnans cum voluntate Dei, unde homo obstringitur novo reatu, & fit reus iræ Dei & mortis æternæ. Confirmat hoc sanctus Jacobus, dicens: *Unusquisque tentatur, dum à propria cupiditate abstrahitur & inescatur. Deinde cupiditas, posteaquam concepit, parit peccatum: peccatum verò per actum progignit mortem.* Ubi per *cupiditatem* radicem, id est, peccatum originale: per *peccatum peractum* vel consummatum, peccatum actuale, id est, fructum & effectum originalis peccati atq; malæ indolis ac naturæ ejusdem intelligit: per *mortem*, effectum & fructum omnis peccati denotat, ac ideo omne peccatum nonnihil, nec leve, sed gravissimum & perniciosissimum esse innuit. Nec est levis Papistarum impudentia & arrogantia, quòd peccatum saltem esse dicunt & sentiunt, quicquid contra & præter voluntatem humanam fit, non contra divinam in lege expressam. Quis pius hoc patienter audiat & ferat.

Jac. 1. 15.

Peccata, ut paria sint & non paria.

Neq; tamen peccata paria facimus, nisi quòd sunt paria reatu, ut vel minima minimi peccati agitatio mortem æternam mereatur. Nam Apostolus: *Maledictus*, inquit, *omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Et Rom. 6. 23. *Stipendium peccati mors est.* Sed tamen peccatum habet suas distinctiones & gradus, quibus aliud alio levius aut gravius fit. Quos egregiè Guilielmus Bucanus in Instit. Theolog. loco 16. pag. 179. & 180. atque 181. & 182. tradit & explicat.

Gal. 3. 10.

2. Peccati distinctio levis apud Papistas. cap. 2.

II. Nimis levem peccati *distinctionem* in *Veniale* & *Mortale* tradunt. Bellarminus lib. 1. de Amissione gratiæ & statu peccati dividit in *lethale* & *veniale*.

Cur

Cur *lethale* dicat pro *mortale*, non satis divinamus: nisi fortè ut fucum faciat definitione, vel ut *veniale* extenuet. *Lethalibus* enim vulnus lethale vel lethiferum, venialibus levem plagam homini infligi dicit.

At Scriptura lethiferum quidem ac mortale ex peccato vulnus scit: levem verò plagam ex peccato nescit: sed est Sophistarum commentum.

LETHALIA definit ille, *quæ hominem planè avertunt à Deo, & quibus pœna debetur æterna.* VENIALIA, *quæ non quidem planè avertunt à Deo, cursum tamen ad Deum impediunt.* Hoc verò non est peccata MORTALIA & VENIALIA: *sed peccata avertentia & nō avertētia* definire.

Mortale peccatum. Nisi fucum facere vellet, apertè diceret, MORTALIA esse *quibus debetur mors temporalis & æterna*: *Veniale.* VENIALIA, quibus debetur venia, seu quæ levitate sua merentur veniam apud Deum. Quod aliàs ex parte dicit. Ut cap. 11. lib. 1. de Amiss. gratiæ ait: *Veniale esse, quod est venia dignum.* Hæc enim est vocabulorum vis & efficacia. Sed maluit effecta alia lubrica eis tribuere, ut fucum tegeret, quem facit lib. 1. de Amissione gratiæ & statu peccati, cap 3. dicens: *Distinctio peccati in mortale & veniale, non ex distinctione hominum peccantiū, qualiscunque tandem ea sit: sed ex ipsa peccatorum natura, simpliciter æstimanda est: quippe quorum multa sunt adeo parva & levia, ut per se reatum mortis æternæ non attrahant.* Ac cap. 11. *Venialia*, inquit, *peccata non sunt propriè contra legem aut charitatem Dei, nec perfectè simpliciterque peccata sunt: sed tantùm charitatis actum & fervorem nonnihil impediunt, ac proinde nec quidem admodum multiplicata, damnare nos possunt.*

Lethalia igitur dicit, *quæ hominem planè avertunt à Deo, & quibus pœna debetur æterna*: quorum *prius* est sophisticum vel falsum: quia omnia peccata avertunt à Deo, quatenus omnia Deum offendunt: licet alia gravius, alia levius avertant: aliter etiam avertant renatos, aliter non renatos, & ad Deum nunquam conversos. Nulla tamen ante finem avertunt planè, nisi peccatum in Spiritum sanctum, quod Augustinus vocat *finalem impœnitentiam*, de quo lib. 1. capite 21. dictum. *Posterius* verum quidē, sed generale: quia omnibus omnino peccatis ex rigore legis debetur pœna non solùm temporariæ, verùmetiam æternæ mortis, ut paulò post probabimus.

Venialia, dicit, *quæ non planè avertunt à Deo, cursum tamen ad Deum impediunt, & facili negotio expiantur.* Quorum *prius* est sophisticum: *medium* verum quidē, sed obscurum, quia metaphoricum: *tertium* falsum & blasphemum in sanguinem filii Dei. Si enim aliqua peccata facili negotio expiātur, falsum est, *quod sanguis filii Dei mundet* NOS *ab* OMNI *peccato*: quod Jesus Christus sit *expiatio peccatorum totius mundi*, Christus deniq; *aliquorū peccatorum caussâ frustrà est mortuus*, quod impium cogitatu & dictu: ut Gal. 2. docetur. *Veniale etiam peccatum esse mortale.* 1. Joh 1. 9. 1. Joh. 2. 2.

NOSTRI igitur doctores licet distinctionem hanc non simpliciter improbarint unquam: sensum tamen Papisticum nulli receperunt. THOMAS fatetur, *non esse divisionem generis in species, sed analogi in analogata*, secundum prius & posterius: quod est obscurum & variè torqueri potest. NOSTRI admiserunt, ut distinctionem *subjecti* per *Cap 1. q. 89. art. 1. ad 2.*

per se & per accidens considerati. Ideo volunt juxta Scripturam, ut MORTALE intelligatur *omne peccatum per se*, quatenus omne peccatum deficit à lege Dei, & per hoc maledictionem legis inducit suâ naturâ. Quemadmodum dicitur: *Maledictus omnis, qui non permāserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis hujus, ut faciat ea*: Item: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Item: *Stipendium peccati mors est* Rom. 6. 23. Item: *Qui offenderit in uno, est omnium reus.* Jac. 2. 10. Item: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Hæc dicuntur de peccatis universè. Igitur omnia peccata reum faciunt divinæ maledictionis & mortis æternæ, regnoque cœlorum excludūt. Omnia itaque suâ naturâ sunt mortalia: nulla venialia, nisi ex misericordia Dei. Atque hoc tandem Bellarm. cap. 12. vi istorum Scripturæ locorum fatetur.

Mortale peccatum verum. — *Deut. 27. 26.* — *Ezech. 18. 20.*

VENIALE nostri volunt intelligi, omne peccatum ex accedenti, quatenus per misericordiam Dei in resipiscentibus donatur venia propter Christum & ejus λύτρον. Testantur hoc dicta hæc: *Peccati eorum non recordabor amplius.* Item: *Qui remittit omnes iniquitates tuas.* Item: *Ipse salvum faciet populum suum à peccatis suis.* Item: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum.*

Veniale peccatum verum. — *Jer. 31. 30.* — *Psal. 103. 3.* — *Math. 1. 21.* — *Ephes. 1. 7.*

Longè tamen consultius fuisset Papistis à tam impropria & periculosa distinctione peccati in mortale & veniale prorsus abstinere, & totam rejicere. Impropriissimè enim genus dividitur in species vel partes per id, quod inest per se, & per id, quod per accidens accedit. Itaque eam tanquam impropriā, captiosam, falsam, simpliciter rejicimus.

Distinctio peccati Papistica abjicienda.

Pro ea autem ex ore DOMINI in Euangelio distinguimus peccatum in REMISSIBILE & IRREMISSIBILE Math. 12. 31. 32. Dicit enim: *Quodvis peccatum & blasphemia remittetur hominibus. Blasphemia verò in Spiritum sanctum non remittetur hominibus, neque in hoc, neque in futuro seculo.*

Peccati distinctio vera.

REMISSIBILE est omne id, cujus à Deo per Christum obtinetur remissio, quando ejus agitur pœnitentia, licet in se, & sua natura mortale existat.

Remissibile.

IRREMISSIBILE est blasphemia in Spiritum sanctum: quod non remittitur, quia ejus non agitur pœnitentia, eò quòd Deus ita peccantes finali cœcitate punit justo judicio: quemadmodum lib. 1. cap. 21. exposuimus. Cum qua distinctione consentit alia tradita à sancto Johanne Apostolo, dicente: *Si quis viderit fratrem peccare peccato non ad mortem, petet & dabit ei veniam: peccantibus dico non ad mortem. Est peccatum ad mortem, pro quo non dico, ut roget.* Posset dici peccatū *mortale & non mortale.* Sed vitandæ ambiguitatis gratiâ, retinenda sunt vocabula Apostoli: Ἁμαρτία πρὸς θάνατον, καὶ μὴ πρὸς θάνατον: *peccatum ad mortem & non ad mortem.* Per id AD MORTEM intelligit illud, quod Dominus dixit irremissibile in Spiritū sanctum. Per id NON AD MORTEM intelligit quodvis peccatum remissibile, non in Spiritum sanctum: licet in se sit mortale, sed dignū morte, sed mortem non inducit actu: quia ex gratia Dei remittitur propter Christum resipiscentibus. Quæ contra hanc doctrinam

Irremissibile. — *1. Joh 5. 6.*

ctrinam orthodoxam Bellarminus l.1. de amissione gratiæ & statu peccati, c. 11. & 12 & 13: invehit. graviſſimè & eruditiſſimè à D. Pareo ſolvuntur.

3. Praxis Papiſtarum in peccatis pro levibus habendis.

III. Ipſa praxi & actionibus ſuis Pontificii peccata levia ac minuta ducunt, etiamſi ſint interdum maxima & graviſſima. *Primò* verbis ea extenuant: *deinde* factis. Nam videri volunt *gulam* pro mortali peccato habere, ac frenare legibus atque jejuniis: ſed etiam tunc eam pro exiguo peccato habent, ac lavicula ceremonia expiari putant commiſſam. In jure Canonico diſt. 41. C Epiſcopus ſcribitur: *Epiſcopus menſam ac victum pauperem habeat.* Diſt. 44. C. Cum autem: *Tibi ô ſacerdos de altari vivere, non luxuriari permittitur.* Et ibidem: *Quod non ebrietati vacare debeat, aut* GULÆ. Sed Papæ cum ſuis Clericis, Epiſcopis, Monachis, ſacrificulis & ſectatoribus omne genus abſtinentiæ à gula dedidicerunt. Ac tam jejuniorum ſtatorum diebus, quàm à jejunio liberis nihil ferè aliud conſueverunt agere, quàm exquiſitè delitiari, helluari, bacchari, crapulari, genio indulgere, cuticulam curare & luxui frenum laxare. Alanus igitur de planctu naturæ: *Hodie*, inquit *gula vitium profundius ſe porrigit in Dominos & Prælatos, qui ſalmones, lucios cæterosq́; piſces æquipollenti generoſitate inſignes, variis decoctionum cruciant martyriis, balneantes officio ſacri piperis, ut multiformam ſaporis gratiam conſequantur. Alius miniſtrorum contundit, colat alius & conficit, ſubſtantiam vertit in accidens, naturam mutat in aërem, ut ſaturitas tranſeat in eſuriem.* Ac oppoſuerunt ſobrietatis & abſtinentiæ legibus diſt. 41. illud Auguſtini: *Non cogantur divites cibis pauperum veſci.* Dicit igitur Innocētius: *Si quis piſces & ſimilia lautiùs capiat vel nimis ardenter, non credimus, quòd propter hoc ſolvatur jejunium, licet in his exceſſibus eum peccare credamus, venialiter ſcilicet.* Idem: *Non ſolvi jejunium, dicit, ſive ante cibum ſive poſt bibatur, & hoc maximè propter conſuetudinem.* Alenſis ponit unam notabilem regulam, ſcilicet *tempore jejunii cum piſcibus vinum eſſe neceſſarium.*

Gula Papiſtica.

Superbiam inter mortalia peccata numerant. Et adducunt hoc Auguſtini: *In aliis peccatis avertitur homo à Deo propter fragilitatem, vel propter deſiderium alicujus boni temporalis. Sed ſuperbia habet averſionem à Deo ex hoc ipſo, quòd non vult ſubjici Deo & legi ejus.* Nihilominus tamen adeò ſuperbiam contemnunt ac pro parvo peccato æſtimant, ut communis Canoniſtarum vox ſit: *Dominus* DEUS *noſter Papa.* Jacobatius lib. 10. de Concil. art. 7. in 6. argumento: *Papa non Chriſti tantùm, ſed & Dei vicarius eſt.* Eidem hoc honorificum compoſuerunt.

Superbia Papiſtica.

De civ. Dei lib. 14. c. 13.

Diſt. 96.

Oraclo vocis mundi moderaris habenas,
Et merito in terris diceris eſſe DEUS.

Quibus quid ſuperbius de Papa dici, & à Papa recipi poteſt?

Faſtus templorum.

Quid dicam de immenſa & faſtuoſiſſima omnium Papiſtarum ſuperbia in externo religionis cultu, in quo Deos ſuos ſculptiles, ſimulacra & idola muta, ſecundum propheciam Daniel 11. ita omni ornementorum genere communi & colunt, ut nihil non auro, argento, margaritis, gemmis, byſſo, holiſerico, picturis, aliiſque rebus pretioſis in ipſorum templis fulgeat?

Luxuria & libido Papiſtica.

Luxuriā recenſent Pōtificii quoq; inter peccata mortalia, & in Deſtructo-

rio

rio vitiorum scripitur: LUXURIA *est inordinatus appetitus sive amor delectationum in venereis actibus, in hac vita breviter delectans, sed ad cruciatum perducens æternum.* Species luxuriæ quinque esse dicunt, *Scortationem, raptum, adulterium, incestum, Sodomiam.* At SCORTATIONEM sic extenuant: *Tria argumenta videntur esse in contrarium.* Primum, *quod Deus non præcipit aliquid quod sit mortale peccatum. Sed Deus præcipit Oseæ Prophetæ dicens: Vade, sume tibi uxorem mulierem fornicariam, & fac tibi filios fornicationum. Ergo fornicatio non est peccatum.* Secundum *est, quod omne peccatum mortale contrariatur charitati. Sed istud non contrariatur charitati, quia nec charitati Dei, quum non sit directè contra Deum nec charitati proximi, quia per hoc nulli hominum fit injuria.* Tertium *est, quod Isidorus dicit dist. 24. Christiano non dicam plurimas, sed nec duas habere licitum est, sed unam tantum, aut uxorem, aut si conjunx deest, loco ejus concubina. Sed in concubinatu est fornicatio. Ergo hæc non est peccatum.* Hinc in Ecclesiasticis scortatio præfertur conjugio, Cœnobia sunt lupanaria privata, in oppidis lupanaria publica, meretriciũ quæstus accipitur etiam ad sacra, lactis tributũ exigitur Romæ. Exẽpla ob brevitatẽ omittimus. RAPTŨ sic probant, ut raptæ matrimoniũ permittant cũ raptore, dicantq; huic cõcessum juvenes facere audaces, Extrav. de Raptorib. C. cũ caussa. *Adulteriũ* ita elevant: *Episcopum statuentes posse dispensare de adulteriis & aliis criminibus levioribus.* Clemens Papa statuit, ut uxores sint communes. INCESTUS per dispensationes in gradibus cognationum permittunt, ipsique Papæ, ut Joh. 13. Alexander 6. Paul. 3.

Antoninus Florentinus part 2. tit. 5. cap. 2.

1. 2. 3. 4. 5. (margin numerals beside the three arguments, incest and sodomy)

Extra de Judiciis l. at Clerici.

perpetrarunt. SODOMIAM Joh. de la Casa Episcopus Benevẽtanus publicis laudibus cõmendavit, ut Schleidanus lib. 21. & Balæus in Julio 3 testantur, & hanc commendationem sequi apud multos solemne est.

Avaritia Papistica.

Avaritiam quoque Papistæ in album peccatorum mortalium referunt. Sed de Paparum avaritia Eberardus Salisburgensis: *Fames opum*, inquit, *sitis honorum, inexplebilis est. Quò plura avido concesseris, eò plura appetit.* Leges Pontificias Budæus argentariæ faciendæ caussâ conscriptas censet. MARSILIUS PATAVINUS in defensorio pacis cap. 24 part. 2. ait: *Quid aliud est Roma, quàm* SIMONIACORUM *undique confluentium concursus?* Ad avaritiam dirigunt omnes Ecclesiastici Papistæ opera supererogationis, vigilias, anniversaria, exequias, cantiones, reliquias sanctorum, Missas, consecrationes matrimoniorum, baptismum, compaternitates, confirmationis & pœnitentiæ Sacramenta, & quid non?

Invidia Papistica.

Invidia à Papistis plerisque non minùs in catalogo *mortalium* peccatorum ponitur. At *Cassianus* lib. de inst. cœnobiorum, eam inter *venialia* recenset. Atque ex ordinib. Monachorũ alius aliũ odio habet, teste Pet. Blasensi ad Bernhardum epist. 16. lib. 5. Et quis enarrabit odium atque invidiam, quo omnes Papistæ in Euangelicos ardẽt? Quin eã se Deo etiã cultum præstare opinantur.

Ira Papistarum.

Ira etiam locus inter peccata mortalia à Papistis datur: quod de injusta intelligendum esset. Sed nemo magis justam iram omittit, injustam exercet, quàm Flamines (veriùs dixerim Flammæ) Romanæ Ecclesiæ, nimirum Pa-

pæ

pæ, Cardinales, Episcopi, Abbates, Monachi, Sacrifici: quorum res gestæ per iram, si evolvantur, fidem exsuperare videntur. Lege historiam Christophori I. Sergii III. Johannis XIII. & XIV. Bonifacii VII. Gregorii VII. Paschalis II. Honorii III. Innocentii III. & IV. Bonifacii VIII. Clementis V. Julii II. & III. Leonis X. Clementis VII. Pauli III. & IV. Pii III. & IV. ac dixeris eos Neronem, Diocletianum, & quemvis alium tyrannum vincere. Eorum instinctu aut doctrina prava tincti Rempublicam gerentes, nobiles, plebei, quinam sunt Erynnides? Præsertim quales sese gerunt suâ iracũdiâ in Orthodoxos? Annón nulli horum parcunt, ac ne à suis quidem & defunctis manum furiosam avertunt? Annón ad effundendam rabiosæ suæ iræ phialam in quoscunque licet insontes atq; innoxios, imò in bene meritos ac bene merentes propter superstitionum reprehensionem & veritatis patefactionem, paratissimi sunt? Certè in Concilio Tridentino *Rhetor* quidam veritus, ne scribendis suanguinariis decretis parum audaces forent Tridentini Patres, *eos ad audendum hortatus est, & simul atque jusserint, paratas fore carnificum manus promisit.* Simul tamen Patres Concilii hoc pro nihilo habentes, *quotidie humili & contrito* (hypocritico ac simulato) *corde Spiritum sanctum implorabant, ut in hoc tali sanguinolento Concilio præsideret.*

NB.

Volumen opusculorũ. Joh. Calvini.

Acedia vel ignavia Papistarũ.

Acedia non minùs partem habet apud Pontificios inter mortalia peccata, ac definitur ex Damasceno, *tristitia aggravans, quæ ita deprimit animum hominis, ut nihil boni ei agere libeat.* Destructorium vitiorum part. 5. cap. 2. A. *Accidiosus*, inquit, *qui otiosè vivit, & de laboribus aliorum cibum sumit, contra naturã vivit, B. Præter infernum omni loco est indignus. Et Deo displicet, Diabolo valdè placet, & homini vehementer nocet*, &c. Huic tamen Innocentius VIII. Alexander VI. Leo X. inprimis fuêre dediti. De Monachis, Monialibus & Clericis Honorius Augustodunensis in Dialogo de Prædestinatione: *Secularibus negotiis*, inquit, *impliciti sunt, in Dei negotio desides existunt, plerique eorum gula & illecebris dediti, multi in immunditia sorde computrescunt.*

Quid plura? Evenit Papistis sine dubio, quod Augustinus in Enchirid. dicit: *Peccata magna & horrenda, quum in consuetudinem venerint, aut parva esse, aut nulla creduntur, usque adeò, ut non solùm non occultanda, sed & prædicanda diffamandáque videantur.* Idem de verbis Domini serm. 45. *Qui*, inquit, *faciendo, quod malum est, & etiam mala consuetudine sese implicant, ipsa consuetudo mala non finit eos videre, quod malum est, fiuntq; defensores malorum factorum suorum. Irascuntur, quum reprehenduntur, in tantum ut & Sodomitæ quondam dicerent viro justo Loth reprehendenti nequissimam eorum voluntatem: Habitare venisti, non legem dare.* Et sic ut Papistæ more Pelagiano peccata ne pro peccatis quidem habeant, dictum.

Quinta Pelagianorum hæresis est, *Gentes potuisse ex Philosophia Deum agnoscere, & servari.* A qua sententia non abhorret ANDRADIUS lib. 3. Orthoxarum explicat. nec Ambrosius Catharinus Episcopus: qui commentar. in 1. Timoth. 4. ait: *Quosdam non fide posse servari.* Quod perinde est, ac si diceret, quosdam servari posse, qui Deum, qui

5. Gentibus per se salutem obtigisse sentiunt Papistæ cũ Pelagianis.

Aa Chri-

ste Apostolo, Rom. 5. ℣. 9. dicente: *Justificati sumus sanguine ipsius*, scilicet Christi. Et 2. Cor. 5. 1. *Reconciliati sumus per ipsum Christum*, &c.

Objectio de Luthero & Zuinglio.

Objiciunt Pontificii, Annon verò etiam Lutherus & Zuinglius ad hæresin Pelagii, quâ Gentes per Philosophiam Deum cognovisse & servatos esse asserebat, accedunt? Nam ille in Commentariis ad Genesin cap. 4. pagina 87. f. b. de nostra salutis causa prima in hunc modum scribit: *Nos sub Papatu fortuito, ut sic loquar, venimus ad misericordiam. Non enim præcessit certa promissio futurum, ut nobis viventibus patefiat veritas, & manifestetur Antichristus.* Et paulo post: *Sic Nahaman*, inquit, *sic rex Ninivitarum, sic Nebucadnezar, & alii ex Gentibus fortuitâ misericordiâ salvati sunt. Item ad hunc modum propter electos, qui fortuitâ misericordiâ salvandi erant, & vita protectio, promissiones corporales seu legales, etsi magna & egregia sunt, tamen sunt incertæ & fortuitæ.* Et ibidem: *Periit Cain cum sua generatione, sine lux, sine crux, & sine Deus, exceptis iis, qui per fortuitam misericordiam servati sunt.* Ibidem: *Auget timorem Cain, quod Deus relinquit etiam ei tantum vagam misericordiam.* Pag. 91. f. a. *Sicut*, inquit, *Christus minister circumcisionis fuit, propter veritatem & certitudinem promissionis Judæis factæ, gentiũ autẽ minister fuit propter misericordiam, nam promissionẽ nullam habebant: ita quoq; posteritati Cain, fortuita illa misericordia contigit.* Hæc Lutherus. Zuinglius autem in expositione fidei paulò ante mortem suam ad Franciscum I. Regem Galliarũ scripta, ubi de æterna vita agit, per Apostrophen ad Regem conversus, ait: *Videbis illic Herculem, Thesеum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones, Antecessores item tuos, & majores, qui in fide hinc migrârunt*, &c. Quibus gentiles illos sine Christo salutem consequutus esse, videtur docere. Hactenus adversarii.

Defensio Lutheri & Zuinglii.

Verùm respondere possumus, 1. magnorum istorum virorum locutiones hujusmodi duriores excidisse illis, dũ vix è cœno errorum Papisticorum emerserunt: Quare in meliorem partẽ eas interpretari nos potius decet, quã tragicè exagitare, & in sensum sinistrũ atque alienum trahere. *Deinde*, quæ à Zuinglio figuratè & metaphoricè dicta sunt, non debent propriè accipiendo adulterari. Et committunt Adversarii in hac ejus Apostropha divexanda manifestam fraudem paralogismi à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Nam eo in libro expositionis fidei Christianæ Zuinglius non aliter, quam apertè & liberè docuit: *Quicunque Ethnicorum salvati sint, esse haud alia ratione quàm per Christum servatos.* Adde, quod omnibus in suis concionibus ac scriptis ambo, tam Lutherus quàm Zuinglius, perpetuam hanc & constãtem de justificatione fidei sententiam doctrinamque proposuerunt, omnib. hominibus in universum tam gentilibus quàm Judæis & Christianis, qui salvati sunt, salvantur & salvabuntur, gratuitá Dei misericordiâ absolutionẽ à peccato & morte simul, ac imputatione justitiæ ad vitam æternam & gloriam Dei, contingere, imò dari & conferri, propter solum Christum, ejusq; justitiam, quibus per fidem induti, cõpareant coram Dei tribunali sancti, inculpabiles & accepti. Num non autem

hæc eadem Christi & Apostolorum perpetua constansque de salute hominum sententia atque doctrina est, Johan.3 4 5.& 6.&c.ac per totas epistolas ad Romanos & Galatas ?&c. Ne igitur Pontificii sibi ac Pelagianis similes putent ac dicant Lutherum & Zuinglium, qui potius fanaticas omnes & falsas de justificatione opiniones acerrimè oppugnarunt, & solidissimè confutarunt. Sed plenior assertio doctrinæ Zuinglii & Lutheri de justificatione in locis nostrorum communibus, aliisque scriptis passim habetur.

6. *De impletione legis hæreticam tenent Pontificii opinem.* Sexta hæresis Pelagianorum est, *hominem posse implere Legem Dei, & perfectè justum esse: si vero injustus aliquando dicatur, ita dici comparatione facta cum Deo.* Atque ita istas Scripturæ sententias interpretantur. *Justitia nostra est instar panni menstruati: & nemo bonus, ne unus quidem* & alias sententias hujusmodi, authore Augustino.

I. a.64.6. *Psal.13.*

Rom 3.10. *Plura suprà hoc libro cap.6.*

Hic Papistæ ferè omnes docent, posse homines implere Legem Dei, ita ut ex Lege justitiæ vitam æternam mereantur & consequantur, & eodem modo superiores illas Scripturæ sententias interpretantur, quo Pelagiani. Nam nominatim Jodocus Tiletanus in libro contra confessionem Antuerpiensem cap.6.de justificatione talem interpretationem affert.

Bellarminus lib.3.de Pontifice Romano, cap.25. *Non timemus asserere*, inquit, *posse hominem per gratiam Dei justificatum, ejusdem gratia adjutorio* LEGEM IMPLERE, *& ea impletione vitam æternam promereri.*

Jesuitæ autem Colonienses Censuræ scriptores, agentes de lege Dei, incipiunt fol.ejusdem 48.magnâ vehementiâ affirmare, & longa oratione contendere: *Renatos in hac vita posse suis operibus legis perfectionem consequi.* Dicunt: *Nemo tantam impietatem in homine ferat, ut seriò alicui imperet, quod absolvere non possit, & tamen nisi præcepto obtemperet, supplicia interminetur.* Ergo nisi velimus Deo vel inscitiam vel impietatẽ impingere, dicendũ est, nos ea, quæ Deus in lege præcipit, posse perfectа & integra obediẽtia implere. Quasi verò scriptũ sit, per legẽ agnitio virtutis nostræ, quid scilicet & quantum possimus præstare ac non potiùs: *Per legem est cognitio peccati*, &c. quid scilicet non possimus præstare. Pergunt Jesuitæ, & fol.53. *Gentes*, inquiunt, *quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, quomodo ergo lex non possit à renatis perfecta integritate impleri?* Item: *si renati in hac vita non possunt suis operibus legis perfectionem assequi, sequetur Adæ inobedientiam plus nobis ademisse, quàm Christi passio & gratia restituere posset. Qui diligit, legem implevit*, Item: *Præcepta ejus graviora non sunt.* Et Ezechias 4.Reg.10.dicit: *Se corde perfecto ea, quæ Deo placita sunt egisse.* Luc.1 *Zacharias & Elisabetha incedunt in mandatis Dei sine querela.* Citant etiam quasdam ex patribus sententias: *Deum nihil impossibile homini præcepisse.* Item, quod Pelagiani Hieronymo objecerũt Dial.2. *Anathema sit, si quis dixerit, Deum præcepisse impossibilia.* Et ex Bernardo, qui scripsit in Cantica Canticorum, sermone 50. *Non latuit præceptorem præcepti pondus hominum excedere vires.* Item: *Ergo mandãdo impossibilia, non prævaricatores homines fecit, sed humiles, ut omne os obstruatur, & sub-*

Rom.3.10. *Rom.7.7. & 3.20.* *Rom.13.8.* *1.Joh.5.3.*

subditus fiat omnis mundus Deo. Hæc ferè sunt argumenta ipsorum. Sed nos plenam illorum refutationem afferimus in opere nostro de bello Papistico circa religionem lib 2. cap. de lege. Hîc sufficiat indicasse & probasse, Pontificios in doctrina de perfecta legis divinæ observatione idem cum hæreticis Pelagianis sentire. Quare etiam sanctus Hieronymus illam explicationem dictorū Isaiæ 64. ℣. 6. & Psal. 13. ℣. 2. 3. &c Rom. 3. 10. quā Pelagiani & Tiletanus, aliiq; Pontificii afferūt, *hæreticā* esse dicit & damnat etiam Pelagianorū opinionem de perfecta legis impletione. In Dialogis enim suis contra Pelagianos copiosissimè & apertissimè probat, hominem non posse legem Dei implere. Et idem Augustinus de Spiritu & litera cap. 36. Item epistola 45. ad Hieronymum affirmat. Quo minùs autem Pontificii è laqueo illius hæresis de possibilitate perfectè implēdi legem Dei elabantur, arctissimè etiam eos constringit præterea opinio illorum doctrinaque confidentissima & insolentissima de operibus supererogationis, ut appellant, quâ incredibili cum arrogantia æquè ac impudentia tradunt: *Hominem, præsertim Monachum & rasum posse etiam plura facere, quā Deus mandarit, & debeat.* In quo reddēda est illis gravissima ratio ipsi Domino Christo, quum hoc ejus dictum manifestissimè negent atque oppugnent, quo dicit: *Quum feceritis omnia, quæ injuncta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Imò ne hoc quidem. Lucæ cap. 17. 10. De his tamen postea plura in 8. Pelagiana hæresi & 9.

Septima hæresis Pelagianorum, quam sequuntur Pontificii, est de Prædestinatione. Illi enim docuêre, *homines prædestinari propter opera bona.* A qua sententia nihil diversi docent papistæ, ut hanc esse communiorem Theologorum papisticorum opinionem, satis constat ex omnibus illorum libris, ubi de justificatione, prædestinatione, gratia & bonis operibus agunt, præsertim Bellarmini in tertii Tomi tertia controversia generali, libro 2. de reparat. gratiæ per Jesum Christum Dominum nostrum, capite 9. pag. 154. & cap. 15. pag. 186. ubi scribit: *Non defuerunt, qui distinguerent prædestinationem ab electione, ac dicerent; Prædestinationem esse priorem electione: & prædestinatione quidem præparari certis hominibus infallibilia media ad salutem: Electione verò præparari gloriam. Denique prædestinationem esse planè gratuitam, electionem autem à bonorum operum prævisione pendêre. Horum sententia non est ullo modo errori Pelagianorum aut Caßiani & Fausti affinis, & videtur aliquando ipsius etiam* AUGUSTINI *fuisse. Nam in lib. 1. ad simpl. quæst. 2. sic ait: Non quia invenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideò manet propositum justificationis ipsius: sed quia illud manet, ut justificet credentes, ideo invenit opera, quæ jam eligat ad regnum cœlorum, &c.* 7 *De prædestinatione Pontificios hæreticam doctrinam habere.*

Veruntamen (subjicit) *est hæc opinio parum congruens cum Scripturis, & libris Augustini posterioribus, & ipsa ratione.* *Refutatio ejus hæresis.*

Ambrosius item Catharinus præclarus author Papisticus & Episcopus, qui Concilio Tridentino interfuit, hanc esse *hæresin* in commentariis super Epistolam ad Romanos cap. 8. fatetur. Et eodem in loco ait: *Multos Scholasticos &*

„ *tur justitia, quia juxta uniuscujusque dignitatem singulis tribuit.* Inde fol. 191. *Deus,* „ ajunt, *ob immensam suam liberalitatem ut* „ *nos ad pias actiones vehementiùs accendat,* „ *non contentus justitia distributiua, voluit aliquā inire rationē, ut quadā etiam commutatione nobiscū ageret, vitamq; æternā* VENALEM *proponeret.* Et fol. 201. *Fatemur nos,* „ inquiunt, *Christi fideles operari rectè Dei* „ *adjuvante gratia posse, rejectis omnium peccatorum sordibus, atque auctorem cœli gloriā, tū denique viam æternā promereri, &c.*

Hujus sententiæ hanc reddunt explicationem & rationem folio 189. quòd dicunt: *Opera hominum si per se considerentur, non possunt promereri vitam æternam. Nam finiti ad infinitum nulla est proportio. Sed Christus passionis suæ acerbitate nostris actionib. hanc omnino virtutem tribuit, ut facultate essent prædita promerendi vitam æternam. Ex Christi enim passione & spiritu sancto inhabitante, infinitas quædam operibus nostris tribuitur,* &c. Passus est ergo, quantum hîc audio, Christus non propter peccata nostra, sed propter bona nostra opera. Folio 192. *Deus bonis renatorum operibus vitam æternam, tanquam debitam mercedem persolvit, quia pactum nobiscum inuit: Si vis ad vitam ingredi serva mandata,* Mat. 19 ℣, 17.

Belligerātur Pontificii inter se ob operum merita.

Utq; impudentia atque adeo amētia Pontificiorum in hac hæresi & tradenda & tuenda meliùs perspiciatur, animadvertendæ sunt fervidissimæ ipsorummet etiam digladiationes inter sese ob operum merita, quibus tanquā adversis aciebus variè & infestè pro illis inter sese depugnant. Nonnulli enim docent, *opera nostra bona jure promereri vitam æternam ratione operis, etiamsi nulla extaret divina promissio,* ut Thomas & Cajetanus in prima secundæ quæst. 114. art. 3 & Dominicus à Soto lib. 3. de natura & gratia, cap. 7. Contrà alii tradunt; *Opera jure quidem promereri vitam æternam, non tamen ratione operis, sed tantùm ratione pacti & acceptationis divinæ:* ut Scotus in 1. sent. dist. 17. quæst. 2. & Andreas Vega in opere de justificatione, quæst. 5. Alii *opera promereri utroque modo,* ajunt, ut Bellarminus de justificatione lib. 5. cap. 17. qui Jesuitas suos habet suffragantes. Alii *neutro,* ut Durandus: cujus sententiam propterea Bellarminus eodem libro capite 16 refellit. Denique plerique Pontificii *Deum bona opera ex mera liberalitate supra dignitatem eorum remunerari affirmant:* Contrarium tamē docet Andreas Vega de justificatione quæst. 5. ut etiam Bellarminus de justificatione lib. 5. c. 19. agnoscit.

2\. *Operum super rogationē statuunt Pontificii ut Pelagiani.*

Altero modo Pontificii maculam hæreseos Pelagianæ de operum meritis indelebiliter contraxerunt, quòd eorum Monachi omnis ordinis ac professionis operum supererogationē quoque jactitant & venditant, eâ maximè de caussâ, quia plura & certiora vitæ æternæ præmia mereantur. Qua in persuasione etiam antesignanos & hæresiarchas habent suos *Donatistas qui sine peccato se esse ajebant, ita ut etiam reliquorum justificatores sese jactitarint,* teste Augustino.

Orthodoxa de operum meritis doctrina.

Istas itaq; hæreses jugulat & damnat sanctus Paulus uno dicto, quasi ictu validissimo, inquiens Rom. 6. 23. *Stipendia peccati mors: Donum autem Dei vita æterna per Christum.* Unde si donum est Dei vita æterna. Ergo non est meritum operum nostrorum. Job. 22. 2. *Bonum* *tuum*

bentis, ut 1. Theſſ. 4. 3. dicitur: *Hæc eſt voluntas Dei, nempe ſanctificatio veſtra.* II. Ut proximum noſtrum ſublevemus noſtro pietatis & bonorum operum ſtudio, Deum glorificemus, & adverſariis os obturemus, Luc. 6. 7. Math. 5. 16. 1. Pet. 1. 2. 12. Tit. 2. 8. Denique ut tam fidei fructus edamus ea dignos. Math. 7. 17. Rom. 8. 14. 1. Joh. 3. 9. *Omnis natus ex Deo, peccatum non committit*, id eſt, per contrarium affirmatum, bonis operibus ſtudet, quoniam ſemen Dei manet in eo: quàm ex fidei fructibus electionis & vocationis noſtræ certiores ſiamus, & nova exiſtentes creatura, ſpem vitæ æternæ in nobis foveamus, 2. Pet. 1. 10. Jacobi 2. 17. Mala autem opera non modò injuſtitiæ, intemperantiæ, avaritiæ, gulæ, acediæ, luxuriæ, furti, homicidii, &c. verùm etiam multò magis ſuperſtitionum, idololatriæ, cultum electitiorum, quos hominum ſtultitia & avaritia excogitavit, errorũ ac hæreſum ſunt fugienda, quia à Deo ſeveriſſimè prohibentur, eique diſplicent, Exod. 20. Pſal. 5. 5. 6. Coloſſ. 2. Impediunt omnia ſpiritualia exercitia, labefaciunt fidem, vaſtant conſcientiã, invocationem Dei turbant, Spiritúmque ſanctum triſtitiâ afficiunt, Eph. 4. 30. Profeſſionem Euangelii & gloriam Dei deformant, Rom. 2. 24. 2. Sam. 12. 14. Accerſunt pœnas tam temporales, bella, famẽ, peſtem, calamitates omnis generis, Deut. 28. 15. &c. Pſal. 90. 8. quã ſempiternas, & merentur damnationẽ æternam, teſtante ſic Paulo: *Qui talia agunt, non habent partem in regno Dei, neque illud poſſidebunt*, Gal. 5 21. 1. Cor. 6. 10. Si verò dicas: Si peccatis æternã damnationem meremur, ergo bonis operibus vitam æternam promeremur, falſa eſt conſequentia. Nam bona à Spiritu Dei proficiſcuntur, mala ex nobis: mala perfectè mala ſunt, bona verò opera manca & imperfecta. Sic non ſequitur, hic ſeipſum poteſt occidere, ergo poteſt ſeipſum vitæ reſtituere, &c.

Nona & poſtrema hæreſis fuit Pelagianorum, falſa & perverſa doctrina de gratia Dei & viribus humanis, quam cum illis Pontificii communem habẽt. Ea partim eſt ſuprâ, hoc cap. artic. 3. explicata, ſed hîc pluribus confirmanda. *Fuerunt enim* Pelagianorum axiomata: *Præſtantibus, quod in ſe eſt, nunquam defuit, deeſt, aut deerit gratia divina*, quod Auguſtinus de illis refert & Concilium Arauſicenſe. Item: *Voluntas ex ſuis naturalibus poteſt ſe diſponere ad gratiam.* Item: *Quando ex libero arbitrio procedit voluntas cupientis, tunc datur Spiritus ſanctus*, ut Auguſtinus de illis refert de gratia lib. 1. cap. 14. & 19. *Poſterius negat* quidem Bellarminus doceri à Pontificiis communiter, ſed mirè ſe torquet, ita ut nõ poſſit evadere, quin ſe & ſuos hujus hæreſeos laqueo implicet. Nam primùm lib. 5. de reparat. gratiæ cap. 1. pag. 337. & cap. 4. pag. 351. fatetur Scotum, Durandum, & Gabrielem Bielem & alios in 2. ſentent. diſtinct. 28. & in 3. diſt. 27. pro libero arbitrio ita pugnare, *ut libertati & viribus humanæ voluntatis tribuant, quòd poſſint ſe naturâ ad gratiam diſponere.* Deinde, *Nos*, inquit, *id ſequuti, quod plures & graviores Theologi docent, ut Alexander in 3. part. ſum. quaſt 60. Albertus in 2. ſentent. diſtinct. 28. S. Thomas in 1. 2. quaſt. 109. artic. 2. 3. & 4. & in 2. 2. quaſt. 10. artic. 4. S. Bonaventura in 2. ſentent. diſtinct. 28. tres*

9. De gratia & viribus humanis Papiſtæ malè cum Pelagianis ſentire.

propositiones constituemus. Prima erit: Non posse hominem solius naturæ viribus implere omnia mandata moralia, secundùm substantiam operis. Secunda: Imò nullum omnino morale præceptum servare posse suis solis viribus, si tentatione urgeatur. Tertia: Posse tamen, nulla tentatione urgente, sine fide, cum auxilio speciali, & etiam sine illo, suis viribus, aliquod bonum morale ita perficere, ut in eo nullum peccatum admittat. Ergo sic, dum effugere vult Jesuita hanc Pelagianorum hæresin, voluntatem ex suis naturalibus posse disponere ad gratiam, involvitur eâ maximè, & insuper ejus se laqueo amplius implicat, de qua suprà in sexta Pelagiana hæresi dictum, quòd homo perfectè & sine peccato possit legem sive totam, sive ex parte confícere. Hinc Censuræ Coloniensis authores fol. 37. dicunt: *Deus suâ gratiâ semper præstò est, si viderit animum ad ejus susceptionem paratum & promptum, si non reluctantem reperiat.* Quasi dicant: Si se suis naturalibus priùs præparârit & disposuerit voluntas humana ad gratiam. Ad hæc manifestè Synodus Tridentina (ut & paulò antè in 5. Pelagianorum hæresi citatum) Canone nono sess. 6. sancit: *Anathema esse eos, qui negent hominem nulla ex parte propria suæ voluntatis motu ad justificationis gratiam præparari atque disponi.* Unde colligitur contra Bellarminum, nunc hanc sententiam Pelagianam ex decreto Tridentino communem, & quamvis hæreticam, tamen impunè licitam esse. Vide supra in 3. hæresi Pelag. de lib. arbitr. plura.

Orthodoxa sententia, an voluntas suis naturalibus ad gratiam se disponere queat.

Nos, ut eam caveamus, observare debemus Canonem 23. Concilii Arausicani, quo docetur, quum malè facimus, id à nostra propria voluntate & ejus naturalibus viribus manere; quum autem bona agimus, id à Dei voluntate proficisci. Nam hæc ipsissima ejus sunt verba: SUAM *voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet. Quando autem ita faciunt, quod volunt, ut divinæ serviant voluntati quamvis volentes agant, quod agunt, illorum tamen voluntas est, à quo præparatur, & obitur, quod volunt.* Ideo etiam Scriptura sacra ubi bona opera commendat, & Deo grata esse prædicat, non loquitur de factis ex puris naturalibus ante regenerationem, sed de verè bonis, quæ absque fide nulla fieri possunt, & de operibus Abrahami patris credentium. Et nulla unquã fuit inter Apostolos quæstio de operibus nõ renatorum, quum peccata sint, licèt alia aliis graviora. Nam Ephes. 2. 5. *Naturâ sumus filii iræ,* passivè videlicet, id est, judicio Dei irati obnoxii. Et Heb. 11. 6. *Impossibile est Deo placere absque fide.* Itaque quum quæstio est, quid liberum arbitrium naturale, quale est ex prima nativitate, valeat & possit in rebus spiritualibus, seu ad salutem pertinentibus, referimus solutionem ad regenerationis rationem, quando mens & voluntas renovari cœpit per Spiritum sanctum, & fide illustrari atq; ornari. Ac dicimus cũ Augustino de gratia & libero arbitrio cap. 16. *Certum est nos velle, quum volumus, sed ille facit, ut velimus, qui operatur velle,* &c. nẽpe Deus, ut Philip. 2. ỳ. 13. habetur. Item de correptione & gratia 2. *Intelligant, si filii Dei sunt, se Spiritu Dei agi, ut quod agendum est, agant, & quum egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant, aguntur enim, ut agant, non ut ipsi nihil agant.* Et hîc inprimis cavẽdæ sunt æquivocationes. Nam ut

Rom. 14. 21. Rom. 4. 2 3. 25.

ut Pelagii artificium erat, & mente & voce primùm crassè dicere, *Voluntas suis naturalibus se ad gratiam disponere potest.* Item: *Quando ex libero arbitrio procedit voluntas capientis, tunc datur Spiritus sanctus petentibus*, ut recitat August. de gratia Christi lib. 1. c. 14. Postea autem, quum videret se nimium crassis & pinguibus suis propositionibus pios statim offendere & abalienare, tandem cœpit ita loqui: *In omni opere bono hominem semper adjuvari à gratia*, ut Augustinus contra duas Epistolas Pelagii lib. 1. cap. 19. scribit. Et lib. 4. cap. 6. recitat hanc Pelagii propositionem: *Gratiam adjuvare bonum cujusque propositum.* Quamobrem Augustinus hac re rectè & sagaciter animadversâ, inquit: *Sine scrupulo hac acciperentur, si non ab istis, quorum sensus notus est, dicerentur.* Ita priore modo docent Pontificii, ad tuendum liberum arbitrium; posteriore autem ad declinandam offensionem.

Docere, facienti quod in se est, Deum non denegare gratiam esse hæresin.

Jam quoad alterum, quod in hac nova Pelagianorum hæresi fit ac docetur, *Facienti* nimirum, *quod in se est, Deum non denegare gratiam*, idem sentire ac docere Papistas, præserim Scholasticos Theologos, in quibus prora & puppis scientiæ ac fidei Papisticæ maximè collocatur, non negat ipse Bellarminus, sed prolixè demonstrat tum lib. 3. & 4. tum inprimis quinto de reparatione gratiæ cap. 1. pag. 337. & cap. 4. pag. 351. Ac lib. 6. cap. 6. pag. 508. 17. ita scribit: *Objici potest illud commune Scholarum; Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam. Hinc enim sequitur, ut si quis faciat, quod potest solis naturæ viribus, is hoc ipso disponatur ad gratiam, aut certè ad auxilium speciale, per quod deinde praeparetur ad gratiam.* RESPONDEO: *Dictum illud commune scholarum rectè exponitur à sancto Thoma in 1. 2. quæst. 109. art. 6. ad secundum, & quæst. 112. art 3. ad 1. & à sancto Bonaventura in 2. sentent. distinct. 28. art. 2. quæst. 1. qui docent, tunc facienti quod in se est, cooperando gratia Dei, à qua movetur. Nam ea, qui facit, quod in se est ex solis naturæ viribus, non debetur gratiâ, sed pœnâ, quoniam pro uno aut altero bono opere morali, quod fortasse faciet, plurima peccata lethalia sine dubitatione committet.* NB. *Sanè qui docent,* « *hominem faciendo, quod in se est, solis naturæ* « *viribus ad gratiam praeparari: aut opinan-* « *tur, eum suis viribus posse desiderare & petere* « *à Deo gratiam, & hac est* HÆRESIS PELAGIANA, *ut ex Concilio Arausicano, aliisq; testimoniis suprà citatis probatum est: aut certè existimant posse hominem servare propriis viribus omnia præcepta moralia, & innocenter vitam agere secundùm rationem, & hac sanctitate morali provocare Deum ad auxilium speciale sibi donandum, quo tandem ad fidem gratiamq; perveniat: sed hac quoque est* HÆRESIS PELA- « GIANA, *in libro superiore* (scilicet) *satis* « *superq; refutata. Ut omittam, nullum ejusmodi hominem ex historiis posse monstrari. Catones enim, Socratem, aliosq; horum similes, qui inter Ethnicos sanctissimi judicati sunt, multos vitiis coopertos fuisse, facilè demonstrari potest.* Hæc ille: qui licet mollissimè & lenissimè communem opinionem Papistarum de eo, facienti quod in se est, à Deo non denegari gratiam, interpretetur: tamen non potest non fateri, esse eam etiā inter Romanæ Ecclesiæ Doctores & sectatores nimis communem ac familiarem, simulque hæreticam, imò nominatim *hæresin Pelagianam.* Eant igitur nunc Papistæ, &

se hæreticos esse negent, quum & ipsimet fateantur, & à nobis (ut cæteras non persequar Pelagianorum hypotheses, quæ sunt ferè innumeræ, illis cum nostris Pontificiis communes) convincantur, esse sese omnium hæresum Pelagianorum luto contaminatissimos.

Orthodoxa sententia. Et ne sine orthodoxæ sententiæ corollario hanc hæresin de isto communi dicto, Faciendi quod in se est, Deus non denegat gratiam, dimittam, oppono ei nonum Canonem Concilii Arausicani, qui est: DIVINI *est muneris, quum rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia tenemus. Quoties enim bonum agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.*

Atq; hujus veritatis tantus est splendor, ut ipsius quoque Bellarmini clausos oculos non semel videatur feriisse. Multis enim in locis vi veritatis adactus ita loquitur, ut prorsus idem nobiscum & cum Scripturis sacris sentire videatur. Sic enim ait: *Quis nostrûm dicet, consentire* (scilicet gratiæ Dei) *propria esse voluntatis, id est, ex propriis viribus? Non hoc dicimus, sed consentire ad voluntatem pertinere docemus, posteaquam præventa est à Domino, & sic accepit consentiendi potestatem.* *Lib. 6 de gratia & lib. arb. c. 11.*

Cap. 15. Et alibi: *Ipsum*, inquit, *velle credere aut converti non potest homo habere, nisi per gratiam prævenientem acceperit, ut possit. Neque est in potestate hominis, ut Deus illum vocet, & excitet, alioqui nō diceret Apostolus 2. Tim. 2. Et quando det eis Deus pœnitentiam & convertatur à Diaboli laqueis.* Atque hoc ipsū ibidē declarat hac similitudine: *Quemadmodum aqua ut possit calefacere, non solum exigit concursum divinum, quo adjuretur, sed etiam ut priùs in ipsa imprimatur forma caloris, quæ sit ratio agendi. Sic & humana mens, ut pariat actum pietatis, non auxilio tantùm eget cooperationis Dei, sed etiam gratiâ præveniente, illuminatione cordis & boni desiderii inspiratione, quæ sit ratio agendi bonum pietatis opus.* Quibus verbis Bellarminus apertè docet, voluntatem hominis in sui regeneratione cooperari quidem Deo, ejusque gratiæ consentire, sed non ex propriis & naturalibus, sed supernaturalibus per Dei gratiam prævenientem sibi inditis viribus. Etsi igitur alibi & à semetipso, & à Scriptura, & ab aliis etiam suorum multùm hac in re dissentit: tamen in his jam dictis rectè & orthodoxè credit.

CAP. II.

Pontificios circa Baptismum Marcionis, Peputianorum, Marcosiorum & Messalianorum hæreses imbibisse & sequi.

PERGAM nunc pleno gradu ad hæreses, quas Pontificii etiam circa Sacramenta designant. Duo autem legitima tantùm & vera esse Christianæ Ecclesiæ Sacramenta, unum videlicet Initiationis seu Insitionis & Regenerationis, quod est BAPTISMUS, alterum Nutritionis seu Alimoniæ, nempe Cœnam Dominicam vel Eucharistiam, tum sacræ literæ docent, tum primitivæ Ecclesiæ praxi probatur. Nec aliter esse potest, quum tantùm Baptismus & Eucharistia fidei justitiam obsignent, & plures nostræ cum Christo capite communionis tesseræ à Paulo 1. Cor. 12. non recenseantur. Ac licet hæc pura & incorrupta à Christo instituta,

tuta.atque ab Apostolis tradita propagataque fuerint: tamen non paucos nec leves hæreses circa ea Diaboli instinctu seminatæ sunt.

1. Mulieribus baptismum committere & sacra administrandi potestatē dare, est hæreticum.

In Baptismo enim MARCION antiquissimus hæreticus *mulieribus permisit, ut baptizarent*, referente Epiphanio hæresi. 42. PEPUTIANI verò *totum ministerium Ecclesiasticum ac sacerdotium fœminis committunt*, authore Augustino ad Quodvult Deum cap. 27. Sic pontificii fœminæ cuivis licere statuunt, baptismatis sacramentū administrare, quum ficta quædam nescio quæ necessitas obtigerit. Quinimò quod omni absurditate majus, JOHANNES HOLTUSIUS Kempensis in libello de modo examinandi sacrorum ordinum candidates latiùs hanc potestatē extendit, scribens pag. 137. *Necessitate exigente, quilibet homo quicunque tandem fuerit, sacerdos sive laicus, vir sive mulier, Catholicus sive Hæreticus, Christianus, Judæus sive Paganus, modò prædicta tria, puta materiam, formam & Ecclesiæ intentionem, ritè observet, hujus sacramenti minister esse potest.* Et Bellarminus lib. 1. de baptismo cap. 7. *Episcopis, Presbyteris & Diaconis absentibus licere etiam in casu necessitatis baptizare omnibus mulieribus & infidelibus.* Bonifacius, quem Germanorum Apostolum vocant, permisit circa annos Christi 720. Monialibus concionari, ut Balæus Centuria 2. c. 13. Scriptorum Britannicorum testatur. TECLA quoque ad fluvium Mogum sive Moganum Kitzingi, & LIEBA in Bischofsheim concionatę sunt, authore Casparo Hedione lib. 6. cap. 21. ex Vilibaldo. Quin eousque, uno inconveniente semel dato, progressa fuit audacia, ut quædam Abbatissæ etiam manus imponere, ordinare sacerdotes & velare virgines præsumerent. Quid dicam de Agnete Papissa, quæ se Johannem VIII. vocavit?

Hæreticis, Judæis & Ethnicis dant Pontificii licentiam baptizandi.

Confutatur hæresis Gynæcobaptismi.

At præter id, quòd hoc apertè *Marcionis & Peputianorum hæreses* olet, beatus quoque Apostolus Paulus docet 1. Cor. 11. & 14. 34. indignum esse mulieres & fœminas ullam omnino sacri ministerii partem tractare. Quin ne licere quidem mulieribus in Ecclesia loqui, clarè docet. Et ista contra morem Ecclesiæ fieri, *Carolus Magnus* in suis constitutionibus indicat, graviterque monet Episcopos, ne hæc fieri permittant. In *Parisiensi* quoque Synodo sub Ludovico & Lothario habita, præcipitur cap. 41. & 43. *ne Abbatissa & cæteræ Sanctimoniales vel viduas vel virgines velēt.* At quoniam fusiùs contra hanc cōsuetudinem egimus, quâ fœminis ullum ministerium in Ecclesia committitur, Tractatu superiore, ubi Peputianismū à cervicibus Euangelicorum longè detulimus, nunc de sola baptizandi facultate, in Papatu tam fœminis quàm aliis muneri Ecclesiastico non destinatis concessa, differemus, ut ipsummet totum caput 7. lib. 1. de sacramento baptismatis, in Tomo 2. disputationū de controversiis religionis Roberti Bellarmini excussuri simus.

Bellarmini cap. 7. lib. 1. de baptismo excutitur.

1. Hæretici sunt omnes, qui extra prædicandi potestatem baptizant.

Utrum laici, qui nullam Dei verbi prædicandi potestatem in Ecclesia habent, baptizare possint, toto capite 7. lib. 1. de baptismo Bellarminus quærit. Ait iste *Hæreticos esse, qui eos in casu necessitatis baptizare posse negant.* Contrà affirmamus hæreticissimos esse, qui laicos hoc posse facere, id est, posse baptizare do-

docent: id quod contendunt scholastici & Doctores Romani. *Catholici docent*, inquit Belarminus, *jus baptizandi convenire, 1. ex officio ordinario* EPISCOPIS, *2. subordinariè* PRESPYTERIS *3. extraordinario officio atque in absentia sacerdotum, aut eorum jussu* DIACONIS, *4. nusquam licere solenniter baptizare, imò nec privatim* LAICIS, *Sacerdote aut Diacono præsente. Sed 5. ipsis absentibus licere quidem etiam in casu necessitatis omnibus* LAICIS, *imò etiam* FŒMINIS & INFIDELIBUS *baptizare.*

Verùm quid de ministris baptismi constituerint Pontificii suis edictis & libris, non est res ista illorum juris ac potestatis. Solius Dei est, & ipsius verbi scripti hoc definire. Definit autem & docet in genere, EORUM esse duntaxat vel ordinariè vel extraordinariè Sacramenta administrare in Ecclesia, qui in eadem legitimè verbū Dei prædicare possunt, quibusque hæc potestas data est. Ergo qui non habent jus & potestatem publicam prædicandi in Ecclesia, ii nec potestatem habent sacramenta administrandi. Confirmatur hæc sententia ex Math. 28. 19. Mar. 16. 15. 16. & 1. Cor. 4. 1.

1. In jure baptizandi Episcopis, Presbyteris & Diaconis dando Papistæ dissentiunt.

SEX autem decreta & præcepta de iis, quorum sit baptizare, commemorando Bellarminus Romanam Ecclesiam errorum totidem arguit. In *primo*, dum isti suis Episcopis & Presbyteris concedunt ex officio ordinario jus baptizandi, interim tamen istud jus postea in suis Presbyteris limitant, & illud iisdem adimunt. Addunt enim non licere Presbyteris hoc suo ordinario jure uti, nisi ex concessione & voluntate suorum Episcoporum speciali. Pugnat ergo primùm secum hæc oratio. Nam si Presbyteri hoc jus habent ex officio suo, eoq́ue ordinario, nō habent opus speciali suorum Episcoporū permissione & privilegio. Sunt enim ista ἀσύστατα. Deinde, iisdem Presbyteris non concedunt prædicare, quod tamen jus est potestatis ad baptizandū fundamentum. Ergo negato illis fundamento, tamē isti superstruunt, quod est ineptum. Deniq; multis concedunt prædicare, quibus tamen prohibent baptizare: velut Monachis can. *placuit*, can. *juxta*, 16. quæst. 1. can. *pervenit ad nos*, 18, quæst. 2. Ex quo fit, ut in templis Monachorum nulli sint fontes baptismales.

Diaconis an baptizare liceat.

Secundus Pontificiorum canon est, *licere Diaconis baptizare in absentia sacerdotum, seu Presbyterorum*. RESPONDEMUS, *Primùm* fatetur iste rem illam & thesin adhuc esse in Ecclesia sua cōtroversam, quum de ea aliter sentiant Tertullianus & Hieronymus, aliter Ignatius in epist. 10. & Epiphanius hæresi 79. Hi negant, illi affirmant. Nec valet distinctio Bellarmini. *Ignatius* de ordinario Diaconorum officio loquitur; *Tertullianus* de extraordinario. Nā utrique de officio eodem Diaconorum agunt, nec habent vel nōrant istas commentitias distinctiones & novas. *Deinde*, non quid Ignatius & Tertullianus de Diaconorum officio statuant, videndum est: sed quid Dei verbum scriptum definiat. Definit autem eos, qui in Ecclesia sunt merè Diaconi, baptizare non posse sive ordinariè sive extraordinariè, quia verbum Dei prædicare non possunt. Hæc enim est perpetua & immota regula, ut qui prædicandi

candi jus non habent, nec sacramenta administrandi habeant.

Act. 6. 5. & 8. 5. 16. 38. Nec obstat, quòd *Philippus*, qui fuit Diaconus, etiam prædicavit & baptizavit. Hic enim Philippus quoque fuit Euangelista, ut Act. 21. 8. extat, non solùm Diaconus. Sed neque nostræ quoque sententiæ obstat dictum Pauli, 1. Tim. 3. 9. qui jubet Diaconos *tenere mysterium fidei*. Nam hoc primum est cómune omnibus fidelibus, ut teneant mysterium seu doctrinam fidei, quémadmodum 1. Pet. 3. 15. traditur: deinde hoc ipsum peculiariter quadrat Diaconis, quorum officium est privatim consolari afflictos in Ecclesia: non autem in ea publicè prædicare Dei verbum.

3. Laicis an liceat baptizare. *Tertius & quartus* Pontificiorum canon est falsus: nempe licere LAICIS baptizare in casu necessitatis. Nam hoc antea refutavimus, quia verbum Dei prædicare non possunt, quum non sint ad hoc munus electi, missi & vocati à Deo. Roman. enim 10. 15. & 12. 7. 8. Diaconia à prædicatione verbi Dei distinguitur.

4. Infideli non baptizato an liceat baptizare. *Quintus* Pontificiorum crimen est prorsus falsus, ineptus & absurdus, imò inter ipsos Scholasticos dubius & controversus: Nimirũ *in necessitatis caussa etiam infidelem, & qui baptizatus non est, posse baptizare.* Nam si baptizat, baptizat solùm de facto, nõ autem, ut est in cap. *veniens, extr. Presbyteri non baptizato*, legitimè & de jure. Nec obstat caput *ad Apostolicam, extr. de Presbytero non baptizato*, ubi satis Baptismus a Presbytero non baptizato datus probatur. Nam ex ea solùm caussa probatur, quòd baptizatus ille Presbyter credebatur. Communis autem error facit jus. L. *Barbarius Philippus, D. de officio Prætoris*. Verùm qui scienter baptizatus non est, non potest baptizare: sed ab eo baptizatus est rebaptizandus can. *quos à paganis*, consecrat. distinct. 4. Etsi Augustinus tamen dubitat lib. 2. contra epist. Parmeniani, & lib. 7. de Baptis. cap. 53. *Ratio 1.* Bellarmini est, *sic statutum fuisse à Nicolao I.* in can. *à quodam Judæo*, consecr. distinct. 4. & *in Concilio Florentino*, posse non baptizatum in casu necessitatis baptizare. RESPONDEMUS: Quæ Deus conjunxit, homo separare non potest, Matthæi 19. 6. Christus autem Math. 28. 19. conjunxit verbi prædicationẽ cum administratione Baptismi. Ergo sejungi ista non possunt. Non baptizatus autem scienter ad prædicandum in Ecclesia eligi non potest, cap. *veniens, extr. Presbytero non baptizato*: Ergo nec baptizare potest. *Ratio 2.* Tertulliani in lib. de Baptismo, & Hieronymi contra Luciferianos, nihil valet. Est enim hæc, *licet cuique conferre, quod habet.* Hoc falsum est. Diaconus enim faceret Diaconos, Apostolus Apostolos, quod nemo Christianis concesserit. Itaq; col. 249. L. D. hæc ratio ab ipso Bellarmino confutatur & repudiatur. *Ratio 3.* ipsius Bellarmini nullius est momenti. Ait enim: *Satis est, si qui baptizat, habet virtualiter, non autem formaliter Baptismum.* Nec enim ex eo, quòd quis Baptismum habet, aut nondum habet, pendet jus baptizandi: sed ex eo, quod prædicare potest.

Sextus canon est, *etiam* FŒMINAS *in extrema necessitate posse baptizare.* Hoc 1. ex Concilio Florentino probare Bellarminus conatur. At nihil ineptius & *6. Mulieribus an baptizare liceat.*

ἀθεο-

ἀθεολογώτερον est, quàm illud Concilii istius decretum. 2. Profert decretum Urbani II. can. super quibus, 30. quæstione 3. Atqui nos huic decreto opponimus decretum totius Concilii Carthaginensis 4. can. *Mulier*, consecrat. distinct. 4. Sed & Apostolum Paulum opponimus 1. Timoth. 2 12. Quia igitur istas suas rationes esse ineptas & falsas videt Bellarminus, quærit alias.

PRIMUM ex cap. 4. 26. Exodi, *Sephora*, inquit, *circumcidit filios suos* (quæ erat uxor Mosis) *atque adeo præsente Mose. Ergo fœmina in casu necessitatis baptizare potest.* Est enim circumcisio par in eo Baptismo. RESPONDEMUS ea, quæ Calvinus & verissimè & rectissimè respondit. PRIMUM nempe plus & aliud assumi in conclusione, quod est vitiosissimum, quàm sit in præmissis. Nam Sephora non in casu necessitatis circumcidit. Est enim casus necessitatis, quum abest ordinarius Minister. Atqui tum præsente Mose & Ministro, circumcidit illa. Ergo fœminæ extra casum necessitatis baptizare possunt, quod tamen isti negant, sese ex eo exemplo manifestè evertentes, & aliud quàm quod est in præmissis, ex eo exemplo colligentes. DEINDE respondentes, Circumcisionem veterũ non habuisse precisum Ministrum, sicut habet Christi Baptismus. Nam quilibet, ut apparet ex Jos. 5. 8. Gen. 17. 23. paterfamiliàs potuit (si voluit) suos domi circumcidere. At Christi Baptismus habet definitũ à Christo ipso Ministrũ, nempe Prædicatorem Euangelii. Itaque in Ministro non fuit par ratio Circumcisionis & Baptismi, quam iste putat. Est igitur hæc ratio fallacia partim à petitione principii, partim à non caussa ut caussa.

Excipit iste, *Sephora circumcidit in casu necessitatis, quia Moses, licet tunc præsens, suos filios circumcidere non poterat.* Cur id verò? Respondet iste, *quoniam gravissimè Moses tum ægrotabat.* RESPONDEMUS, istud est divinare cum Abenezara Rabbino. Unde enim hoc uterque didicit? Itaque hanc solutionem repudiat Bellarminus ipse ac confugit ad aliam. Nempe *Moses tunc terrebatur propter visionem Angeli. Quare exanimatus, suos filios tunc circumcidere non potuit.* Exod. 4. 24. RESPONDEMUS, At eundem Angelum vidit etiam ejus uxor Sephora. Cur ergo fœmina illa non fuit itidem, ut Moses vir ipsius, sic exanimata, ut filios suos attringere non posset? Hoc ipsum Sephoram fingere animo fortiorem Mose, quem tamen Deus tanquam fortissimum Athletam suum contra Pharaonem Regem & omnes Ægyptios tunc mittebat. Ista igitur non Versu 21. cohærent. Itaq; temerarius est Bellarminus in iis, quæ non novit, & se ingerens contra Pauli præceptum Col. 2. 18. nescit quid dicat, & cur Sephora, non Moses, in via suos filios circumcidit. RATIO est, quòd Moses inter Madianitas infideles versans, filios (quos ex Sephora Madianitide infideli fœmina in conjugio susceperat) non fuerat ausus circumcidere, & illis signũ fœderis atque Israëlitici populi, tunc Ægyptiis vicinis exosi, imponere metu uxoris, vel totius Madianitici populi. Quo facto Deus iratus, eum in via increpat, & ipsius uxorem Sepharam, quæ magis quàm Moses territa statim impetu animi, etiam circumcisionem ipsam

ipsam exosa, filios suos tamen statim propria manu circumcidit, & signum istud fœderis Dei tam pretiosum & sanctum Mosi marito suo indignabunda exprobravit, quasi propter illud signum crudelis pater esset, & ipse & omnes Israëlitæ in suos liberos, quos in tam tenera ætate ipsimet tam sæviter vulnerarent, dum eos circumciderent. Itaque hoc divini fœderis signo ostendebatur mulier & infidelis, & animi impotens. Unde Augustinus in serm. 86. de tempore, & alii eam à Mose ad Jethronem socerum ex itinere remissam (ne esset offendiculo toti populo Israëlitarum, aut ipsimet Mosi impedimento) putant ad Madianitas: quam tamen postea Jethro ad Mosem ipsemet reduxerit: Exod. 18. Disputat autem Bellarminus verbosè & contentiosè contra Calvinum, *utrum factum Sephora Deo placuerit*: sed ineptũ est. Excludat jurgia finis. Nam res est facilis vel ex levi distinctione. Circumcisio filiorum Mosis à Sephora facta non placuit Deo *vel* ex animo Sephoræ, *vel* ex vulnere ipso puerorum: sed ex eo, quod hoc pacto filii Mosis (qui ex Dei
Gen. 17. 7. promissione ad fœdus divinum pertinebant, licet ex uno parenti fideli nati)
1. Cor. 7. 14. signum istius divini fœderis acceperunt. Quod fieri Deus in semine Abrahami præceperat, Jos. 5. 6. 7. 8. Itaq; Angelus Domini post illam filiorum Mosis circumcisionem ab utrisque illis discessit.

2. *Secunda* ratio Bellarmini est ex Mathæi. 8. 19. sic: *Licet cuique pio in casu necessitatis docere alium: ergo & ipsum baptizare.* Quod est fallacia à dicto secundum quid. Nam non licet cuivis docenti in Ecclesia etiam baptizare ex eo Mathæi loco: sed illi duntaxat, qui missus est à Deo ad publicè prædicandum Euangelium. At iste locum interpretatur, quasi cuivis liceat, qui fratrem quocunque modo docet etiam baptizare. Id quod est falsum, 1. Cor. 1. 17.

Tertia istius ratio pro mulierum baptismo sumitur ab exemplis, quæ pro se citat iste, verùm eum oppugnant: nec inter ea ullum est, ubi vel fœmina baptizarit, vel quisquam nondum baptizatus, ut iste tamen vult c. 5. & 6. canone suo superiore. *Primum* exemplũ est *Philippi Diaconi*, qui Act. 8. 5. 16. baptizarit. RESPONDEMUS, quod suprà, eum quum baptizasset, fuisse constitutum Euangelistam ad Euangeliũ prædicandum. *Secundum* exemplum est *Ananiæ*, qui Paulum Act. 9. 18. baptizavit. Sed expressè hoc à Deo mãdatum acceperat Ananias ℣. 15. Deus autem vel ordinario vel extraordinario huic ministro, nimirum Ananiæ, hoc præcepit, qui quos vult, mittit & eligit. *Tertium* exemplum eorum, qui Cornelium & ejus familiam baptizarunt: quos privatos in Ecclesia fuisse Bellarminus asserit. RESPONDEMUS: Privatos eos fuisse falsum est, quia baptizarunt. Nam hi soli ex comitib. Patri Cornelium & alios ex jussu Petri baptizarunt, qui baptizare ex Christi præcepto potuerunt. Præterea Deus, qui missis in Cornelium & adstãtes Spiritus sancti donis jam eos baptizarat, hos, qui cum Petro erant, solùm aquæ ministros esse jubebat, ut quoque Petrus Act. 10. 47. & 11. 17. sensit, & quidem etiam extraordinariè, si

Margin: 3. (beside *Tertia*); Act. 11. 16. (beside "ptizarit. RESPONDEMUS"); Act. 10. 48. (beside "Cornelium & ejus familiam")

non habuerunt ordinariam prædicandi Euangelii potestatem. Sed nos sentimus, illos fuisse de numero Presbyterorum prædicantium, qui tunc Cornelium & alios illic præsentes baptizarunt, quales Præsbyteros vetus Ecclesia habuit egregiis à Deo donis ornatos. *Quartum* exemplum est eorum, qui tria hominum millia baptizarunt simul & uno die. Hos privatos in Ecclesia fuisse & divinat, & scribit iste: negatque Apostolos solos tot homines potuisse die illo uno baptizare. RESPONDEMUS esse fallaciam à petitione principii. Præsupponit enim, nō probat, eos qui tunc tria illa hominum millia baptizarunt, fuisse homines privatos in Ecclesia. Hoc enim falsum est. Singuli Apostoli eos, qui tunc fuerunt baptizati, baptizarunt seorsim singulos non collectim universos. Quemadmodum magnam infirmorum turbam sanabat Christus. Singulis enim manus imponebat, ut eos sanaret. Sic Apostoli singulos, quos baptizabant, aquæ tingebant. Deinde, errat fallacia à falsa interpretatione illius loci, ac proinde à non caussa. Fingit tria hominum millia unico illo die fuisse baptizata, fallitur. Tot quidem hominū capita fuerant, uno illo die addita Ecclesiæ Dei: verū ex his fuerunt aliquot solùm & aliqui baptizati. Nimirum illi soli, qui sermonem Dei lubentiùs susceperant. Itaque utrosque disertè distinguit Lucas Act. 2. 41. Bellarminus autem confundit & locum pervertit.

1 Tim 5. 17. Tit. 1. 5. 7. Act. 2. 41. Luc. 4. 4.

4. *Quarta* Bellarmini ratio ducta est ab exemplis & dictis Patrum: RESPONDEMUS his omnibus uno modo; Nēpe non quid illi omnes Patres citra atque etiam contra Dei verbum senserint & egerint, nobis spectandum est aut sequendum, sed quid Christus solus Ecclesiæ veræ Rex, Sponsus & Doctor Math. 23. 6. & 28. 19. constituit. Illi enim soli jus in Ecclesia baptizandi habent, quibus ille dedit. Dedit autem iis solis, quos ad suum Euangelium prædicandum vocavit, & vocat, ut supra demonstravimus. Caput autem Concilii Elibertini, quod Laicis concedit baptizare, totū scatet erroribus. Nam exceptiones ineptas addit; *Si remota sit vicina Ecclesia*, quæ sententia Dei gratiam alligat signo baptismi. Item, *Si non sit bigamus ille baptizans laicus*, quæ sententia secundas nuptias contra Dei præceptū, Heb. 13. 4 damnat: & alia falsa & inepta habet de adducendo postea ad Episcopū eo, qui taliter fuerit baptizatus. Quasi baptismus Christi non sufficiat jam baptizate: id quod est falsum & absurdū. Concilii Carthaginensis quarti c. 180. manifestè circumscribunt & depravant Scholastici. Nam illud disertè & simpliciter prohibet, *Ne mulieres ulli baptizent*, ut in omnibus codicibus apparet. Isti verò nefariè addiderunt ex suo Lombardo, *nisi necessitate cogente*. Et ita caput hoc ipsum corrupit Gratianus in can. *mulier*. consec. distinct. 4. & istam falsam additionem præter & verba & mentem Concilii esse agnoscit Bellarminus col. 253. L. B. quemadmodum & Thomas in 3. part. quæst. 67. art. 4. qui & ipse ineptissimam hanc rationē affert, cur fœmina baptizare possit, *quia in Christo*, inquit, *neq; esse* (ut ait Paulus) *masculus neq; fœmina*. Qua ratione quid absurdius & magnis repugnans Paulo ipsi-

Lib 4 sent. dist. 6. c. 1. Gal 3. 28.

ipsi 1. Tim. 2. 11. Nam hæc ratio Thomæ est fallacia à dicto simpliciter, &c. Quod enim ait Paulus de generali & communi Christi gratia in omnes homines, ubi neque est masculus, neque fœmina, id Thomas applicat & transfert imperitè ad illa Dei dona vocationum Ecclesiasticarum, quæ sunt certarum duntaxat personarum propria, & sexus masculini peculiaria. Quæ magna est sacræ Scripturæ depravatio in Thoma, & nobis facta impostura.

Origo mulierum baptismatis.

Calvinus itaque meritò miratur, *unde ista tanta audacia Scholasticis fuerit, ut fœminis baptizare concederent.* Respôdet Bellarminus ECCLESIÆ CONSENSUM *antiquißimum id probasse & admisisse.* At hoc omnino falsum est. Nã & Ignatius Epist. 10. ad Heronem scribit, ex consensu veteris Ecclesiæ solos Presbyteros, qui prædicant Euangelium, baptizare, non etiam mulieres. Epiphanius scriptor gravissimus Hæresi 42. docet, morem hunc non ab Ecclesia Dei, sed à MARCIONITIS hæreticis (uti suprà diximus) profectũ. Itaque hæresi 79. prohibet idem Epiphanius id usurpari & fieri. Marcionitis hæreticis, quum & *Pepuziani* hæretici accesserint, qui similiter tam baptismatis administrationem quàm alia munera Ecclesiastica mulieribus indulserunt ac commiserunt, quanta audacia & impudentia est, catholicis & orthodoxis Christianis antiquis hanc consuetudinem γυναικοϐαπτισμὸν ascribere? Carthaginensi Concilio 4. Canone 100. prohibentur mulieres baptizare ullo pacto. Paulus Apostolus ante hos omnes 1. Tim. 2. 12. 1. Cor. 14. id ipsum vetuerat. Quid igitur nobis oggannit Bellarminus, hunc esse vetustissimum Ecclesiæ Dei consensum? Nam est falsissimum.

Calvinus objicit MANDATUM Christi expressum Math. 29. 19. 20. Vult enim, ut ii soli baptizent, qui verbum Euangelii publicè prædicant. Respondet Bellarminus. *Id solis Apostolis non fuisse praceptum à Christo.* Divinat enim, die Christi Ascensionis id à Christo dictum, quum alii quàm Apostoli tunc quoque adessent. RESPONDEMUS: Ex textu ipso apparere, solis Apostolis hoc à Christo fuisse præceptũ Math. 28. 16. & idipsum agnoscit seipsum refutans Bellarminus col. 253. L. B. Nostra sententia confirmatur ex Act. cap. 1. 2. & 8. ubi solos Apostolos alloquitur etiam in die suæ Ascensionis Christus.

Excipit iste: *Stephanus Diaconus pradicavit.* RESPONDEMUS: Privatim, non autem publicè. Itaque nusquam dicitur baptizasse. De Philippo jam diximus eum postea & quum prædicaret, & quum baptizaret, fuisse constitutum Euangelistam, Act. 21. 8.

Act. 6. 8. 9. 10. &c.

Calvinus objicit: *Patres ipsi nefas & peccatum esse Laici agnoscunt, si Laicus etiam cogente nececeßitate baptizat*, ut ex Augustino lib. 2. cap. 13. contra Epistol. Parmen. patet. Bellarminus nihil hic respondet, sed negat verba ipsa Augustini & nugatur.

Objicit denuo Calvinus Concilii Carthaginensis decretum 100. *Mulier ne baptizet.* Respondet Bellarminus additum esse postea expositionem istam, *Nisi cogente neceßitate.* RESPONDEMUS temerarium fuisse, ut quisquam privatus corrumperet decretum Synodi ge-

 neralis

neralis. Nec enim ulla est, uti supra docuimus, Baptismi præcisa necessitas. Itaque est inanis ista Lombardi & Gratiani exceptio, quam ipsemet suprà Col. 253. demnavit.

Denique objicit Calvinus *Tertullianum* libro de virginibus velandis, & libro de Baptismo: item *Epiphanium* Hæresi 42. & 79. qui vetant mulieribus in Ecclesia baptizare. Respondet iste, *hujusmodi Patrum sententias intelligi de publico & ordinario baptizandi Ministerio: non autem de casu necessitatis.* RESPONDEMUS: Quum ex Marcionitarum & Peputianorum hæresi promanasse hunc morem fœminarum baptismi Patres illi fateantur, omnino eum damnant. Neque casum *necessitatis* ullo modo exceperunt, quum nulla sit præcisa Baptismi necessitas. Sed ut error percisæ necessitatis ortus est ex perversa interpretatione loci Johannis 3. ṽ. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei:* ita tam Patres quidem antiqui, quã Romana Ecclesia eandem necessitatẽ sacrosanctæ Cœnæ dandæ infantibus statuerunt ex depravatione verborum Domini Joh. 6. 53. *Amen, amen dico vobis nisi comederitis carnem filii hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.* Quare ex beati Rhenani annotationibus in Tertulliani librum de corona militis constat, hunc duplicem errorem diu in Ecclesia hæsisse. Sed quandoquidem alter, nempe *posterior* horum errorum de Eucharistia simpliciter infantibus ad salutem necessaria non agnoscitur & recipitur à Papistis, sed damnatus est in Concilio Tridentino, sess. 5. sub. Pio IV. Canone quarto, par & æquum est profectò, ut alter, nempe *prior* de simplici necessitate baptismi, ac ideo facultate baptizandi mulieribus concedenda, etiam omittatur & è medio tollatur. Adhæc erga *adultos* pontificii hac ἐπιεικείᾳ utuntur in baptismo, ut quando potiri Sacramento nequeunt, martyrium aut votum ardens baptismi ejus loco sufficere credant & doceant, ut hic deinceps illis sit baptismus sanguinis & flaminis. Ergo dignum & justum, ut eadem æquitate erga *infantes* utantur, si hi ad baptismum aliqua necessitate impediente pervenire non possunt.

August. lib. 2. cont. Jul. c. 2. & lib. 1. cont. duas epist. Pelag. cap. 4.

Deinde MESSALIANI primò *Baptismum ad præcedẽtia duntaxat peccata abluenda valere affirmabant,* ut habet Theodoretus in divinis decret. de Baptis. Ita Pontificii vim Baptismi ad illa peccata referunt & restringunt, *quæ Baptismum præcedunt:* quæ deinde admissa fuerint, ficto Pœnitentiæ Sacramento adscribunt. Hinc in parvo Jesuitarum Catechismo pœnitentia definitur: *Secunda post naufragium tabula, & necessarium relapsis Sacramentum, in quo remissio peccatorum & à reis petitur, & à Sacerdotibus tribuitur.* In Catechesi autem Romana decreto Concilii Tridentini & Pii V. Pontificis jussu edita, part. 2. cap. 5. ad quæst. 10. *Quo igitur pacto pœnitentia verum est nova legis Sacramentum?* Respondetur: *Ut Baptismus Sacramẽtum est, quia peccata omnia, ac præsertim quod origine contractum fuit, delet: eadem ratione pœnitentia, quæ peccata omnia post Baptismum voluntate vel actione suscepta tollit, verè & proprium (scilicet) Sacramentum dicendum est.* Ad hujus confirmationem utuntur potissimùm dicto S. Hieronymi, qui in com-

1 Messalianorum hæresin in baptismo imitantur.

commentariis ad 3.caput Isaiæ tom.5. *Post naufragium humana natura duas tabulas saluti hominibus datas esse*, ait, *Baptismum, & amißâ primâ tabulâ, Pœnitentiam.* De alia Messalianorum hæresi, cujus contagio Pontificii etiam sint infecti, vide cap.15.

Orthodoxa doctrina. Cæterùm primò potiùs Baptismus est Sacramentũ pœnitentiæ, non contrà pœnitentiæ Sacramentum. Nam Rom.6.℣.4. dicit Apostolus: *Nos baptizari, ut in nova vita ambulemus.* S. Johannes Baptista *baptizabat, & prædicabat Baptismum pœnitentiæ in remißionem peccatorum*, Marci 1.℣.4. Res que Baptismi est, quod signum aquæ vel exterior corporis ablutio similitudine quadam internam Baptismi vim & operationem significat. Nam sicut per aquam res corporales abluuntur & purificantur; sic per lavacrum Baptismi, animæ sordes, id est, peccata purgantur. Est itaque res Sacramenti Baptismi, ablutionis & remissionis peccatorum obsignatio, adoptatio & assumptio in hæredem Dei. Hic effectus Baptismi durat per totam vitam, quia nostra vita cõtinua est pœnitentia Christiana, dicente Zacharia Lucæ 1. ℣.74. *debere nos servire Deo cum sanctitate & justitia cunctos dies vitæ nostræ.* Ac dictum Hieronymi rectè contra Novatianos & Catharos usurpatur, qui negabant lapsos post Baptismum in Ecclesiam esse recipiendos. Quos refutans etiam Chrysostomus, inquit: *Vel millies ingrediatur, si conversus fuerit.* Nequaquam verò in hanc sententiam intelligi oportet dictum illud, quasi prima tabula, id est, Baptismus seu gratia accepta in Baptismo penitus coram Deo amittatur, & fœdus, quod in Baptismo Deus nobiscum fecit, planè irritum fiat. Nam piæ mentes in omni vita, atque etiam in media morte hanc consolationẽ haurire debẽt ex usu Baptismi, semel in pueritia accepti, esse hoc perpetuum fœdus, cujus fructum etiam lapsi resipiscentes percipiant. Cum quibus perinde agitur, ac si quis fortè desiliat in mare, navi adhuc incolumi manente. Ubi salus perituri alioqui in mare in eo sita est, si navim eandem repetat, atque in eam revertatur. Ac ut sapiens & pius gubernator navis recipit in mare prolapsos, si modò bonitate ipsius freti, ad navim redeant: Sic Deus ad se conversis optima fide præstat promissa, & beneficia in Baptismo donata atq; obsignata integrè nobis restituit, modò desinamus contra conscientiam ruere, & statuamus gratiam exuberare supra peccata. Hanc consolationem prorsus evertunt Pontificii, qui sentiunt remissionem peccatorum non ex gratia ampliùs nobis contingere, sed per pœnitentiam illam, quam ipsi falsò Sacramentum nominant: de quo pluribus in Belli nostri Papistici lib.3. cap. de ficto pœnitentiæ Sacramento, disseruimus.

Precationibus salutem ascribere facit Monachos hæreticos. Deinde MESSALIANIS solenne fuit & caput erroris, *quòd orationi seu precationi totam nostram salutem ascripserunt, Christi verò sanguini adeò ademerunt, ut etiam Baptismo ablutionem peccatorum non tolli docuerint.* Ideoque orationibus & canticis per totum diem fuerunt tantùm dediti, ac proinde etiam *Psalliani & Euchetæ* dicti. Testis est ex ipsis Papisticolis Alphonsus de Castro, sicut lib.1. cap.20. verbotim ipsiusmet verbis re-

censuimus, ubi Messalianam hæresin ab Euangelicis totius mundi intervallo abesse ostendimus.

Ejusdem verò Messalianorum hæreseos MONACHI hodierni in Papatu dupliciter sunt rei. *Uno* modo, quòd perinde neglectâ Baptismi figurâ, quâ remissio & abrogatio peccatorum per solum Christi sanguinem adumbratur & obsignatur, precibus suis & Psalmodiis illam assignant, ut his & se & alios redimi à peccatis statuant. Testes sunt illorum Litaniæ & communis praxis, SIMON PAULI commemorat exemplum Carthusiani Monachi, qui nec in agone mortis decumbens operum fiduciam voluit deponere, sed meritis suis confisus, precatus est: *Da mihi, ô Deus, quod ego merui, & tu mihi debes.* Uni astantibus quærenti; *quodnam esset illud debitum?* Superbè respondit: *Vitam æternam mihi debet.* Cur? rogabat ille. Monachus: *Propter opera mea*, inquit, *Nam ultra* 40 *annos in hoc Monasterio Deo deservii, cilicio asperrimo indutus, vigiliis, jejuniis & precibus me afflixi, regulasq; Monasticas exactè custodivi. Sive velit, sive nolis Æternus, mercedem meritis meis rependere, & vitam æternam reddere tenetur.* Annón alii idem?

In enarrat. Dominic. XI. post Trinit.

Cui superstitiosæ & blasphemę orationi oppono piã S. Bernardi cõfessionẽ ad Dẽũ in gravi & tẽtatione & morbo factam. Quũ jam de vita periclitari videretur, eò adigebatur, ut de propria suorum meritorum justitia desperaret, ac fide in unico JESU CHRISTI merito hætẽs: *Fateor*, inquit, *nõ sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cœlorum. Cæterùm duplici jure illud obtinens* DOMINUS MEUS, *hæreditate scilicet Patris & merito Passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat. Ex cujus* DONO *jure illud mihi vendicans, non confundor.*

S. Bernardi confessio ultima. In vita ejus lib. 1. cap. 13.

Non igitur propriis fidendum est meritis in precatione, vertitur alioqui in peccatum: sed fiduciâ meriti Christi & misericordiæ Patris est orandum. Quod suo etiam exemplo docet nos B. Daniel, qui, quum de meritis abjecta præsumptione, orat: *Exaudi* DEUS *noster orationem servi tui, & illumina faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est, propter* ADONAY, id est, Dominum: qui est JESUS CHRISTUS FILIUS DEI.

Dan. 9. 7.

Ac versu 18. *Inclina Deus aurem tuam & audi.*

Aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram.

Neq; enim in JUSTITIIS NOSTRIS *prosternimus preces nostras ante faciẽ tuam, sed in* MISERATIONIBUS TUIS MULTIS. Similiter Isa. 53. ℣. 15. 16. & & 64. ℣. 6. ac David Psal. 25. ℣. 6. 7. & 51. 1. 3.

Altero modo hæresi Messalianorum affines sunt Monachi in operis precandi & cantillandi assiduis, quia eorum vitam otiosam imitantur. Animadvertit hoc SIXTUS SENENSIS, ac Monachis Messalianam hæresin propterea accommodat, scribens: *Adversus ignavos Monachos, qui tunc in Africa errorem hunc à Messalianis hæreticis enatum fovebant, Augustinus scripsit librum de opere Monachorum, quo tria potissimùm demonstrat. Primùm, ut Monachi, qui nullo Euangelico negotio, nullâ curâ Ecclesiasticâ occupantur, non vitam sine ullo labore manuum transigãt otiosam.* Et quomdo Monachus non debeat esse otiosus, tum Hieronymus ad

Otium Monachos facit Messalianos.

Biblioth. lib. 6. annot. 317.

ad Rusticum Monachum docet, tum breviter S. Paulus 2 Thess. 3. ℣. 11. 12.

3. Marcosiorum hæresin Papistas esse amplexas.

Tertiò, MARCOSII *in Baptismo verba quædam Hebraica proferebant, ut auditores obstupefacerent & terrerent*, quemadmodum Irenæus lib. 1. cap. 18. 8. & 9. commemorat. Atq; hoc etiam alii hæretici factitabant. Pontificii pejùs sese gerunt, qui non in hac tantùm causâ sed in omni liturgia & re sacra aliud nihil, nisi barbarum, peregrinum & ignotum sonant, ut hoc modo efficiãt, quo sacra sua augustiora & sanctiora videãtur. Vix etiam quicquam inter hos in Ecclesia cernere licet, quod Apostolicum dici mereatur. Sacrificuli enim & Monachi extra templum nunquã aut rarò Latinè loquuntur, imò verò usum ejus linguæ non habent aliquem, & ridiculi fiunt, si in homines eruditos incidant, qui eos Latinè loqui cogunt. In templis autem inter homines idiotas, cerdones, sutores, nautas, agricolas, fœminas & pueros Latinè canunt, Latinè legunt, Latinè Missant, Latinè baptizant, adjurant, precantur, omnia denique dicunt & faciunt. Nec enim contenti sunt linguam peregrinam & Latinam invexisse, sed insuper eâ multos simul & ritus superstitiosos & à sacra Scriptura alienos, ut exorcismos, salem, sputum, chrisma adhibent. Eadem lingua incognita & barbara multi simul canunt, ac plerunq; artificio tam vario & volubili, ut ne ab iis quidem percipi possint, qui Latinam liguã probè noverunt. Similiter in eodem templo unus solus aut multi simul eodem tempore Missas Latinâ linguâ peragũt, ut sæpè vix aliqui apud se constituere possint, quémnam præ aliis spectare sive audire debeant, quidve ab iis dicatur, canatur, aut fiat. Nã omnia ista sine interprete faciunt, & plerũque tanta est Sacrificulorum & Monachorum inscitia, ut ipsi vix linguam illam peregrinam nôrint, aut seipsos intelligant. Istis verò ineptiis tempus ita teritur, ut populus absque omni doctrina & consolatione, tantùm verò rerum in solitarum, stupendarum, specieque religionis plausibili indutarum admiratione ac stupore plenus dimittatur. Quæ omnia doctrinæ Apostolicæ 1. Cor. 14. ex diametro repugnant, & nihil nisi hæresin Marcosiorum ac similium hæreticorum redolent. Et fit sic inprimis jã in Ecclesia Romana, quod Paulus 1. Corinth. 14. ℣. 22. dicit: *Linguæ igitur sunt signum nõ iis, qui credunt, sed infidelibus*, &c. Monet autem, ut primò omnia *lingua vernacula sive vulgari & nota in Ecclesia dicantur ac peragantur*, ℣. 19. Deinde, e si quis habeat linguam: tamen curet, ut ea omnia *ad ædificationem fiant*, ℣. 26. Tertiò, *Sive linguâ quis loquitur, fiat per binos, aut ad plurimum ternos, & vicissim: unus autem interpretetur. Quod si non interpres, taceat in Ecclesia qui loquitur linguâ sibiipsi verò loquatur & Deo*, ℣. 27. 28. Plura vide deinceps cap. 15. de Offenis.

Defendunt illi linguæ peregrinæ usum in cœtu publico, quod multa in sacris literis contineantur, quæ populo edicere non satis tutum sit. Sed hoc falsum & blasphemum est, ut copiosa probatio unius & aliarum objectionum in Sibrandi Lubberti lib. 3. de princip. Christian. dogmat. cap. 7. extat.

CAP

CAP. III.

Quot & quantis hæresibus vetusti Papistæ infecti sint circa Eucharistiam.

IN altero etiam Sacramento verò, nimirum Cœnâ Dominicâ, non ab hæresi puri sunt Papistæ, sed has præduros & pestiferos inter se dominari sinunt.

1 Helcesaitarum hæresi sunt Papistæ infecti.

Una est HELCESAITARUM, *qui* (ut tradit Theodoretus) *duplicem Christum faciebant, alium suprà, alium infrà.* Sic Pontificii duplicem Christum fingũt, alium supernè in cœlo, qui veri corporis naturam habeat, alium infernè in Sacramento, qui proprietates omnes veri corporis amiserit. De quo alii fusiùs.

2. Marcionis & Manichæorum de corpore Christi fide.

Altera priori affinis est MARCIONIS & MANICHÆORUM, qui docuerunt, *Christum habere corpus imaginarium & phantastium*, ut ex Tertulliano & aliis antiquis patribus constat. Sic Papistæ & sentiunt & docent, *qui dogmate Trãssubstãtiationis conficto, Christi corpus sub specie panis in Eucharistia latere affirmant*, quod fieri non potest, nisi sit phantasticum. Verum enim corpus esse non potest, quia caret qualitatibus, quantitate & proprietatibus veri corporis. Omne enim corpus verum est in loco, & habet dimẽsiones: quorum neutrum de Papistico Christi corpore in Eucharistia dici potest. Hoc igitur est hæreticum: id quod & alii nostrorum, ut Rodolphus Hospinianus de origine erroris circa Eucharistiam, Christophorus Pezelius in refutatione Catechismorum Jesuiticorum, Anthonius Sadeel de natura humana Christi, &c. copiosiùs explicarunt, & à nobis libro 3. Belli Papistici, de religione, capite de Eucharistia, pleniùs exponitur.

Transubstantiatio hæretica.

3. Marcosiorum de vini in sanguinem mutatione.

Sed tertia hæresis Eucharistica à Papistis usurpata, est *Marcosiorum*, quorum hæresiarcha Marcus quidam, *videri voluit vinum Eucharistia in sanguinem transmutare*, teste hæresi 34. Epiphanio. Unde Marcosii ab eo denominati (ut verba ipsius Epiphanii referam) *ajebant tria pocula ex vitro albo apud se parari mixta vino albo*, καὶ ἐν τῇ ἐπιτελουμένῃ παρ' αὐτοῦ ἐπῳδῇ τῇ νομιζομένῃ εὐχαριστίᾳ μεταβάλλεσθαι εὐθὺς, τὸ μὲν ἐρυθρὸν εἰς αἷμα, id est. *& in ea, quæ perficitur ab ipso incantatione & Eucharistia esse putatur statim transmutari album in rubrum velut sanguinem, alterum in purpureum, tertium in ceruleũ.*

Et in Anacephaleosi hæresum dicit: MARCUS *quidam fuit Colorbasi cõdiscipulus, duo principia & ipse introducens. Reprobat autem mortuorum resurrectionem. Imaginationes verò quasdam habens, per pocula ex incantatione in ceruleum ac purpureum colorem tansmutans vinum album, pelliciebat ad se ac sacra sua deceptas mulierculas.* Loquitur autem de poculo Eucharistico, in quo vinum in sanguinem transubstantiari credidère Marci sectatores.

Quod ipsum Pontificii omnibus persuasum esse volunt, quando affirmant, *quàm primùm fuerint verba consecrationis in Eucharistia prolata & peracta à sacerdote, nihil nisi sanguinem remanere. Et nonnunquam falsa specie oculos participantium & spectantium fallere conantur.*

Cœpit hæc sententia demum publicè ac privatim circa annum Domini

1000.

Transubstantiationis Doctores & scriptores primi.

1000. doceri, ut incredibilis inclinatio veræ ac sanæ doctrinæ de cœna Dominica facta sit, quæ ex Lanfranci, Algeri, Ruperti Tuitiensis, Lombardi & aliorum scriptis, qui ab eo anno usque ad Innocentium tertium hujus nominis Papam scripserunt, colligitur. Algerus enim de Materia Cœnę sic tradit: *Sciẽdum, quia licet priùs mysticè vinum & aqua misceatur: post consecrationem tamen non nisi sanguis bibitur, quia prius per aquam baptismatis renati, postmodum non solum corporales, sed & consanguinei Christo efficimur spiritualiter.*

Comment. in Joh. c. 6.

RUPERTUS circa annum 1110. *Christus,* inquit, *potuit curare, ut patefacto crucifixi Jesu Christi latere, efflueret aqua cum sanguine: poterit etiam panem confectũ manibus hominum convertere in corpus & vinum de palmitibus istis in sanguinem suum.*

LANFRANCUS *Nos,* inquit, *in specie panis & vini, quam videmus, res invisibiles,* id est, *Christi carnem & sanguinem honoramus. Nec similiter pendimus has duas species, ex quibus consecratur Dominicum corpus, quemadmodum ante consecrationem pendebamus; Quum fideliter fatemur, ante consecrationem esse panem vinumq́,* id est, *eas res, quas natura formavit: inter sacrandum verò converti in Christi carnem & sanguinem, quas utrasque res benedictio consecravit.*

Dist. 11. c. 1.

LOMBARDUS postquam depravatis quibusdam sancti Augustini locis dixisset, permutationem panis & vini in corpus ac sanguinem Christi fieri addit. *Si quæritur, qualis sit illa conversio? An formalis, an substantialis, vel alterius generis: definire non sufficio. Formalem tamen non esse cognosco, quòd species rerum, quæ antè fuerant, remanent, & sapor & pondus. Quibusdam esse videtur substantialis: dicentibus, sic substantiam converti in substantiã, ut hæc essentialiter fiat illa.* Et hunc conversionis modum probat.

Berengarius.

Hinc BERENGARIUS Turono celeberrima urbe Galliæ oriundus, & Andegavensis Ecclesiæ Archidiaconus, quem Platina in vita Johannis Papæ XV. virum fuisse sanctimoniâ vitæ & doctrinâ præstantem testatur, quasi aliud doceret & sentiret accusatus, & velut hæreticus ad palinodiam dicendam adactus est. Unde & nobis hodie in Euangelicis Ecclesiis sententia Berengarii tanquam hæretica tribuitur, sicut lib. 1. suprà narratum. Sed & illum & nos ab ea macula immunes esse, rectéque de sacramento Cœnę Dominicæ ac manducatione & bibitione corporis atque sanguinis Christi sentire, demonstravimus. Nam quæ fuerit Berengarii sententia incertum est, nisi ipsius hostibus credamus. Hi enim ei affinxerunt, ac si senserit & docuerit, *nisi aliud in Cœna à fidelibus percipi, quã nuda symbola, panem duntaxat ac vinum. Sed ut & ex fragmentis sententiæ ipsius à Lanfranco exceptis, & ex recantatione ipsius colligitur; Non credidit quidem substantiam panis converti & mutari realiter in ipsum verum ac naturale corpus Christi, aut hoc cœlo devocari posse, id quod alii eo tempore docere incipiebant. Mysterium autem in sacrosancta Cœna agnovit & docuit.* Etenim credidit & docuit, quẽadmodum ipsum infallibile verbum Dei & Augustinus ac alii fidelissimi Ecclesiarum doctores ante eum docuerant, *in Cœna sacra non tantùm pane & vino, sed etiam spiritualiter refici credentes vero Domini corpore & san-*

guine ad vitam æternam. Hoc, inquam, tum ex scriptis Lanfranci fragmenta Berengarianæ sententiæ recitantibus, tum è palinodia ei præscripta colligitur. Itaque si contrarium ejus sensit, quod in decretis *capite Berengarius dist.2, de consecratione habetur*, tum rectius ille, quam ejus Adversarii sensisse & docuisse videtur. Ibi enim ipse ex Nicolai Papæ mandato profiteri debuit: *Ipsum verum Christi corpus & sanguinem, & non solùm Sacramentum, sensualiter & in veritate manibus sacerdotum tractari frangi & fidelium manibus atteri.*

Transubstantiationis error refellitur. Hoc, inquam, ut fateretur Berengarius, ipsi præscriptis verbis impositũ fuit. Sed hoc absurdum est, & blasphemum, & hæreticum. Nam primò, quia magicum est, demurmuratis aliquot verbis, vim mutandi substantiam signorum tribuere. 2. Quia expressis verbis Apostolorum & Euangelistarũ vera ac naturalis substantia panis & vini ante & post consecrationem, ut vocant, asseritur. *1.Cor.10.16.17.& 11.26.27.28.* 3. In enuntiato pronomen. *Hoc*, demonstrativum, non demonstrat *corpus Christi*. (Nam *Transubstantiatio*, inquit Thomas, *nonnisi perficitur in ultimo instanti pronunciationis verborum*) nec demonstrat sola panis *accidentia*. Accidentia enim non sunt corpus Christi: Nec demonstrat *vagum aliquod individuũ*, aut vagè determinatum individuum. Nullum enim individuum est, quod non sit τὸ δεῖνα, ac proinde certum, non autem vagum indeterminatum aut indefinitum. Et præsertim demonstrativum *hoc* certum aliquid designat. 4. Nam pronomen illud demonstrativum non *adjectivè*, sed *substãtivè* sumptum est. Refertur enim ad *panem* certum, quem Christus accepit, fregit & discipulis dedit, & ad *vinum* certum, quod in poculo habuit & bibere jussit. Attributum verò panis est *corpus meum*, & vini vel poculi, est *sanguis meus*; uti Christus loquebatur. Quod de subjecto illo, id est, vero *pane*, & vero *vino* dicitur. Copula autem, quâ attributum cum subjecto nectitur, verbum substantivum *est*. 5. Verbum verò *est*, neque οὐσιωδῶς essentialiter, neque ὑπαρκτικῶς, substantialiter & nativa sua significatione accipiendum est, sed σημαντικῶς, significativè, repræsentativè, figurativè, more Sacramẽtalium phrasium Gen.17.10.11. Exod.12.27.ac.13.9.16. Ergo *panis & vinum* Cœnæ Dominicæ est *corpus* ac *sanguis* Christi, non secundùm essentiale, aut personale, aut reale, sed secundũ *esse mysticum*, sacramentale, & significativum: quo *res, quæ significat, accipit nomẽ ejus rei, quam significat ut*, inquit Augustinus. *Epist 102.* Nempe ob analogiam & mutuam σχέσιν, seu respectum tum unius ad alterum, tum ad eum, à quo sumitur. Remotâ autem substantiâ & naturâ signorum, perit similitudo, affinitas, σχέσις, relatio & analogia signorum ad rem significatam. Panis enim significat corpus Christi & vinũ sanguinẽ Christi, quia alit, confirmat & sustentat, quod accidentia præstare non possunt. Nullum verò hic verbum Christi est, quod *conversionem* significet. Nam verbum *est* non significat fieri, mutari, cõverti. Et quod fieri dicitur, esse propriè dici non potest. Esse enim & fieri dicitur ἀντιφατικῶς. Nec substantia, permanentibus suis accidentibus, interire potest. Nec accidentia possunt subsi-

stere

stere sine subjecto, nec esse accidentia panis & vini, quæ non sunt accidentia eorum. 6. Quia id corpus & sanguis non potest spoliari quantitate sua, nec in instanti, nec in motu locali esse simul in cœlo & in terra, quin Ubiquitas eorum & Christi ipsius statuatur. Et pugnantia statuunt, qui dicunt corpus & quantum & verè adesse, non tamen per modum quanti. 7. Quia jam nec separari potest corpus Christi à sanguine, nec anima ab ejus corpore: & de concomitātia nihil extat in verbo Dei. 8. Quia carnalis manducatio corporis Christi nusquam probatur in Scripturis, sed spiritualis, Joh. 6. cap. 9. Quia infinita incommoda Transubstantiationem, manentibus accidentibus sine subjecto, sequuntur. 10. Quia nullum fit miraculum edendo & bibendo panem ac vinum in Cœna sacra, quod afficiat sensus externos. Miracula autem
„ jam in novo Testamento cessarunt. 11.
„ Quia Helcesaitarum, Marcionistarū,
„ Manichæorum & Marcosiorum HÆ-
„ RESIS est, Transubstantiationem pa-
„ nis & vini in corpus atque sanguinem
„ Christi fingere, nedum docere & cre-
„ dere.

Testatur hoc disertè GLOSSATOR in caussa Berengarii, quando in glossa ad palinodiam ei præscriptam ait: Confessionem hanc *juxta tenorem verborum esse* HÆRETICAM *& hyperbolicam.* Et SCHOLASTICI aiunt: *Modum loquendi in hac confessione præscriptum, non esse tenendum.*

Hinc apparet, Berengarium sanius & magis orthodoxè sensisse, *panem & vinum post consecrationem manere, & esse Sacramentum, & corpus Christi neq; manibus tractari, neque dentibus atteri: sed spiritualiter per fidem edi ac bibi.* Quæ nostra est in Euangelicis Ecclesiis sententia, sacris Scripturis consentanea. Ergo Pontificiorum sententia contraria de Transsubstantiatione est Scripturis adversa, absurda & hæretica.

Nec obstant Concilii *Lateranensis, Romani, Vercellensis, Turonensis,* pro transsubstantiatione decreta: Ea enim Antichristo jam regnante celebrata sunt. Et post illorum determinationē Scholastici fatentur: *Dogma de Transsubstantiatione neque ex sacris Scripturis, neque ex Patribus necessariò probari posse.* Ipsi ergo hæretici censendi sunt, qui corpori & sanguini Christi vero naturā adimunt, panem & vinum in corpus ac sanguinem Christi transmutari fingunt, atq; dentibus atteri, oreque realiter sumi asserunt. Pleniorem verò Transsubstantiationis refutationem vide apud Rodolph. Hospinianum de origine erroris circa Eucharistiam. *Scotus, Occam, Durand. Aliacus, Biel, Cajetanus*

Quarta hæresis circa cœnam sacram Papistis tritissima est *Carpocratianorum,* qui sacrificiis more Gentium operam dabant, & quos Papistæ Missæ sacrificio incumbētes imitari consueverunt. Nam postquam Epiphanius hæresi 27. lib. 1. tom. 2. pag. 31. cultum imaginum indicavit, cui Carpocratiani operam dederint, ibidem addit: *Et Gentium mysteria peragunt. Erectis enim his imaginibus, de cætero Gentium mores servant. Qui verò sunt Gentium mores alii, quàm* SACRIFICIUM *& alia.* Hæc ille. *4 Carpocratianorum Missa est hæretica.*

Si igitur cultui imaginum Carpocratiani sacrificium conjunxerunt, ac ideo pro hæreticis habiti sunt, cur non nunc temporis etiam Pontificii hære-

tici censeantur, quibus tum in tota religione sua, tum inter missificandum familiarissimum est & imaginibus uti, & sacrificio Missæ adhærere atque confidere? Nam imagunculam crucifixi Christi inter Missæ sacrificium peragẽdum in altari ponunt, plebi ostentant, eamque exosculari solent. Missam verò apertè sacrificium pro peccatis tam vivorum quàm mortuorum esse putant, dicunt, contendunt, credunt.

Missa refutatur. Ac status quæstionis de Missa est: *Annón Christus in ultima Cœna seipsum sub specie panis & vini, Deo Patri obtulerit, & idipsum quotidie fieri jusserit usque ad mundi consummationem?* RESPONDEMUS: Repræsentavit quidem tum actionibus, tum verbis Sacrificium, quod postridie oblaturus erat in cruce, ejusque commemorationem fieri jussit, sed seipsum realiter & propriè in forma panis ac vini Deo Patri nec obtulit, nec oblationem in remissionem peccatorum fieri præcepit in Missa vel per Missam, sed hæc plurimis rationibus confutatur & evertitur.

1. Quia *una oblatione semel facta & perfecta* (non duabus, incruenta una, altera cruenta, una primaria, altera secundaria, seu commemorativa, seu applicatoria) *consummavit in sempiternum sanctificatos.* Porrò *ubi est remissio peccatorum, jam non est oblatio pro peccatis.* *Heb.5.6. & 10.12. 14.18.*

2. Quia tum verbo, tum usu Sacramentorum legitimo externè, internè verò Spiritus sanct. ἐνεργείᾳ ac fide nobis fructus unicæ illius oblationis Christi in cruce applicatur. Marci 2.5. Johan.3 14.15.16. Act.10.43. Rom.3.25.

3. Quia repræsentatio aut applicatio rei non sunt res ipsa. Quæ enim differunt numero, objecto, modo, ratione agendi & adjunctis, ut Cœna Domini & Sacrificium in cruce, idem profectò esse nequeunt. Nec imago rei & veritas ipsa idem sunt, nisi apud eos, qui laborant ἀφρασίᾳ διαγνώσεως. Sed & satisfactionis applicatio infert satisfactionem priùs factam.

4. Nec Christus ullum sacrificium obtulit, aut per Sacerdotes offerri jussit in Cœna, per quod purgentur & remittantur peccata.

5. Nec quicquam habet vim expiandi peccata præter unum Christi sacrificium in cruce peractum.

6. Et *sine sanguinis effusione non fit remissio peccatorum.* At in Missa nullus sanguis funditur. Nec usquam in Scriptura dicitur, Christum offerri Deo, nisi ratione ejus mortis. Nam Heb.6.25. scriptum est: *Non ut sæpe offerat semetipsum, alioquin oportuisset eum sæpè passum esse.* *Heb.9.22. 28.*

7. Nec usquam exstat in Scriptura, Christum esse sacrificandum Deo, ut ejus sacrificium nobis applicetur, sed fide percipiendum. Nam Rom.3.24. *Quem proposuit Deus propitiationem* PER FIDEM *in sanguine ipsius.*

8. Sacrificatur quidem aliquo modo per prædicationem Euangelii, & crucifigitur: sed figuratè & spiritualiter. Nec Deo, sed nobis, ut ipsum vera fide receptum totis animis amplectamur. *Rom 15.16. Phil 2.17. Gal.3.1.*

9. Quia postquam primarius Sacerdos exhibitus est, Apostolus nullos secundarios Sacerdotes novi Testamenti propriè sic dictos vel Christo, vel illis veteribus substituit. Heb.7.14.

10. Quia externa omnia sacrificia unicum

unicum idem ; perfectissimum Christi sacrificium abrogavit. Heb. 9. 27.

11. Quia nullum est sacrificium externum reale & propitiatorium NISI CRUENTUM. Quòd si autem fusio sanguinis in Cœna sacra fit sacramentaliter. Ergo non realiter. Et ubi nulla est fusio sanguinis, ibi nullum est reale sacrificium expiatorium. In Cœna vel Missa nulla est fusio sanguinis. Ergo nullum reale sacrificium expiatorium.

Objectionum verò Pontificiorum censuram & solutionem fusissimam & solidissimam habemus, tum apud Sadeelem de Missæ sacrificio, tum apud Hospinianum historiæ Sacramentariæ part. 1. lib. 5. tum apud Sohnium tom. 3. in Psal. 110. & 66. tum apud Luth. tom. 2. de abroganda Missa privata, tū apud Oecolampadium contra Pelargum libro 2. epist. tum apud Calvinum lib. 4. Instit. cap. 18. & contra Interim adulterogermanicum, tum denique Philippum Mornæum de Eucharistia.

5. Ebionitarum & Nazaraeorum de Sacerdotio & azymis. Quinta hæresis contra Cœnam Domini Pontificiis familiarissima est *Ebionitarum & Nazaraeorum*, qui legalia Euangelio permiscentes, legis Mosaicæ ceremonias observandas esse docuêre: ut Augustinus de hæresibus ad Quod vult demum cap. 9. testatur. Eas autem & Papistæ diligenter servant. *In Missali Romano.* Nam *& Sacerdotium suum & sacrificii Missatici omnem apparatum à Mosaicis atque Leviticis transtulêre ceremoniis, & agnum Paschalem, & cereos, & fruges secundùm Legem Mosis consecrant.*

Inter alios ritus Legales Nazaræi & Hebionitæ *panem infermentatum vel azymum in Eucharistia* usurpabant. Sic Pōtificios *in azymis Eucharistia ac Missa adhibendis*, imitari istos hæreticos, & azymorum usurpationem continuam ab Apostolorum tempore satis firmo argumēto probari posse, ipsi etiam Scholastici quidam asserunt. Scribunt enim Thomas, Bonaventura & Biel: *Accepisse quidem Romanam Ecclesiam azyma ab Apostolis Petro & Paulo* (quod ipsum tamē testibus valde suspectis, nec usque adeò vetustis, Innocentio III. & Leone IX. probant) sed addunt: *Eandem Romanam Ecclesiam, invalescente* HÆRESI EBIONITARUM ET NAZARÆORUM, *Legalia Euangelio commiscentium, ne quid commune habere cum dicta* HÆRESI *videretur, ad aliquantum tempus non azyma, sed fermentatum panem in Eucharistia usurpasse. Demum verò post sepultas illas hæreses, ad pristinum morem consecrandi azyma rediisse*, id est, hæresin Ebionitarum & Nazaræorum hoc in negotio Eucharistiæ ab Orco revocasse. *Græcos verò fermentatum panem tunc mutare noluisse, sed huc usque retinuisse.* Quis ergo negabit, in azymorum usu inter communicandum Eucharistiæ necessariò atque peremptoriè statuendo, & usurpando Papistas hæreticos esse, quum ipsi hoc fateantur?

Sed tamen argumentum, *quod azyma resipiant Judaismum*, necessitatem fermentati panis non evincit. *Azymorū usus indifferens ob necessitatē fit hæresis.* Ita enim à Judæis, repudiando azyma, sejungere nos debemus, ne contra Christianum libertatem evertamus. Id verò fit, si indifferentibus rebus affingitur necessitas, quod Græci faciunt.

Contrà verò non magis valida sunt ad necessitatem azymorū probādam, Bellarmini atq; aliorum Papicolorum

argumenta. Neq; enim sequitur Christus usurpavit azyma. Ergo azyma necessariò usurpanda sunt. Non enim propter Eucharistiam, sed propter defectum panis fermentati in Paschate Christus, azymis usus est. Hoc potiùs sequitur: Christus non rotundas hostias, sed usitatum eo tempore panem in Eucharistia usurpavit. Ergo nobis quoque non rotundæ hostiæ, sed panis hoc tempore consuetus, est usurpandus, sive is azymus sit sive fermentatus. Ac per consequens Pontificii libertatem Christianam non observantes, sed necessarium panis azymi atque infermentati usum in Eucharistia & Missa statuentes, verè Judaismum & Ebionismum atque Nazaræismum redolent. Cætera vide apud D. Davidis Parei tractatum de Symbolis Eucharisticis lib. 1. cap. 2. & 3. ubi & Bellarmini argumenta copiosè refellit.

6. Manichæi alia de communione sub una tantùm specie.

Sexta hæresis Eucharistica à vetustis hæreticis apud Papistas hausta, est alia quædam *Manichæorum*, nempe ejusmodi, *qua hi in communione alteram duntaxat speciem adhibebant*, ut testatur Leo serm 4. de Quadragesima, & Gelasius apud Gratianum in 3. parte de consecrat. distinct. 2: cap. *Relatum est*: & cap. *Comperimus*.

Ita Pontificia Ecclesia *panem tantummodo populo in Eucharistia prabendum esse sentit ac docet*. Synodus enim Constantiensis sess. 13. hoc ipsum decrevit, quam sequuta est Tridentina de communione sub utraque specie cap. 12. can. 12. 3. sess. 21.

Verùm contra Scripturam sacram & praxin atq; auctoritatẽ vetustæ Ecclesiæ hoc factum esse & etiam nunc fieri, multis evinci potest, ut colligatur eos vehementer peccare, qui poculum à pane Eucharistico removent. Nam 1. ab instituto Christi recedunt, & aliter euangelizant atque ipse & Apostoli ejus fecerunt. Gal. 1. 9. 1. Cor. 11. 25.

Vinum plebi adimere in Eucharistia quantum peccatum.

2. Nefas est Testamento Christi aliquid addere vel detrahere. Gal. 3. 15.

3. Plus fructus ex utroque signo, quàm ex uno ad fideles redit. Et duo signa pleniùs significant & animum movent: alioquin Christus inutiliter alterum signum adhibuisset.

4. Quia inquit Chrysostomus: *Non est apud nos, ut in Lege veteri, ubi alia partes ex victimis dabantur Sacerdotibus, alia verò cedebant offerentibus: sed nobis omnibus idem Christi corpus proponitur atque idem poculum.* *Hom. 2. in 1. Cor. 11.*

5. Quia quum ita liberi simus à multitudine ceremoniarum, ut paucas faciles atque perspicuas habeamus, intollerabile est, si nec eas absque vitio præstare velimus.

6. Quia agnus Paschalis, Manna & sacrificia non figuræ fuerunt cœnæ, sed Christi. Et 1. Cor. 10. 3. 4. dicuntur Israëlitæ eundem manducasse cibum spiritualem, & bibisse potum spiritualem.

7. Quia dulcissima promissione, quæ communioni calicis voce Filii Dei annexa est, non sunt privandæ piæ conconscientiæ.

8. Quia non est sublata caussa, propter quam Christus usum calicis instituit.

9. Quia Paulus ad universam Ecclesiam, imò ad omnes, qui invocant nomẽ Jesu Christi in omni loco 1. Corinth. 1. 2. non tantùm ad ministros Ecclesiæ scribens, mandat dari utramque speciem

speciem, *Accipite, edite, bibite:* Nec minus sunt præceptiva verba πίετε καὶ πίνετε, quam ἐκπιάζετε, & quidem usque ad adventum Domini.

10. Quia si Adversarii concedunt, olim solitum panem in manus dari, calicem autem manu Diaconi ori admoveri communicantium, qui ex eo biberint. Et in Festo corporis Christi, quod vocant, ita canunt: *Dedit fragilibus corporis ferculum; Dedit & tristibus salutis poculum, dicens, accipite, quod trado vasculum: Omnes ex eo bibite.*

11. Conciliis autem nihil adversus verbum Dei statuere licet. Math. 15. & 28. 29. Gal. 1. 9.

12. Etsi soluti sumus præcepto, quũ Baptismi & cœnæ Domini copia non datur: tamen quando datur, & præceptum facimus; à dispositione Dei non est recedendum.

13. Falluntur autem, qui arbitrantrantur communionem Laicam olim significasse participationem tantùm alterius partis, Clericalem verò utriusque. Nam & ibi utraque species dabatur. Sed Laica dicebatur communio, quia Clerici Ministri, à sua functione ob aliquem lapsum dejecti, non amplius in Clero, vel inter Ministros cõmunicabant: sed turbæ Laicorum admixti.

14. Quia quum fit mentio *fractionis panis* solius, per Synecdochen tota Cœna intelligitur. Alioqui ipsi Apostoli, quorum erat panem frangere, unum tantùm signũ usurpassent: quod tamen 1. Cor. 11. 24. 25. 26. negatur.

15. Quia recens est Eucharistiæ Sacramenti mutilatio & rationes Gersonis, ac Concilii Constandiensis lib. x. de communione sub una specie, cur eripiendus sit populo calix, frivolæ atque ridiculæ sunt, & facilè diluuntur.

16. Quia non fit ista mutatio, nisi ex sententia & consuetudine Manichæorum pestilentissimorum apud veteres hæreticorũ, qui ideo à Patrib. antiquis anathematizati & damnati sunt. Ergo Papistica Ecclesia hunc Manichæorũ ritum rigidè probans & servans, eodẽ sese reatu involvit.

Contra omnes istos errores vide Harm. confess. sect. 14. Zuing. in confess. ad Carolum V. & de vera & falsa religione. Chemnitiũ part. 2. Examinat. Calv. Institut. cap. 1. Melanch. Martyrem, Aretium, Muscul. in locis de Cœna Domini. Ursinum in Catechet. explicat. Sutlivium, Buxhorniũ, Mornæum de Eucharistia.

Denique *Innocentius Pontifex* Romanus, cùm veteri Ecclesia *Eucharistia Sacramentum parvulis ad salutem necessarium esse judicavit.* Nam sanctus Augustinus contra Julianum Pelagium lib. 1. c. 2. & duas epistolas Petiliani lib. 2. c. 4. tradit, suo etiam tempore hunc ritum in Ecclesia fuisse observatum. Verùm hanc eandem sententiam & consuetudinem Tridentina Synodus damnavit, iisque anathema denunciavit, qui sic sentirent, his verbis: *Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessarium esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Sess. 5 can. 4. sub Pio V. Ergo aut vetus Ecclesia & ista, cui Innocentius ille Papa præfuit, illamq́ue legem præscripsit, de parvulis ad communionem admittendis, hæretica fuit, aut hodierna Ecclesia Romana illam abrogans & damnans, est

6. In Eucharistia infantibus danda heresin sequutos Pontificios.

est hæretica. Atqui verum est, exhibẽdam esse Cœnam Domini tantùm fidelib. Eccl. mẽbris, qui seipsos explorare & probare possunt, & in fidei mysterio edocti sunt, & mortem Domini annũciare possunt. Ad hoc n. mysteriũ requiritur sui probatio, & mortis Domini annunciatio, 1. Cor. 11. Et proinde infantibus, qui hæc actu præstare nequeunt, non sunt porrigenda hæc mysteria & sacra. Ac eam ob caussam hodierna Ecclesia Romana hæretica non est censenda, quia usum dandi parvulis Eucharistiam antiquavit. Innocentius igitur ille Pontifex, qui hunc parvulis concessit, cum sua Ecclesia ex Tridentini Canonis sententia & sanctione hæreticus fuit. Quanquam fama fertur, infantibus non omnino ubique in Papatu Eucharistiam subtrahi, sed sub persuasione præsentis realiter corporis & sanguinis Salvatoris ipsis clàm subministrari. Quod si verũ, ut sanè verisimile est vel inde, quod non sine caussa Tridentina Synodus tã severè hanc rem cavet: certè qui id faciunt, ex hujus Synodi decreto hæretici sunt, & à suismet anathemate percussi.

CAP. IV.

In chrismate velolco ad Sacramẽtum confirmationis & extremæ unctionis, atque ad sepulturam mortuorum adhibendo, Pontificios hæreses Montani & Heracleonitarum tenere.

Vide suprà lib 1. c. 21. PRÆTER ista duo legitima Sacramenta confinxerunt Papistæ etiam confirmationem & extremam unctionem, quæ ut per se sunt manifesti abusus ac errores in Ecclesia, sic augetur eorum superstitio manifestâ hæresi à Montanistis & Heracleonitis & Valẽtinianis desumptâ. Etenim inter Montanica dogmata hæresi infecta, quorũ Tertullianus in libro de Anima & Corona militis meminit, est etiam hoc unum, *quòd externam unctionem post baptismum censuerunt adhibendam*, eaque uti Montanistæ consueverunt. Idem verò Papistæ primò in ficto suo *confirmationis* Sacramento receperunt, & receptum usurpant. Nam in ea pueri septennis aut adultioris frontem Chrismate inungunt, crucibus signant, hancque ne statim illud decidat fasciâ colligant, atque alapâ puero in faciem inflictâ eum dimittunt. Quod ubi ullo præcepto vel exemplo Scripturæ confirmatur? Et quæ ad ejus probationem adducunt, annòn partim sunt Levitica, partim magica, partim ociosa, partim stolida & ridicula, partim ad Catechesin potiùs & puerilem in rudimentis Christianæ doctrinæ institutionem referenda? *1. Chrisma in confirmatione hæreticum.*

Quapropter non opus erat grandi isto & diro Concilii Tridentini canone, capitis de confirmatione, sess. 7. die Martis 3. anno 1547. habitæ, qui sic sonat: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, & non potiùs verum & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quàm Catechesin quandam, quâ adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, Anathema sit.* Nam cum ex aliis veterum Patrum scriptis, tum ex ipso Decretorum Pontificiorum volumine, cap. *ante Baptisma*, cap. *baptizandi*, cap. *postquam*, de *Confirmationis vetustissima ritus.*

de consecrat. distinct. 4. Item *Maguntin. cap.* 47. & c. *omnes fideles, cap. Spiritus sanctus*, de consecrat. distinct. 5. apparet, in primitiva Ecclesia eos, qui à Paganismo ad Christianismum transire volebant, ad Baptismum non antè admissos, quàm in Catechesi doctrina rectè edocti essent, ac in carne domanda jejuniis exercitati. Hos verò dum baptizarentur, Paganicam legem ac superstitionem abjurare ac detestari, nec non modo Spiritui ejus authori abrenunciare oportuisse. At fidelium infantes à suo statim in hanc lucem exortu ad Baptismum delatos, fide à susceptoribus seu patribus data, se curaturos, ut ubi adolevissent, in fide Christiana instituerentur. Quibus in ea bene eruditis, necesse fuisse palàm in Ecclesia confessionem fidei edere. Deinde illis manus impositas ab Episcopo Deum orante, ut eos magis ac magis in fide confirmaret ac roboraret. Hoc tandem, sed seriùs, Sacramentum appellatum, cui & multæ additæ ceremoniæ, nimirum magica olei consecratio, Levitica inunctio, stulta fasciæ circa tempora & frontem colligatio, jocularis colaphi maxillæ pueri infligendi consuetudo, ociosa virtutis in fide eum confirmandi, Spiritusq; sancti donis augendi imprecatio & exspectatio, atque alia tam à Scriptura divina & Apostolico præscripto, quàm primitivæ Ecclesiæ exemplo aliena atque abhorrentia. Unde Bonaventura & Alexander ab Ales in lib. 4. sentent. ingenuè fatentur: *Sacramentum Confirmationis, ut est Sacramentum, neque à Domino, neque ab Apostolis institutum & dispensatum fuisse.* Ac vide præcipuum fundamentũ, cui Sacramentũ hoc confirmationis superstruunt, ejusq; incredibilẽ infirmitatẽ. Nam in manuum impositione ab Apostolis usitata id maximè fundari ajunt, sicut Act. 8. & 19. habeatur. Inde argumentantur: *Apostoli iam ante baptizatis manus imposuêre, ut ampliorem Spiritus sancti gratiam acciperent. Ergo usurpatum est ab Apostolis Confirmationis Sacramentum, quod constat materia Chrismatis, & forma certa consignationis, &c. ideq; etiam hodie celebrare in Ecclesia ab Episcopis debet.* Ubi, quis non cernit, plus esse in consequenti, quàm fuit in antecedenti?

Confirmatio contumeliosa in baptismũ.

Adhæc contumeliosissima est unctio Confirmationis in Baptismum, quia hic ei postponitur, & sua virtute divinitus tributa ab illa spoliatur. Nam Catechismi Romani part. 2. cap. 3. de Confirmatione, quæst. 4. Pontificii multis Sacramenti rationem à Baptismo diversam, majoreque efficacia & virtute instructam esse contendunt. Cujus Apostoli authoritate probant? Papæ Romani. Quis est iste? *Melchiades, ajunt, Pontifex utriusque discrimen accuratâ oratione persequitur ita scribens: In Baptismate homo ad militiam recipitur, & in Confirmatione coarmatur ad pugnam. In fonte Baptismatis Spiritus sanctus plenitudinem tribuit ad innocentiam: Confirmatione autem perfectionem ad gratiam ministrat. In Baptismo regeneramur ad vitam: Post Baptismum ad pugnam confirmamur. In Baptismo abluimur: Post Baptismum roboramur. Regeneratio per se salvat in pace Baptismum recipientes: Confirmatio armat atque instruit ad agones.* Et alibi: *Majori reverentia venerandum est Confirmationis Sacramentum, tum quia Episcopum esse oportet,*

Melchiad. pp. in epist. ad Epis. Hisp. & citat. de consec. dist. 5. c. De his & Spirit. S.

per quem perficiatur & administretur: tum verò, quia effectus habet præstantiores, quàm Baptismus. Sententiarum lib. 4. distinct. 7. & de cõsecrat. distinct. 5. §. de his, &c. Quibus quæ major & atrocior contumelia in Baptismum esse posset? Nam Baptismus est organum, quo ampla & larga Spiritus sancti effusio nobis cum ipsius donis, fide, spe & charitate, aliisque virtutibus communicatur. Ut Tit. 3. ℣. 6. *Servavit nos Deus per lavacrum & renovationem Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè.* Unde & Augustinus de Baptismo parvulorum, cap. 26. *Per Baptismum facti membra Christi, de plenitudine ejus omnes accepimus.* Deinde Baptismus inserit nos morti, sepulturæ & resurrectionis Christi, quam ob oculos ponit & animo insinuat, de remissione certa peccatorum docet, eamq; ut divinum sigillũ credentib. obsignat, Rom. 6. 3. 4. Act. 2. 38. & 12. 16. Adhæc symbolũ est nostræ cũ Christo unionis & societatis conjunctissimæ, ut sciamus, nos ei tanquam membra capiti unitos atq; consociatos esse, ac proinde jam esse omnium bonorum ejus, tandemque hæreditatis illius unà cum ipso participes fore. Hinc 1. Corinth 12. 13. *In unum corpus baptizati sumus.* Et Gal. 3. 26. 27. Paulus *nos esse filios Dei*, ex eo probat, *quia Christum in baptismo induimus*, hoc est, quia testimonio baptismi cum Christo filio Dei conjuncti sumus. Præterea, quemadmodum baptismus documẽtum est nostræ mortificationis & renovationis nostræ naturæ, quam Christus se in nobis per Spiritum suum efficere & effectutum perpetuò testatur, in hac quidem vita imperfectum, verùm attamen tantum, ut peccatum in nobis habitans, non dominetur seu regnet, sed per gratiam Spiritus sancti indies magis ac magis mortificetur: ita admonet nos debere fieri conformes imagini filii Dei, qui caput est nostrum, tum in cruce ferenda, in fortitudine adversus hostium fidei ac Diaboli impetus præstandâ, subeundâque morte & sepulturâ: tum in liberatione, resurrectione & gloriâ olim sequuturâ, ut Rom. 6. 4. & 8. ℣. 29. docetur. Deniq; baptismus est σύνθημα & symbolum quoddam militare, perpetuæ confessioni fidei apud homines serviens, seu tessera & nota, quâ palàm testibus hominibus & Dei Angelis profitemur, nos visibili Ecclesiæ Dei accenseri & incorporari, & Christo nomen dedisse, ac militare contra hostes ejus, Mundum, Satanã, Carnemque, fideliter strenueque velle, Math. 28. 19. & 10. 28. 38. 32. Marc. 16. 15. 16. Act. 2. 38. 39. 41. Hæcne igitur chrismati & ritui confirmationis, ab hominibus præter Scripturam inventæ & invectæ, sunt tribuenda? Montanicum & hæreticum est.

Joh. 1. 16.

Ephes. 5. 26. Tit. 3. 5. 6. Rom. 7. toto capite. 2. Cor. 4. 6.

2. *Chrisma in extrema unctione hæreticum esse & in sepultura.*

Nec minùs Montanicum & hæreticum est, quòd Pontificii more Montanistarum *adjungunt etiam chrisma sive oleum morituris* in alio adhuc ficto Sacramento, quod extremam unctionem vocant, & sepulturâ quorundam. Nam olim HERACLEONITÆ quoque pestiferi hæretici, *mortuos ungebant oleo, balsamo, aquâ, & hoc modo illos ab æterna morte redimi putabant*, testibus Epiphanio hæresi 36. Augustino de hæres. cap. 16. & Irenæo lib. 1. cap. 18. Idem statuerunt Valentiniani, &c. Vide Antibellarminum Vorstii pag. 476.

Eandem ceremoniam ac consuetudinem

1. *De extrema unctione moribundorum.*

dinem ungendi oleo moribundos, usurpant Pontificii cum in extrema unctione, tum in sepultura quorundam corporum, quæ in humum vel monumẽta condũt Nã parvus Jesuitarũ Catechismus illam sic definit: *Est Sacramentum, quo ægroti per oleum sacrum & verba Christi, in magnis morbi molestiis relevantur, ut feliciùs ex hoc mundo demigrent, & corpora etiam, si ita expedit, sanitati restituantur.* HOLTUSIUS verò in examine pag. 199. *Est, inquit, unctio hominis infirmi jã morituri, pœnitentiã agentis de peccatis suis facta in certis membris corporis à sacerdote, cum oleo ab Episcopo consecrato, efficaciter conferens remissionem venialium peccatorum, ad mentis elevationem atque corporis sanitatem recuperandam.* Catechesis Austriaca indicans, quibus verbis doceatur extrema unctio, ait: *Primùm Sacramenti hujus ostendit elementum seu materiam esse Apostolus oleum, quod Hieronymus consecratum oleum vocat, quia solenne benedictione per Episcopos consecratur.* Ac addit: *Cui sacramento testimonium longè clarissimum præbet Beatus Jacobus Apostolus, quum ita inquit: Infirmatur aliquis ex vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orẽt super eũ, ungentes eũ oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmũ, & allevabit eum Dominus & si in peccatis fuerit, remittẽtur ei.*

Effectus unctionis extremæ.

Effectus autem (inquit Holtusius) *seu virtus hujus Sacramenti est remissio peccatorum venialium, & pœna mortalibus, quo ad culpam per confessionem aut ejus votum remissis adhuc debita, sive culpâ aut non tam grandi, quæ fructum absolutionis impediat, omissis seu oblitis,* &c. Quem eundem effectum etiam Catechesis Austriaca sic exponit: *Confert primùm ad remissionem peccatorum, quæ ab ægroto pœnitentiæ remediis non sunt expurgata.*

Orthodoxa doctrina de extrema unctione.

Verùm hæc Papistica unctio non propterea solùm est hæretica, quòd Montanistarum & Heracleonitarum fuit olim ceremonia ac consuetudo utendi olei inunctione post baptismum, & in defunctis sepeliendis, verùm etiã ideo, quòd κακοζηλία & prava perversaque est imitatio veteris ceremoniæ externæ, in puriore Ecclesia primitiva apud ægrotos usitatæ. In hac enim per intercessionem piorum delibuti oleo sanitatẽ & valetudinem corporis bonam recuperarũt, sicut manifesta sunt verba Apostoli Jacobi, cap. 5. ✝. 14. & 15. Ac Marc. 6. ✝. 13. scribitur: *Et dæmonia multa ejiciebant Apostoli, ungebantq; oleo multos invalidos, & sanabãt eos.* Quod temporale fuit & miraculosum donũ sanationis in primitiva Ecclesia, donec authoritas Euangelii in toto mundo miraculis confirmaretur, ut ex Marci 6. & 16. sub finem colligitur. Hîc enim ita Euangelista ait: *Illi verò* (Apostoli) *egressi prædicaverunt ubique, Domino unà operante, & sermonem confirmante Deo signa subsequentia.* Hoc dono miraculorum nunc cessante, quum Euangelii doctrina eo olim satis superque jam confirmata sit, irrita est & otiosa unctio. Quã enim hoc tempore Pontificii exercent, eam non nisi de vita alicujus desperatum sit, adhibent atque administrant, quum non nisi ad moribundos accedant. Et sic peccant elencho parium, quum pro paribus accipiant, quæ sunt imparia. Nam illa veterum restituendæ valetudinis & vitæ: hæc Papistarũ valetudinis jam deploratæ & mortis symbolum est. Illa fiebat ad Euangelii confirmationem, quod nimirum Messias sive Christus promissus vene-

rit, & *via, veritas atque vita sit:* hæc autem ut vitam, salutẽ, remissionemq; peccatorum in seipsa & opere olei ægroto inuncti monstret, fieri solet. Quare contra Apostoli Jacobi sententiam finem & scopum unctionis alienum cõ fingunt & statuunt, effectumque ei falsum tribuunt. Nam minimè ait Apostolus, veniam delictorum vel remissionem peccatorum morti vicinũ per unctionem consequi. Hunc, inquã effectum non ascribit Apostolus unctioni, sed ORATIONI FIDEI, id est, fideli ac piæ & è fide profectæ eam tribuit. Unde impia & blasphema quoque est opinio meriti, & fiducia in opus operatum unctionis posita, quâ merito passionis mortisq; e Christi & hujus operi detrahitur.

Joh.14.6.

Taceo jam magicam hujus olei consecrationem, & aliarum ceremoniarũ nuspiam in Scripturis expressarum ac partim ridicularum, partim detestabilium in perungendis ægrotantium ac moribundorũ corporibus usurpationem. Sed de ambobus istis fictis Pontificiorum Sacramentis plura videre licet in opere nostro de Bello Papistico circa religionem, lib.3. cap. de confirmatione & extremæ unctione.

2. De unctione mortuorum, vel sepultura eorum.


Quoad unctionem mortuorum, vel eorum, qui jam è vita excesserunt, & animam exhalarunt, Pontificios eos instar Heracleonitarum oleo, balsamo & aqua, sub opinione redemptionis ab æterna morte inde eventuræ quandóque perungere, documento sunt exsequiæ & funera ac sepulturæ multorum divitum, optimatum, nobilium, principum, Regum, Imperatorum, Abbatum, Episcoporum, Cardinalium, Paparum: quorum plerique de vita æterna dubitantes, imò ejus spem in sinu deridentes, hac cadaverum suorum inunctione se à morte æterna, id est, damnatione liberatum iri persuasum habent.

Orthodoxa de ea sententia.

Quanquam autem pius aliquando est in hoc aliquorum affectus, videturq; opus nec contemnendum omnino nec carpendum: tamen nihil de eo præceptum Christianis in Scriptura extat. Solitum tantummodo fuisse veteribus tam ante Christum, quàm eo vivente ac modò jam in cruce mortuo, defunctorum corpora condîre aromatibus, non oleo, balsamo vel aliâ materiâ perungere, Scriptura docet: Sed sic quasi servanda reposuerunt, ut inter suos spem futuræ resurrectionis foverent. Neque tunc supervacanea erant hujusmodi adminicula, quum illic nõdum innotuisset plenè Christus. At quoniam hic jam & mortem devicit, & lætæ atque beatæ resurrectionis spem suo exemplo ita confirmavit, ut de ea dubitare nulli posthac liceat, hodie operosiore & sumptuosiore sepultura minimè opus est, præcipuè mortuorum unctione Heracleonitarum simili. Qui enim ea adhuc utuntur, ii non solùm indicant, se Christi mortem & resurrectionem ejusque meritum non satis intelligere, aut planè nõ credere, verùm etiam Montani & Heracleonitarum hæresi sese commaculant. Curandum tamen, ne contumeliosiùs aut negligẽtiùs abjiciantur corpora defunctorum, sed honestè nudis linteaminibus seu pannis involuta & pheretris aut loculis inclusa humi condantur.

Math.27. Marc.16. Joh.19.

DE



DE HODIERNIS HÆRESIBUS ET HÆRETICIS,

PARTIS SECUNDÆ, LIBER TERTIUS.

HARTMANNO SPRINGLIO Auctore.

CAP. I.

De votis Apostolicorum, & de nuptiarum damnatione Montani, Tatianorum, Saturnianorum, Manichæorum, Marcionitarum, Priscilianistarum, Dositheorum, Encratitarúmque hæreses à Pontificiis foveri.

1. In votis suscipiendis Apostolicorum hæresin Papistas sequi.



ACCUMULANTUR istæ hæreses inter Pontificios à vetustissimis hæresiarchis receptæ illis etiam, quibus more veterum hæreticorum vota continentiæ temerè suscipi sinunt, & nuptias impiè damnant. APOSTOLICI enim nullos in suum numerum admittebant, *nisi qui voluntariam paupertatem & cœlibatum vovebant*, authore Augustino cap. 40. & Epiphanio 61. hæresi. Tales sunt Pontificiorum *Monachi & fraterculi, & Societatis ficta Jesu socii, & Moniales sive Nonnæ, aliiq́ religiosi in Papatu*, quorum omnium parentes sunt *Apostolici*, quãvis illi suam originem modò ad D. Johannem, Christum & Apostolos, modò ad Eremitas & Monachos ac Cœnobitas veteres referant. Nam ut Apostolici societatem quandam novam, ex certo quodam hominum genere, certis quibusdam ritibus & regulis viventium, conflârunt, nullosque in suã communionem receperunt, qui aut uxores duxerant, aut res proprias privatim possederunt: sic Monachi, Jesuitæ & Moniales ex certis hominum cõditionibus deliguntur, certis sodalitiis constant, certas ceremonias ac regulas servant, nec uxores ducunt, nec aliquid proprii possident, sed omnia habent communia. Adhæc putant, in hoc summum perfectionis apicem & gradum consistere. Testimonia & exempla, ut etiam refutationes singulorum votorum, regularum, institutorumque talium hominum, qui tanquam LOCUSTÆ ex abysso tenebrarum atque *Apoc. 9.*

inferorum progressi, & fruges consumere nati sunt, infinito numero licet reperire in Rodolphi Hospiniani libris de origine erroris circa Monachatum, &c.

2. In nuptiis damnandis Pontificies permultas veterum hæreses amplecti.

Cur autem usque adeo cœlibatum matrimonio præferunt? Quia minùs Apostolos, magis autem hos sequentes hæreticos imitari & sequi volunt. MANICHÆI *nuptias in electis suis*, id est, sacerdotibus *damnabant*, in cæteris permittebant, Augustino epistola 74. testante. *Eustathius ac Macedonius* manifestè nuptias & conjugium damnârũt, in ædibus conjugatorum orare noluerunt, presbyteros conjuges tanquam pollutos præ se contemserunt, ut Socrates lib. 2. cap. 45. & Ruffinus lib. 1. cap. 25. narrant. *Tatianus* hæreticus nuptias impuras esse affirmabat, quod Epiphanius de eo hæresi 46. perhibet. De *Dositheis* testatum facit Epiphanius hæresi 13. *quòd se continuerint à nuptiis, postquam in iis vixissent.* Similiter *Saturniani, Manichai, Marcionita, Priscillianista, Encratita*, conjugium ut doctrinam & opus Diaboli aversati sunt, ac damnarunt, teste Epiphanio hæresi 42. Tertulliano, Augustino, de hæres. cap. 27. Theodoreto, Socrate, &c. Imò *Marcion* homo alioqui impurus & virginũ stuprator, virginitatem tamen suasit, & conjugia separavit propter religionem. Et sanctus Ambrosius de Noë & Arcæ cap. 14. *Multi sunt*, inquit, *hæreticorum, qui prætendere volunt corporis continentiam.*

Non tamen ab his hæresibus Pontificii abhorrent, nec eas à sua religione removent, sed singulari studio amplectuntur, fovent, omnibusq; omnium conditionum ac statuum politicorum fortunis & viribus augent atque defendunt. Etenim Papistæ in populo quidem matrimonum tolerant & cõcedunt, in religiosis verò suis ac spiritualibus (ut appellant) omnino improbant, & impium atque impurum esse contendunt. Nam suos Monachos, Jesuitas, Sanctimoniales, Sacerdotes & fraterculos conjungi matrimonio prohibent, quia eos hoc modo pollui statuant, quemadmodum proxlixè apud Gratianum dist. 82. cap. Proposuisti, & in Censura Colonensi capite de cœlibatu, & apud Bellarminum in cõtroversia 5. generali, de membris Ecclesiæ militantis, lib. 1. cap. 19. pag. 92. 24. & 33. & in Rodolphi Hospiniani opere de origine Monachatus, &c.

Ut in Laicis ferant conjugium Pontificii.

Observandum autem, in laicis quidem Papistas ferre conjugium, sed tamen non valdè probare, deq; illorum nuptiis indignè admodum scribere. Nam etsi inter Sacramenta conjugium numerant: tamen affirmantibus Alphonso à Castro & Petro à Soto id fuisse etiam in lege veteri apud Judæos Sacramentum, Bellarminus hoc libro 3. controvers. 12. de Matrimonio negat cap. 5. pag. 82. Deinde an omne matrimonium inter Christianos legitimè contractum sit Sacramẽtum dubitant & concertant, eodem libro cap. 6. pag. 100. Adhæc alii quidem propter fornicationem conjugii innocenti licere ad alias nuptias transire affirmant; Concilium verò Tridentinum canone 6. & 7. sess. 24. negat, ibidem cap. 15. pag. 163. Præterea conjugium quidem pro Sacramento inter idiotas & plebejos sive politicos venditant, contrà autem cum fraude

fraude & falsò hoc dici ac doceri, sanctoque isto Sacramenti nomine istos tantū deludi, eo ipso declarant, quòd Monachos, Nonnas, Sacrificulosque ab eo arcent, ejusque gratiâ privant. Nam eam ob caussam hos eâ gratiâ privant, quia in animis suis non esse Sacramentum, nec continere & conferre gratiam probè sciunt. Quid, quòd homines omnis conditionis & generis conjugio copulatos clament esse in hoc statu imperfectos, pollutos, in carne viventes, utque eo relicto separentur, ac religionem suscipiant, id est, votis monasticis aut ambo aut alter conjugum sese cōstringat, frequentissimè hortantur, & omni blanditiarum atque insidiarum genere pelliciunt? Hinc Papa Nicolaus dist. 27. quæst. 2. decernit: *Matrimonium unius conjugis consensu ob religionem dissolvi*: idque Bellarminus lib. 3. controversiæ generalis de matrimonio cap. 21. pag. 213. concedit, licet solo jure Ecclesiastico; nullo autem nec naturali neque divino fiat. GREGORIUS in epistola ad Bonifacium statuit: *Morbo etiam & infirmitate solvi matrimonium*, & conjuges ab invicem separari, ut persona sana denuò possit nubere, vivente adhuc conjuge priore.

Deinde, quamvis ERASMUS Roterodamus Germaniæ Phœnix in declamatione de laudibus Matrimonii *utile esse judicet, si Sacerdotibus jus conjugii concedatur*: & idem sentitat PANORMITANUS Catholicus & doctus author in cap. *quum olim, de clericis conjugatis*, &c. tamen Bellarminus lib. 1. controversf. 5. generalis, de membris Ecclesiæ militantis, cap. 19. ait: *Contra hos errores* (scilicet) *probandum nobis est, votum continentia annexum esse ordinibus sacris, ita ut nec ducere uxores, nec uxoribus antea ductis uti liceat post ordinationem: positive quidem jure, sed antiquissimo & æquissimo* (scilicet) *& quod nullo modo expediat, ut hoc tempore laxetur.* Ex quo patet, malle prorsum Pontificios hæreses illas Encratitorum Eustachii, Tatiani, Manichorum, &c. quàm jus divinum sequi.

Confirmatur hoc à Coloniensium Jesuitarum Censura, quæ ab omnibus idcirco meritissimò impura est censenda. Nam etsi sciant S. Paulum 1. Cor. 7. sine exceptione loqui: *Qui se non continent, nubant: nam meliùs est nubere, quàm uri*: tamen ita contrà insaniunt & debacchantur, ut illos non male divinasse de appellatione sectæ Jesuitarum dici possit, qui per ἀντίφρασιν putant vocari Jesuitas pro Suitis, quasi dicas Epicuri de grege porcos. Nam fol. 71. ajunt: *Hac doctrina impudicitia januam aperiri, ac animis libidinis faces administrari.* Et fol. 76. contendunt: *Legitimas nuptias illorum, qui cœlibatum voverunt, & continere non possunt, appellandas esse concitatam fornicationem, adulterium, incestum, summum nefas ac sacrilegium.* Fol. 77. *eos, qui cœlibatum voverunt, & donum continentia non habent, si in Domino contrahant, dicunt fœdis libidinibus operam dare.* Item: *Obscœnis voluptatibus inhiare & involui.* Annon itaque loquuntur de matrimonio & contra nuptias more Suum? Imò & more Tatianorum, Priscillianistarum, Encratitarum & similium?

Sed illi, inquis, qui sic matrimonio improbato, thalamo conjugali rejecto & vitato, nuptiisq; spretis cœlibatum & continentiam vovent, sunt instar Numinum puri, æstu libidinis vacui, longissimi

Castitas ut à Sacerdotibus & Monachis servetur.

gissimi à scortatione, sodomia, adulterio, pietati dediti, reliquisque sanctitate potiores & excellentiores. Imò verò HUGO, ut testatur Fasciculus temporum, de illis perhibet: *Dicitur autem sepulchrum, quasi semipulchrum. Sic etiam Prælati & Magistri nostri temporis exteriùs nitidi, interiùs fœtidi. Omnis enim ipsorum sanctitas est apparens, nitida, ementita & simulata. Sanctissimi inter ipsos (cujusmodi feruntur esse summi Pontifices) sunt lenones, scortatores, masculorum concubitores, perfidi, adulteri, incestuosi, Sodomitæ, dæmoniaci, latrones & carnifices truculenti, sacrilegi, parricidæ, venefici, simoniaci, fures, seditiosi, proditores, athei, idololatræ, Diaboli denique incarnati (Concil. Constant) bestialiter vivunt (Sylvester 2.) titulo Christi negotium Antichristi agitant (Avent. lib. 7.) sub vexillo Christi Christo rebellant, & Satanæ militant. Scientiâ & conscientiâ carent, nec Deũ, nec Sanctos verentur.* Hieronymus in Jerem. cap. 7. lib. 2. jactant, inquit, pudicitiam suam impudenti facie.

Innocentius sermone 2. in die cinerum de vita ipsorum pura, munda, & sanctitate præstabili sic dicit: *Noctu filium Veneris agitant in cubili: Manè filium virginis sacrificant in altari. Nocte Venerem amplexantur: manè virginem venerantur.*

Honorius Augustodunensis in dialogo de prædestinatione: ***Contemplare,* inquit, *& Monachorum conciliabula, & videbis in eis bestiæ tabernacula, per fictam professionem Deum irridentes, iram ejus provocant, normam regularem moribus & vita calcant, perhabitum seculum fallunt, multos deceptos decepti ipsi decipiunt, secularibus negotiis impliciti sunt, in Dei negotio desides existunt, plerique illorum gula & illecebris dediti sunt, multi in* IMMUNDITIÆ *sordes computrescunt. Aspice etiam habitacula Monialium, & cernes in eis bestiæ præparatũ thalamum. Hæ à tenera ætate impudicitiam discunt, complices sibi plurimos ad cumulum suæ damnationis sibi asciscunt, vel se operire festinant, quò magis luxuriæ frena laxare queant. Omnibus fornicariis pejùs prostituuntur, & ut insatiabilis Charybdis nunquam stercore immunditiæ replebuntur. Hæ animas juvenum illaqueant, & gaudent, si plures illaqueent. Et hac vult palmam victoriæ, quæ aliis prævalet in scelere.*** Catalogus Testium veritatis. Quare Monachorum, Monialium, Sacerdotum, omniumque religiosorum vota sunt effrenis licentia, castitas nefaria, cœlibatus cum libidinis æstu, doctrina dæmoniaca, denique puritatis matrimonialis conculcatio & Encratitarum, Priscillianistarum, Montanistarum, Saturnianorum, Manichæorum, Marcionitarum, Tatianorumque hæresis. Ac omnino castitatis & continentiæ colorem istum ac larvam crepantes, illud jactant, cujus gloria non ad ipsos magis, quàm ad alios hæreticos, atque adeo Antichristum pertinet. 1. Tim 4. 1. 2.

CAP. II.

Jejunii veterum hæreticorum & Pontificiorum eandem esse formam & rationem. Imò Papisticum jejunium propter opinionem & fiduciam meriti esse magis hæreticum, quàm illorum.

AD HÆC jejunium priscorum hæreticorum & Papistarum per omnia simile est. Nam MONTANUS primus *certas jejuniorum leges præscripsit,* quum

1. Montani de jejunio hæresis Papistis usitata.

quum Scriptura Euangelica & Apostolica nihil de certis statisque jejuniis tradiderit. Sic Pontificii *jejuniis nullis nisi fixis certorum dierum utuntur*, quod planè Montanicum est, ut videre licet apud Eusebium lib. 5. cap. 17. & 18.

De tempore jejunii. Levit. 16. 29. & 23. 27. Zach. 7. 5. Hest. 9. 31.

Ne igitur jejunium ab ullo pio in superstitiosa & hæretica hac temporis ac dierum observatione ponatur. Nam veteris Testamẽti lex stati jejunii, népe die 10. mensis septimi celebrandi, in novo Testamento non obligat: multò minùs jejunia à Judæis humana tantũ traditione instituta. Et Christus crucem, calamitates & persequutiones dicit caussam ac tẽpus jejunii discipulis novi Testamenti præbituras, Marc. 9. 15. Sit ergo aut publicum jejunium, aut privatum. Publicum, quod eorum, qui præsunt Ecclesiæ authoritate indicatur, & pro ratione incidentis necessitatis in loco publico ab Ecclesia celebratur. Cujusmodi erant illa in veteri Testamento, tum unius, tum plurium prandiorum ad vesperam usque jejunia, ita ut & animantibus aliquando cibus negaretur, Jonæ 3. 7. Jud. 20. 1. 26. Jerem. 36. 9. Joël 1. 14. & 2. 17. Judith. 4. 10. 1. Sam. 7. 5. & in Novo Act. 13. 2. & 14. 23. Quæ fiebant vel in Tabernaculo, Templo seu conventu Ecclesiastico, vel ante Templum, vel in alio loco publico, ut in Mitzpa, id est, specula, qui locus erat in finibus Benjamitarum, quasi in media regione situs, conventibus habendis destinatus.

Privatim.

Privatum fit, quod ab homine quovis privato proprio arbitrio, sive publica, sive privata incidente necessitate (ut quum peccatum agnoscit, vel tentationes Satanæ agnoscit, vel aliquid à Deo impetrare, vel eidem pro beneficio accepto gratias agere vult, vel quũ calamitatem aliquam accepit, vel sibi eventurum putat, vel acceptam avertere rursus vult, &c) suscipitur. 2. Sam. 12. 16. 17. Psal. 35. 13. *Ego autem, quum ipsi ægrotarent, induebar sacco. Humiliabam in jejunio animam meam, oratio mea in sinum meum vertebatur.* In quo observando veteres confitebantur peccata, lugebant, saccis induebãtur, incurvi ingrediebantur, scindebant vestimenta, jacebant in pulvere, cinere capita aspergebãt. Dan. 9. 3. Nehem. 1. 4. Luc. 2. 37 Act. 10 30. Marc. 2. 18. Psal. 35. 14. Isa. 58. 5. Hester. 4. 1. Math. 6. 17. Sed hæc fuerunt pars prædagogiæ veteris Testamenti: Christus istos ritus ita abrogavit, ut liberos fecerit. Gal. 3. & 4. & 5. Colos. 2. cap.

2. In carniũ abstinentia Macedonianos, Manichaos, Priscillianistas, & Eustathianos Papistæ imitantur.

In ciborum deinde delectu inter jejunandum hos antiquorum hæreticorum Papistæ imitantur. MACEDONIUS & ejus asseclæ, EUSTATIUS aliique damnarunt *carnibus vescentes*, ut narrat epistola Gangrensis Synodi, à qua hi etiã ut hæretici vicissim damnati sunt. An non autem idem fit à Papistis, quod Macedoniani & Eustathiani fecerunt? ut nimirum diebus certis à carnibus ipsi abstineant, vescentes autem carnibus diebus vetitis damnent? Ergo Papistæ in hoc etiam pro Macedonianis & Eustathianis, id est, pro hæreticis habendi sunt, quales hoc Gangrensis Synodus judicavit.

Manichæi & Priscillianistæ quoque in suis jejuniis *ciborum delectum adhibebant*, & jejunia sua ex genere ciborum æstimabant, ut à *carnibus* tanquam immundis & execrandis quidem abstinuerint,

at aliis delitiis affatim usi sint. Et quanquam delitiis exquisitissimis circumfluerent ac delectarentur; si tamen *à carnibus & vino se continebant*, jejunare videbantur, commemorante Augustino de moribus Ecclesiæ & Manichæorum lib. 2. cap. 31. Et hic quidem mos est Papistarum. Hi quidem quum jejunant, jejunium suum non in abstinentia, sed in genere ciborum collocant, ut fixis statisque diebus carnium ac lacticiniorum esu vitato, piscibus & aliis lautiorib. eduliis cum vino quocunque fruantur ac vescantur. Epulis conquisitis utuntur, sed si à carnibus modò & lacticiniis abstineant, præclarè se jejunasse opinantur, quod Augustinus meritò ridet, & hæreticum censet.

3. In piscibus inter jejunandū pro sanctiore cibo habendis, Marcionis heresin Papistas sequi.

Gravior fit in hoc Pōtificiorum culpa ex piscium usu, quem penè solum, imò potissimùm & maximè ad jejunandum statis suis jejunii diebus concedunt. Nam S. Tertullianus *Marcionis* hæretici consuetudinem fuisse scribit, *ut pisces cibum aliis sanctiorem duceret & diceret*: qua de caussa eum graviter reprehendit. Quantopere igitur vituperandi, qualésve censendi sunt Papistæ, qui diebus jejuniorum suorū omnem sanctitatem & meritum præcipuum jejunandi in piscium esu ponunt? hosq; variis modis quàm delicatissimè parant? suavissimis aromatibus condiunt? & iis satii sese jejunasse gloriantur.

Vera itaque est jejunii definitio una ex parte, quam frater Costerus in Enchiridio suo cap. 18. & Canisius in Catechesi ex Concilii Moguntini canone 35. affert dicens: *Jejunium* (scilicet Papisticum) *est certis diebus juxta morem & præscriptum Ecclesiæ carnibus abstinere.* At altera ex parte, quod addit: *Et saltem unicâ cibi refectione in die contentum vivere*, falsa est: quum gulæ, edacitati, ebrietatique interim non parcant, sed tunc ferè magis, quàm alio tempore, indulgeant. Hinc in sermone 157. de tempore perhibetur: *Sunt quidam observatores Quadragesimæ delitiosi potiùs, quàm religiosi, exquirentes novas suavitates magis, quàm veteres concupiscentias castigantes. Qui pretiosis copiosisq; apparatibus fructuum diversorum quorumlibet varietates & sapores superare contendunt. Vasa in quibus cocta sunt carnes formidant, & in carne sua ventris & gulæ luxuriam non reformidant.*

De delectu ciborum in jejunio.

Ne ergo etiam in ciborum, uti carnis, lacticiniorum, piscium, ac leguminum delectu & discrimine jejunium collocetur. Veteres enim nihil omnino edebant jejunantes, sed in luctu, humilitate animi, peccatorum confessione & precatione versabantur. Piis verò post abrogatam veteris Testamēti pædagogiam, ea libertas est à Christo parta, ut sine offensione Dei & sine offendiculo conscientiæ bonâ Dei gratiâ uti possint quibuslibet cibis, absque superstitioso delectu & discrimine, 1. Tim. 4. 4. Coloss. 2. Math. 15. 11. Act. 10. Nam dicit Apostolus: Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, si cum gratiarum actione sumatur. Christus verò: *Non quod ingreditur os, polluit hominem: sed quod egreditur ex ore, &c.*

4. Ob fiduciam mariti in jejunio poni solitā Pontificios magis esse hæreticos quàm veteres Manichæos, Marcionitas & Montanistas.

Gravissimus verò abusus, & maximè hæreticus error in jejunio Papistico est, quo etiam vetustos hæreticos Montanistas, Macedonianos, Eustathianos, Manichæos, ac Marcionitas longè superant

perant

perant, quòd instar Pharisæorum Luc. 18.12. non minimam cultus divini partem, & fiduciam satisfactionis pro peccatis ac meriti vitæ æternæ in suo jejunio collocant. Hunc enim usum & finem sui jejunii veteres illos hæreticos respexisse, aut tam palàm ac impudenter spectasse sicut Pontificios, non facilè in scriptis priscorum occurrit. At Pontificii Doctores hac tanta arrogãtia, impudentia, audaciaque de suo jejunandi instituto atque exercitio scribunt. GRATIANUS lib. 14 quæst. 2. cap. animæ, *Jejuniis dicit animas è purgatorio liberari*. Sententiarii in lib. 4 ajunt, *Satisfactionẽ constare eleemosinis & jejuniis.*

ECCIUS in Enchiridio cap. 14. *De jejunio*, ait, *liquet, rem esse sanctam propter corporis macerationem, Spiritus pertinacis expulsionem, divinæ gratiæ implorationem, & Christi jejunantis imitationem.*

Confidentiùs tamen & minori cum verecundia posteriores Pontificii persuadere omnibus conantur, Deum suis jejuniis coli, placari ac demereri. SOTUS enim in assertionibus Catholicis dicit: *Jejunium esse opus satisfactorium, quo peccata expiemus, iram Dei mitigemus, & vitam æternam mereamur.*

Bellarminus lib. 2. de bonis operibus in partic. cap. 11. *Jejunium*, inquit, *utile est ad Deum colendum, & ad satisfaciendum ei, &c.*

De vero fine & usu jejunii.

Adversus hæc piis persistendum est in opere passionis (quâ & jejunium ejus Math. 4. intelligitur ac continetur) mortisque Jesu Christi, quod unicum est meritorium, placatorium & satisfactorium pro peccatis nostris omnibus, 1. Corinth. 15. 3. Isaiæ 53. 2. Corinth. 5. &c. Quòve major & certior nobis sit fiducia in eo uno collocata, meminerimus remissionem peccatorum & expiationem, satisfactionemque omnem pro iis, opere illo passionis atque mortis Christi promeritam & acquisitam, nobis sigillis Baptismi & Cœnæ Dominicæ obsignari, Marc. 1. Act. 2. Eph. 5. Tit. 3. Math. 26. Luc. 22. 1. Corinth. 11. Rom. 4.

Existimandum deinde, stultum esse aliquam satisfactionis & expiationis partem, sanctitatísve laudem, ac cultũ Dei in jejunio constituere, quum verũ quoque jejunium, exercitium tantummodò sit, quod ex seipso nihil habet sanctitatis, utilitatis autem parum. Nã *corporalis exercitatio paululum habet utilitatis*, inquit Apostolus 1. Timoth. 4. 8. Si enim quo quisque magis corpus jejuniis maceraret, eò esset sanctior, & Deo acceptior, sequeretur Johannem Baptistam sanctiorem & Deo Patri chariorem fuisse Christo Salvatore, & Filio ejus unigenito: magis enim & plus quàm Christus jejunavit. Etenim *Christus edebat & bibebat*, prout homines temperanter consueverunt. Johannes verò dicitur *neque edisse, neque bibisse*, Mathæi 11. 18. 19. Christus etiam Phærisæum bis singulis septimanis jejunantem, debita sanctimoniæ laude defraudasset, Luc. 18.

Quid? quòd Apostolus Rom. 14. ℣. 27. ait: *Non est regnum Dei esca aut potus?* Annón hoc tam brevi dicto omnẽ cultus & satisfactionis atque sanctitatis opinionem, quæ de jejuniis haberi possit, planè destruit? Nam concludi inde necessariò sic potest:

Regnum Dei non vertitur aut consistit in eduliis quibuscunque.

Cultus Dei est vel regnum Dei, de quo Apostolus loquitur, vel pars illius regni.

Ergo cultus Dei non vertitur in edulüs quibuscunque.

Idem Apostolus in epistola ad Corinthios priori capite 8. ℣. 8. dicit: *Esca nos non commendat Deo. Neque enim si vescamur, abundantiores sumus: neque si non vescamur, pauperiores reddimur.* Ex quo sic inferimus & argumentamur:

Quod hominem Deo non commendat, eo Deus neque colitur, neque placatur. Nisi fortè dicatur coli aut placari Deum rebus his, quæ ipsi minimè placent aut commendantur. Quod absit.

Cibus qualiscunque sive manducatus sive non manducatus, hominem Deo non commendat.

Ergo Deus cibo qualicunque neque colitur neque placatur.

Ubi advertenda est vox περίσσευμα. Hæc enim præter laudem & commendationem utilitatis insuper alicujus & frugis atq; opis, continet significationem. Quæ quia per negativam οὐ ab abstinentia removetur, argumentum facit illustrius in hunc modum.

Quod nullam homini adfert περίσσευμα, hoc est, *utilitatem atque opem seu copiarum abundantiam, sive ὑστέρημα,* id est, *defectum, inopiam coram Deo, id neque satisfactio neque cultus Dei esse potest.* Satisfactione enim peccata expiantur, & cultu gratia Dei conciliatur; quò majus περίσσευμα, hoc est, major utilitas & opulentia seu copiarum abundantia fingi non potest.

Verùm cibus qualiscunque nullum homini adfert περίσσευμα, id est, *utilitatem atque opem seu copiarum abundantiam: neque etiam ὑστέρημα,* id est, *defectum coram Deo.*

Igitur cibus qualiscunque neque satisfactio, neque cultus Dei esse potest.

Subserviunt autē jejunia magis cultui divino, quàm ut ipsa per se cultus sint Dei, aut cultus rationem atque elogium obtineant. Commendantur enim nobis jejunia tum sacrarum literarum testimoniis, tum sanctorum hominum exemplis: sed non eò, ut ad expiandum peccata, placandum Deum, vitamque æternam promerendam suscipienda sint, quòd in ἱλασμὸν, id est, propitiationem & placamē Christi foret contumeliosum, [a] sed ut caro subigatur, ne cōtra Spiritum lasciviat, [b] cor præparetur ad preces ardentiùs rectiúsque fundendas, [c] juvetur contritio seu agnitio peccatorum, excitetur humiliatio coram Deo, & alia veræ pietatis officia atque exercitia meliùs peragi possint, [a] Psal. 109. 24. Deut. 32. 15. Esa. 8. 21. 1. Corinth. 1. 17. [b] Joël. 1. 17. Nehem. 4. Luc. 2. 37. Math. 17. 21. 1. Corinth. 7. 5. [c] 1. Sam. 7. 6. Psal. 35. 31. &c.

Deposcitur autem inprimis *jejunium spirituale* seu allegoricum, quod est purificatio cordis per fidem in Christum, abstinentia ab omni cibo & fermento malitiæ, ab illicitis cupiditatibus ac sceleribus, luxuria, invidentia, fastu, ira, odio, avaritia, ebrietate, crapula, dejerandi impietate, idololatria, furto, rapina, adulterio, mendacio, litibus, &c. ut dicitur Jerem. 14. 12. *Quum jejunaverint, non exaudiam preces eorum, quia à peccatis non abstinent.* Ac Isaiæ 58. 5. *An tale est jejunium,* inquit Deus, *per diem ut affligat homo animam suam? an ut incur-* *Jejunium spirituale.*

re

vet ſicut juncus caput ſuum? & ſaccũ ac cinerem ſternat? An iſtud vocabis jejunium, & diẽ accep tabilẽ Jeh va? Nonne hoc eſt jejuniũ quod elegi, ut diſſolvatis colligationes impietatis, ſolvas faſciculos graves, & dimittas confractos liberos, atque ut omne jugum diſrumpatis? Ut frangas eſurienti panem tuum, & pauperes vagos introducas in domum? quum videris nudum operies eum, & à carne tua ne abſcondas te? In ſumma, parvi æſtimari à Deo jejunia, imò pro hypocriſi haberi, niſi adſit interior cordis affectus, vera peccati & ſui ipſius improbatio, vera humiliatio, verus dolor ex timore Dei, & verum juſtitiæ & charitatis ſtudium, docetur exemplo Phariſæi, Lucæ 18. Math. 6. Joël. 2. 13.

Cæſarius Arelatenſis. Hinc Cæſarius Arelatensis apud Bedam in ſcintillis tomo 7. inquit: *Quid prodeſt, ſi carnem noſtram jejuniis & vigiliis affligamus, & mentem noſtram non emendemus, aut quæ interiora ſunt curemus?*

CAP. III.

De limbo Patrum Pontificios hæreticum Montani & Marcionitarum dogma ſpargere atq; ſequi.

1. De limbo Patrum hæreſis Montanica. NOTAT Tertullianus inter Montanica dogmata etiam illud hæreſeos, quòd docerent, *Abrahæ ſinum apud inferos exſtitiſſe, Patriarchas ante Chriſti adventum in inferis fuiſſe, nullorum niſi martyrum animas mox in paradiſum migrare:* De quibus in libris de præſcript. hæret. de corona militis & anima, ubi Tertullianus hæc nec in Scripturis præſcripta, nec ab Apoſtolis inſtituta eſſe fatetur.

Eandem Papiſtas eſſe amplexos. Quid autem aliud præ ſe fert doctrina Pontificiorum de LIMBO Patrum? Quis, & ubi eſt iſte limbus? Vide Antonium Archiepiſcopum Florentinum parte 1. tit. 8. cap. 1. § 4. ibi: *ſic etiam*, &c. & tit. 3. cap. 7. § 4. Bonaventuram in 3. ſentent. diſtinct. 45 12.

Hinc Johannes Eccius diſertè in Enchirid. docet: loco de Sanct. venerat. *Patres, ſcil.* V. T. *erant in limbo nõ lum beat.* Et pag. 99. Sanctos veteris Teſtamenti non in cœlo, ſed in limbo oraſſe dicit. Verba ejus ſunt: *Vidit Judas Machabæus Oniam manus protendentem orare pro omni populo Judæorum. Poſt hoc vidit alium virum ætate & gloria mirabilem, de quo dixit Onias, hic eſt fratrum amator & populi Iſraël, hic eſt qui multum orat pro populo & univerſa ſancta civitate, Hieremias Propheta Dei.* Inde ſic infert: *Si Patres veteris Teſtamenti* IN LIMBO, *nondum clara divinæ faciei viſione beati pro ſuis orabant, quantò magis Sancti in æterna beatitudine Deum facie ad faciem perpetuò contemplantes, credendi ſunt orare pro nobis.* Sẽtit ergo & docet Ecc. Sanct. V. populi Dei ante Chriſti advẽtũ nõ in cœlo, ſed in limbo fuiſſe. *2. Machab. 15.*

Eccius à ſe ipſo diſſidet. Et tamen hæc ipſa poſteà ſive ex imprudentia & oblivione, ſive vi veritatis negans, omnino invocationem & orationem Sanctorum non explicitè in ſacris literis præceptam docet, etiamſi priſcos in veteri Teſtamento limbum poſſediſſe adhuc fateatur, ſcribens: *Explicitè non eſt præcepta Sanctorum invocatio in ſacris literis. Non in veteri Teſtamento, ubi populus alioquin erat propenſus in idololatriam, & Patres erant in limbo nondum beati, Iſaia 63. Abraham neſcivit nos, & Iſraël ignoravit nos. Sub Euangelio etiam non fuit præceptum* (ſic loquitur Eccius) *ne Gentes converſi, crederent ſe iterum induci ad cultum terrigenarum, ut pro veteri more Sanctos non ut Patronos, ſed ut Deos adoraſſent: ſicut Ly-*

caonia Paulo & Barnaba sacrificare volebant, &c. At si invocatio Sanctorum non expressè exstat in Scriptura sancta, ergo nec oratio & intercessio illorum pro nobis. Sed de hoc nos in tract. nostro *de belli Papisti circa orationem Theologica narratione* uberè disseruimus.

Limbus ab ipsis Pontificiis improbatur.

Redeamus ad propositum de limbo Patrum, de quo ex antecedentibus sic inferimus. Quare quum limbus iste Patrum à veteribus Pontificiis, nimirum Scholasticis confictus, sic & invocationem & intercessionem Sanctorum in dubiū vocet ac tollat, alii Pontificiorum aliter de tali re loquuntur atque scribunt, ut doctrinam de limbo etiam haud obscurè evertant. Bellarminus enim lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 19. producit pro Sanctorum invocatione argumenta ex veteri Testamento, *quia tunc ab his in cœlo fuerit usitata intercessio.* Si igitur in cœlo, ergo non in limbo fuêre.

Sic & Johannes Pistorius pag. 255. Ducis scilicet sui pro seductis Christianis cap. 6. ait: *Jeremiam & Oniam veteris Testamenti Sanctos in cælo pro populo Isrdëlitico orasse.* Ac pag. 256. affirmat: *Magnorum Sanctorum animas statim ab ipsorum morte in* CœLUM, *seu ad* CONSPECTUM DEI *ferri.* Itaque licèt idem Pistorius postea pagina 262. contrà asserat cum Eccio & limbi assertoribus, *animas Sanctorum ante Christi in cœlos ascensionem in cælo non fuisse, sed solos Angelos*: tamen his modò antè recitatis verbis, ubi *Sanctos veteris Testamenti in* CœLO *orasse*, ait, cum Bellarmino doctrinam illam de limbo Patrum erroris, ac proinde hæreseos arguit, non habitâ ratione, semetipsum quoq; simul hujus argui, dum precationem & intercessionem Sanctorum in cœlis pro nobis asserit, ut suprà cap. 5. explicatum.

1. Opinio liberationis è limbo hæresis Marcionitica.

Adhæc, *Marcionitæ per Christi ad inferos descensum quorundam animas inde ereptas & liberatas somniabant*, teste Epiphanio hæresi 42. & Tertullian: adversus Marcionem. Anrôn autem Papistas idem docere atque sentire constat? Certè Bellarminus & alii id fusè Tom. 1. lib. 4. de Christo cap. 16. asseverat. Sed à JOH. RODOLPHO LAVATERO Tigur. ea hæresis egregiè in lib. de descensu Christi ad infer. an. 1610. emisso refutatur. Vide tum alibi, tum pag. 531.

CAP. IV.

In statuendo precum exercitio tam lingua ignota, quàm pro defunctis, & tribuendo ei salutem Papistas esse hæreticos.

1. Precari linguâ ignotâ esse hæreticum.

AMPLIUS tamen sese hæresi polluere circa orationē, Pontificii nō verentur. Etenim antiquissimi hæretici OSSENI *nihil opus esse affirmabant, ut preces notis verbis & lingua intellecta fierent*, referente Epiph. hæresi 19 ante Christū.

Sic Pontificii preces publicas linguâ plebi ignotâ, nempe latinâ peragunt, & populum docent incognito sermone uti, verbaque peregrina pronunciare, quando precantur. De quo vide plura suprà ubi de Marcosiis egimus capite 9. Privatas verò preces Monialium tales fieri, ut astrictæ sint sermoni latino, quo Psalterium legant, orent, cantent, quis nescit? Alias quoque preces eadem dialecto ab iis fundi, quē præterit? Num verò linguæ latinæ peritia & notitia sunt instructæ? Sic, ut quando de iis loquimur, qui de rebus inco-

Ignorantia Monialis.

gnitis, nec intellectis, suum captum superantibus, suamque notitiam, intelligentiam & scientiam planè fugiētibus disserunt, ac verba faciunt, dicamus: Loquitur de ea re, sicut Moniales de Psalterio. Item: Rem intelligit, quemadmodum Psalterium Moniales. Ut enim hæ non intelligunt Psalterium latinum, quamvis ejus verba legant, audiant, orent, demurmurent, cantillent: sic sæpenumero multi rem aliquam minimè intelligunt, licet de ea loquantur & disserant.

Intentio bona animi an excuset preces non intellectas?

Excusant illi factum hoc, vel potiùs pertinaciter defendunt, dicentes inter precandum sufficere bonam animi intentionem, etiamsi quid preceris non intelligas. Verùm sic contradicunt Catechismo suo Romano, in quo parte 4. cap 8. quæst. 1. 2. 3. &c. *Optimam & efficacissimam orandi rationem esse statuunt, quâ in Spiritu & veritate oretur.* Et quæst. 4. ajunt: *Inani verborum sono minimè exorari Deum.* Quis autem inanior, quàm precari quando sensum non percipis, neque linguam, quâ precaris, calles? Deinde hæc illorum ratio tam puerilis est & ridicula, ut mirum sit, tale quid posse in mentem venire hominibus, qui soli sapere videri volunt. Nec enim fieri potest, ut bona sit animi intentio absque attentione diligenti & seria devotione. Quid verò attendet, aut quo medio animi devotionem excitabit, qui, quid ipse loquatur, aut quid alii dicant & orent, non intelligit? Confutat hîc vel Ethnicus, nempe M. T. Cicero Papistas, qui de Orat. *Verba*, inquit, *neminem movent, nisi eum, qui ejusdem linguæ societate conjunctus est.* Item in Tusc. *In his, ait, linguis, quas non intelligimus, surdi sumus.*

Non tamen ista, quemadmodum & ea, quæ suprà cap. 9. de linguis peregrinis diximus, eo fine recitamus, ut donum linguarum pro inutili omnino vel etiam noxio habeant: quales hodie etiam inveniuntur homines barbari, linguarum & bonarum artium hostes, qui ut propriam ignorantiam ac ruditatem palliare possint, in literarum studia & scholas perinde invehuntur, ac si non aliæ nocentiores sint religionis pestes. Quibus omnibus hoc Pauli votū 1. Corinth. 14. ℣. 5. possumus opponere, qui *Velim autem*, inquit, *vos omnes loqui linguis.* Nam etsi non decere scripserat, ut preces vel explicationes Scripturæ vel Sacramentorum formulæ linguâ peregrinâ & ignotâ in Ecclesia fiant: tamen præclarum donum linguarum non Apostolis modò & viris Apostolicis, sed non minùs vulgo credentium utilissimum agnovit. Ad Scripturas enim veram intelligentiam plurimum facit linguarum cognitio, quâ, qui destituuntur, ii cæcorum & claudorum instar alienis oculis vident, & alienis pedibus ambulant. Quare in eruendis Scripturarum arcanis, & explicandis veris ac genuinis sensibus magnus Hebrææ & Græcæ & Latinæ linguæ usus est. Accedunt mutua hominum & gentiū diversorū commercia, in quibus sui cujusque vernaculi sermonis esse ignarum, aut interprete carere incommodissimum est. Verùm Pontificii non huc respectant, sed contra proprios canones linguarum cognitionē omnino sepultam volunt, peregrinæ linguæ in sacris usu gaudent, quem nemo intelligit, neque interpretatur, iisdemq; nefas videtur, si quis ex populo Christiano

August. lib. 2. de doct. Christi, cap. 11.

stiano de fidei mysteriis & religione orationem perspicuam, & quæ possit intelligi, instituat. Vident enim fortissimum sui regni, aliàs ruituri, fulcrum in populi & plerorumque Ecclesiasticorum ignorantiâ & inscitiâ tam Scripturarum, quàm linguarum situm esse, ac ideo illum aliquâ harum notitiâ atque peritiâ instrui, non possunt ferre.

Preces & sacrificia pro mortuis facere, est hæreticum in Papatu.

Deinde MONTANI dogma fuisse, *preces & oblationes pro mortuis esse faciendas,* meminit Tertullianus in lib. de anima & corona militis. Pontificii ab hoc nõ nihil discrepant, non tamen precationes pro defunctis rejiciunt, ut par esset, & ad hæresin Montanicam effugiendam expediret. Nam pro mortuis quidem esse orãdum & Missæ sacrificium celebrandum, consentiunt. Catechismus enim Romanus part. 4. cap. 5. docens, nullum esse genus hominum in hoc mundo, pro quo non liceat Deum precari, etiam ad mortuos extendit hoc munus, tradens q. 4. PRECES *quæ pro mortuis fiunt, ut ab igne Purgatorio liberentur, ex Apostolorum doctrina fluxerunt, qua de re satis dictum est, quum de sacrificio Missæ loqueremur.* Ubi hoc? Parte 2. cap. 4. quæst. 63. Postquam enim ut laudis, sic etiam propitiationis sacrificium esse Missam docuerunt, subjungunt pertingere etiã hũc sacrificii Missæ fructum & effectum ad defunctos. Dicunt: EA *est vis hujus sacrificii, ut non solùm immolanti & sumenti prosit, sed omnibus etiam fidelibus, sive illi nobiscum in terris vivant, sive jam in Domino mortui, nondum planè expiati sint. Neque enim minùs ex Apostolorum certissima traditione pro his utiliter offertur, quàm pro vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, ac quibusvis calamitatibus & angustiis.* Omitto innumerabiles penè alios libellos & commentarios, qui hoc astruere conantur. Sed ne longior ego sim in re ut notissima, sic à Scripturis divinis, & sacrificio unico Christi expiatorio, & verâ precãdi forma alienissimâ, moneo te Lector, ut refutationem hujus ritus Papalis accuratè pervolvas apud Antonium Sadeelem de sacrificio Missæ, Pezelium contra Catecheses Jesuiticas, & Chemnitium adversus Conciliũ Tridentinum, &c.

Pro quibus defunctis non liceat orare.

In hoc autem nonnulli à Montanistarum ceremonia orandi pro defunctis dissentiunt Papistæ, quòd alii pro beatis in gloria, & pro iis, qui sunt in limbo, & pro damnatis in inferno minimè precandum nec sacrificandum censent, & tamen ab aliis rejiciuntur. Extra enim de celebratione Missæ, cap. *quum Martha,* statuitur: *Pro his, quos constat esse in gloria, vel credit Ecclesia, ut pro canonizatis, orari non debet, quia non indigent.* Augustinum citant, qui scribat: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Hæc ibi. Posterus verò Johannes Holtusius in examine ordinandorum sic ex Augustino pag. 275. effert: *Injuria est pro Martyre orare, cujus nos orationibus commendare debemus.* Serm. 27. de verbis Apostoli. Antonius Archiepiscopus Florentinus parte 3. cap. 8. tit. 5. dist. 5. *Pro his,* inquit, *qui sunt in inferno damnatorum, seu in limbo, non debet orari; quia non possunt juvari, nec in aliquo sublevari: sed tantùm pro existentibus in purgatorio, ut distinct. 12. quæst. 2. anima, & cap. tempus.* Hæc Antoninus.

Rejicitur illorum sententia.

Aliter verò & penitùs contrà, prorsusque Montanicè seu hæreticè decernitur 13. quæst. 2. cap. *Non æstimemus.* Ubi

Ubi extat: *Sed quia non possumus scire, quis vadit ad purgatorium, vel infernum, vel paradisum, quoad adultos, ideo pro* OMNIBUS DEFUNCTIS *potest orari. Quia ut ait Augustinus: Meliùs supererunt ista suffragia, quibus non obsunt, nec prosunt, quàm deerunt, quibus prosunt.* Idem dicit Antoninus. Et recentiores perinde generatim, sineque delectu & discrimine pro defunctis omnibus preces fundendas esse docent. Nam præter Catechismũ Romanum Burdegalenses Monachi in abjurationis articulis, art. 57. præscribunt: *Credo nec omittendas preces & eleemosynas pro defunctis, nam alioquin non retineremus omnino communionem sanctorũ.* Concilium Tridentinum in decreto de Purgatorio, publicato die 3. Decẽb. sessionis vicesimæ quintæ & ultimæ, Anno 1563. sub Pio IV. Pontifice, sancit, suffragia pro animabus demortuorũm, iisque juvari asserit, ac postea subjungit: *Curent autem Episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia,* ORATIONES, *eleemosynæ, aliáque pietatis opera, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus* DEFUNCTIS *fieri consueverunt, secundùm Ecclesiæ instituta piè & devotè fiant.*

En adeò non alieni sunt ab hæreseos crimine Pontificii, ut Concilium ipsorum celeberrimum copiam ac licentiã cuivis det Montanizandi, imò præcipiat pro iis, qui jam è vita decesserunt, more hæreticorum veterum, qui Mõtanistæ vocantur, orare. Quin & Episcopis & Ecclesiæ ministris in mandatis det, ut hanc hæresin omnes doceant amplecti, & impigrè sub pietatis nomine ac prætextu sequi. Quæ ad defensionem hujus facti objiciunt, Sadeel & Pezelius satis diluêre ac profligavêre.

Etsi autem Papistæ hæresin MESSALIANORUM in eo imitantur, quòd efficaciam & virtutem Baptismi tantùm restringunt ad peccata illum antegressa, sicut cap. 9. hujus libri declaravimus: mutuati tamen ampliùs ab iisdem sunt hoc quoque hæreticum dogma, remissionem peccatorum & salutem ex precum assiduitate atque vi obtingere. Nam *Messaliani* (quorum hæresis initia quædam sua habere cœpit sub Constantino Magno, quemadmodum Epiphanius scripsit, pleno autem gradu & speciali appellatione sub Valentiniano & Valente Impp. circa Annum Christi 341. ac paulò post innotuit) hoc caput sui erroris constituerunt, quòd *orationi seu precationi totam nostram salutem adscripserunt, & Christi sanguini ademerunt.* Qua de caussa orationibus & canticis tantùm per totum diem fuerunt intenti ac dediti, indéque etiam *Psalliani & Euchitæ* dicti.

5. *Precibus salutem ascribere esse hæreticum in Papatu.*

Idem minimè omittere, sed perstrenuè & sentire & docere & facere Monachos, sacrosque ordines ac religiosos omnes in Papatu, nihil minùs clàm atque obscurum est. Nam arrogant sibi solis præcipuè munus pro omnibus omnis generis, loci, conditionis, ac status hominibus psallendi, precandi, & apud Deum suis hymnis, orationibus, obsecrationibus, postulationibusque intercedendi, tanta cum impudentia & confidentia, ut se etiam in hoc conduci, sibi dona, vectigalia, census, redditusque annuos, & prædia quoq; tribui ac conferri hoc potissimùm nomine sinant, quòd pro cæteris officio orandi & cantãdi psalmos fungi velint ac perfungantur. Deinde meritum

ſtiano de fidei myſteriis & religione orationem perſpicuam, & quæ poſſit intelligi, inſtituat. Vident enim fortiſſimum ſui regni, aliàs ruituri, fulcrum in populi & plerorumque Eccleſiaſticorum ignorantiâ & inſcitiâ tam Scripturarum, quàm linguarum ſitum eſſe, ac ideo illum aliquâ harum notitiâ atque peritiâ inſtrui, non poſſunt ferre.

Preces & ſacrificia pro mortuis facere, eſt hæreticum in Papatu.

Deinde MONTANI dogma fuiſſe, *preces & oblationes pro mortuis eſſe faciendas*, meminit Tertullianus in lib. de anima & corona militis. Pontificii ab hoc nõnihil diſcrepant, non tamen precationes pro defunctis rejiciunt, ut par eſſet, & ad hæreſin Montanicam effugiendam expediret. Nam pro mortuis quidem eſſe orãdum & Miſſæ ſacrificium celebrandum, conſentiunt. Catechiſmus enim Romanus part. 4. cap. 5. docens, nullum eſſe genus hominum in hoc mundo, pro quo non liceat Deum precari, etiam ad mortuos extendit hoc munus, tradens q. 4. PRECES *quæ pro mortuis fiunt, ut ab igne Purgatorio liberentur, ex Apoſtolorum doctrina fluxerunt, qua de re ſatis dictum eſt, quum de ſacrificio Miſſæ loquueremur.* Ubi hoc? Parte 2. cap. 4. quæſt. 63. Poſtquam enim ut laudis, ſic etiam propitiationis ſacrificium eſſe Miſſam docuerunt, ſubjungunt pertingere etiã hũc ſacrificii Miſſæ fructum & effectum ad defunctos. Dicunt: E A *eſt vis hujus ſacrificii, ut non ſolùm immolanti & ſumenti proſit, ſed omnibus etiam fidelibus, ſive illi nobiſcum in terris vivant, ſive jam in Domino mortui, nondum planè expiati ſint. Neque enim minùs ex Apoſtolorum certiſſima traditione pro his utiliter offertur, quàm pro vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, ac quibuſvis calamitatibus & anguſtiis.* Omitto innumerabiles penè alios libellos & commentarios, qui hoc aſtruere conantur. Sed ne longior ego ſim in re ut notiſſima, ſic à Scripturis divinis, & ſacrificio unico Chriſti expiatorio, & verâ precãdi forma alieniſſimâ, moneo te Lector, ut refutationem hujus ritus Papalis accuratè pervolvas apud Antonium Sadeelem de ſacrificio Miſſæ, Pezelium contra Catecheſes Jeſuiticas, & Chemnitium adverſus Conciliũ Tridentinum, &c.

Pro quibus defunctis non liceat orare.

In hoc autem nonnulli à Montaniſtarum ceremonia orandi pro defunctis diſſentiunt Papiſtæ, quòd alii pro beatis in gloria, & pro iis, qui ſunt in limbo, & pro damnatis in inferno minimè precandum nec ſacrificandum cenſent, & tamen ab aliis rejiciuntur. Extra enim de celebratione Miſſæ, cap. *quum Martha*, ſtatuitur: *Pro his, quos conſtat eſſe in gloria, vel credit Eccleſia, ut pro canonizatis, orari non debet, quia non indigent.* Auguſtinum citant, qui ſcribat: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Hæc ibi. Poſterus verò Johannes Holtuſius in examine ordinandorum ſic ex Auguſtino pag. 275. effert: *Injuria eſt pro Martyre orare, cujus nos orationibus commendare debemus.* Serm. 27. de verbis Apoſtoli. Antonius Archiepiſcopus Florentinus parte 3. cap. 8. tit. 5. diſt. 5. *Pro his,* inquit, *qui ſunt in inferno damnatorum, ſeu in limbo, non debet orari; quia non poſſunt juvari, nec in aliquo ſublevari: ſed tantùm pro exiſtentibus in purgatorio, ut diſtinct. 12. quæſt. 2. anima, & cap. tempus.* Hæc Antoninus.

Rejicitur illorum ſententia.

Aliter verò & penitùs contrà, prorſuſque Montanicè ſeu hæreticè decernitur 13. quæſt. 2. cap. *Non æſtimemus.* Ubi

Ubi extat: *Sed quia non possumus scire, quis vadit ad purgatorium, vel infernum, vel paradisum, quoad adultos, ideo pro* OMNIBUS DEFUNCTIS *potest orari. Quia ut ait Augustinus: Meliùs supererunt ista suffragia, quibus non obsunt, nec prosunt, quàm deerunt, quibus prosunt.* Idem dicit Antoninus. Et recentiores perinde generatim, sineque delectu & discrimine pro defunctis omnibus preces fundendas esse docent. Nam præter Catechismũ Romanum Burdegalenses Monachi in abjurationis articulis, art. 57. præscribunt: *Credo nec omittendas preces & eleemosynas pro defunctis, nam alioquin non retineremus omnino communionem sanctorũ.* Concilium Tridentinum in decreto de Purgatorio, publicato die 3. Decẽb. sessionis vicesimæ quintæ & ultimæ, Anno 1563. sub Pio IV. Pontifice, sancit, suffragia pro animabus demortuorum, iisque juvari asserit, ac postea subjungit: *Curent autem Episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia,* ORATIONES, *eleemosyna, aliáque pietatis opera, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus* DEFUNCTIS *fieri consueverunt, secundùm Ecclesiæ instituta piè & devotè fiant.*

En adeò non alieni sunt ab hæreseos crimine Pontificii, ut Concilium ipsorum celeberrimum copiam ac licentiã cuivis det Montanizandi, imò præcipiat pro iis, qui jam è vita decesserunt, more hæreticorum veterum, qui Mõtanistæ vocantur, orare. Quin & Episcopis & Ecclesiæ ministris in mandatis det, ut hanc hæresin omnes doceant amplecti, & impigrè sub pietatis nomine ac prætextu sequi. Quæ ad defensionem hujus facti objiciunt, Sadeel & Pezelius satis diluêre ac profligavêre.

Etsi autem Papistæ hæresin MESSALIANORUM in eo imitantur, quòd efficaciam & virtutem Baptismi tantùm restringunt ad peccata illum antegressa, sicut cap. 9. hujus libri declaravimus: mutuati tamen ampliùs ab iisdem sunt hoc quoque hæreticum dogma, remissionem peccatorum & salutem ex precum assiduitate atque vi obtingere. Nam *Messaliani* (quorum hæresis initia quædam sua habere cœpit sub Constantino Magno, quemadmodum Epiphanius scripsit, pleno autem gradu & speciali appellatione sub Valentiniano & Valente Impp. circa Annum Christi 341. ac paulò post innotuit) hoc caput sui erroris constituerunt, quòd *orationi seu precationi totam nostram salutem adscripserunt, & Christi sanguini ademerunt.* Qua de caussa orationibus & canticis tantùm per totum diem fuerunt intenti ac dediti, indéque etiam *Psalliani & Euchitæ* dicti. 5. *Precibus salutem ascribere esse hæreticum in Papatu.*

Idem minimè omittere, sed perstrenuè & sentire & docere & facere Monachos, sacrosque ordines ac religiosos omnes in Papatu, nihil minùs clàm atque obscurum est. Nam arrogant sibi solis præcipuè munus pro omnibus omnis generis, loci, conditionis, ac status hominibus psallendi, precandi, & apud Deum suis hymnis, orationibus, obsecrationibus, postulationibusque intercedendi, tanta cum impudentia & confidentia, ut se etiam in hoc conduci, sibi dona, vectigalia, census, redditusque annuos, & prædia quoq; tribui ac conferri hoc potissimùm nomine sinant, quòd pro cæteris officio orandi & cantãdi psalmos fungi velint ac perfungantur. Deinde meritum

remissionis peccatorum omnium ac vitæ æternæ impetrandæ consequendæque in hoc dicunt consistere, & uno verbo salutem omnium ac singulorum in eo sitam jactant, quòd ad certum quendam numerum preces suas astrictas habeant, recitant, & Deo veluti annumerent: existimantes, profitentes & gloriantes, se frequenti repetitione salutationis Angelicæ ad Mariã, precationis Dominicæ, orationum ad sanctos utriusque sexus directarum, denique murmuris Missatici & Psalmodici, ex opere operato exauditionẽ à Deo promereri, ac quasi elicere, bonáq; terrena & cœlestia, præsertim verò æternam felicitatem impetrare.

Encomia vitæ Monasticæ.

Pertinent has laudes, quibus ipsi Monachatum suum & ordines suos, vota, regulas & observantias Monasticas deprædicant. THOMAS enim Aquinas in summa ait: *Probabiliter dici, per ingressum religionis*, hoc est, Monasticæ vitæ professionem & functionem, *haberi omnium peccatorum remissionem, quoad culpam & pœnam.* Antoninus part. 3 tit. 16. cap 4 § 3. ℣. 10. dicit: *Laborem religionis* (Monachatus) *omnem aliam* (ergo etiam Christi) *satisfactionem non transscendere.*

Bulla quâ aliis communicatur meritum ordinis Monastici.

Et tradunt communiter omnes, per Monachatum non solùm professorib. illius peccata propria remitti, sed ejus quoq; merita aliis communicari. Unde Abbas Cisterciensis JOHANNES, totusque conventus Abbatum Capituli Generalis Cisterciensis ordinis in Bulla sua cuidam Schatzio, ejusque uxori & liberis sic scribunt: *Vobis concedimus plenariam participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet horarum canonicarum, Missarum,* ORATIONUM, *jejuniorum, vigiliarum, pœnitentiarum, disciplinarum, abstinentiarum, eleemosynarum, hospitalitatum, laborum, cæterorúmque divinorum obsequiorum, quæ fiunt & de cætero fient in toto ordine nostro, in vita pariter vestra & morte. Ita quòd quum obitus vestri nostro fuerint generali capitulo nunciati, ibidẽ sicut unus nostrûm absolvemini, omniumq́; Missarum &* ORATIONUM *efficiemini participes & consortes.* Hactenus Bulla.

Monachi somnus quantum operibus quoque aliorum præstet.

BERNARDINUS in Rosario serm. 27. parte 2. *Religiosus*, inquit (hoc est, Monachus) *qualibet* MINIMA *operatione sua, etiam* DORMIENDO, *comedendo & quiescendo* MAGIS MERETUR, *quàm secularis etiam in* MAXIMIS BONIS OPERIBUS. Numnõ ergo Monachi in regno Papali instar Messalianorum omnem nostram salutem operi suarum precationum & & psalmodiarum adscribunt, Christi autem sanguini præripiunt?

Nec est, ut cæteros Pontificios ab hæretica hac opinione & præsumptione exemptos putemus. Communiter enim & in genere Antoninus Archiepiscopus Florentinus parte 4. lib. 5. c. 9. § 8. omnibus & singulis Papicolis hoc insitum scribit, ut de effectu seu utilitate orationis ita sentiant. *Merito dicitur* Jacobi ℣. *Multum valet deprecatio justi. Et ideo Christus nos invitat ad orandum, dicens:* *Petite, & accipietis*, Joh. 16. *Valet enim ad quatuor. Primò ad meriti acquisitionem Secundò ad peccati satisfactionem. Tertiò ad animi consolationem & refectionem. Quartò ad petiti impetrationem:* quæ ibidem deinceps omnium Papistarum loco ac nomine probare nititur. *Math. 6. Luc. 11.*

Ad hæresin igitur in hoc cavendum obser-

Orthodoxa sententia de effectis orationis. observanda est orthodoxa & sana de orationis effectu doctrina. Ea est, quòd quidē inter fructus seu effectus precationis etiam est exauditio, seu consequutio petitorum à Deo spiritualium & corporalium bonorum, imò plus quā petamus & intelligamus. Sicut Apostolus Paulus in epistola ad Ephesios capite 3. ℣. 20. dicit: *Ei verò, qui potest infinita cum redundantia facere omnia super ea, quæ petimus, aut mente recipimus, pro vi illa agente in nobis, sit gloria in Ecclesia per Christum Jesum, in omnes ætates seculi seculorum, Amen.* Imò & salutem nostrā esse orationis fructum atque effectum, idē ad Rom. 10. ℣. 13. his docet ex Joëlis cap. 2. ℣. 32. *Quisquis enim invocaverit nomen Domini, servabitur.*

Ast quemadmodum Christus Mathæi 6. & Luc. 18. ℣. 10. 11. &c. nihil hujusmodi impetrari docuit Pharisaica in orando superbiâ, battologiâ & præposterâ confidentiâ, sed fastum hypocritū & ambitiosam Pharisæorum ostētationem in fundendis precibus reprehendit, qua cum in publicis stantes locis & angulis, suum in orando studiū omnibus deprædicabant atque ostentabant, tum ob opus ipsum precationis peractæ sese exaudiri, & salutem sibi aliisque impetrare posse opinabantur: sic non minùs superciliosus Monachorum fastus, alligatum ad certas preculas multiloquium, & ambitionis plena ac confidens harum ostentatio & fiducia nullius ponderis esse apud Deum, sed potiùs ab eo rejici existimandum est. Nam hæc Monastica precandi exercitatio clarè in Scripturis sacris passim redarguitur, præsertim Math. 6. Luc. 11. & 18. Et cujúsnam momenti apud Deum esse posset oratio Monachorum atque psalmodia, qui horarum canonicarum observatione & precularum suarum, quas absque mente & devotione deblaterant, inani murmure gloriantur? qui assiduum & indesinens orandi studium omnibus jactitant? qui devotis laicorum precibus boatus suos claustrales longè anteponunt? qui eorum efficaciam in promerenda non sibi tantùm, sed aliis etiam, peccatorum remissione, satisfactione, expiatione, regnique cœlorum possessione adversus unicum & perfectissimum Christi meritum tanto cum supercilio jactant? qui preces suas homūculis superstitiosulis & stolidis summo divendunt precio, & suâ miseros pecuniâ emungunt? qui tantùm hunc in finem maximè suam operam orandi aliis elocant, ut ipsi ex eorum opibus ac donis ditentur, impuneque per omnes libidines & voluptates, quemadmodum experientia magistra discitur, volutari queant? quorum oratio Pharisæorum & Ethnicorum in battalogia superbia, ambitiosaque & præpostera fiducia est simillima? qui deniq; Messalianorum hæreticorum institutum & ritum, à sanctis Patribus manifestè hæreseos damnatum, in precando potiùs sequuntur, quàm orthodoxæ Ecclesiæ?

Ut autem non propriis fidendū est meritis in precatione, nec salus in nostro orationis nostræ opere collocanda, quum alioqui vertatur in peccatum & inanis reddatur: sic fiduciâ meriti Christi & misericordiæ Patris est orandum, salusque nostra omnis, tota atq; universa in hac figenda, huicque accepta ferenda. Inter propria enim & le-

ges rectæ, piæ, salutarisq; orationis atq; invocationis hæc est potissima & summa, ut fiat firma cum fiducia misericordiæ & favoris Dei propter CHRISTUM fide apprehensum cum omnibus suis meritis & beneficiis, certaque exauditionis spe, quod velit liberaliter & gratuitò opem ferre, ac salutem largiri per illum omnibus invocãtibus suum nomen, & petentibus temporaria atque sempiterna bona ab ipso & per ipsum juxta illud Joh. 16. 23. *Amen, amen dico vobis, quacunque petieritis à Patre meo in* NOMINE MEO, *dabit vobis.* Et Math. 21. ℣. 22 *Quacunque petieritis* CREDENTES *accipietis.*

Ac sola diffidentia inprimis ac maximè Deum in precibus nostris irritari atque offendi, docet cùm Christus Math. 17. 20. tum Jacobus Apostolus cap. 1. 6. 7.

Fide autem factam precationem imprimis & potissimùm exaudiri, ac terrena cœlestiaq; impetrare, testatur Apostolus Heb. 11. 6. Christus Math. 17. 20. Luc. 17. 6. Jacob. 1. 6. Nam fides nititur 1. promissione & veritate Dei promittentis. 2. Paterna Dei στοργῇ, id est, affectione erga nos. 3 Merito Christi, quod est infinitum.

Joël 2. 32. *Rom. 10 13.* Hinc Paulus locum Joëlis citans & explicans, *salutem invocationi promitti* docet, non propter ipsum precandi opus, studium, assiduitatemque, sed potiùs propter fidem, ex qua invocatio vera nascitur, quæve his jam recitatis Dei adjunctis nititur. Admonet enim de hoc, quando Joëlis sententiæ infert: *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt?* Ut enim ab homine nemo opem petit, ac etiam impetrat, nisi eum & velle & posse juvare fidat: Ita nec Deum aliquis rectè implorabit, neque ab eo quicquam acquiret, nisi qui de illius voluntate & potentia spem & fiduciam certam jam ante concepit.

CAP. V.

In reliquiarum veneratione hæreses Sampsæorum, Ossenorum, & Circumcellionum, Papistis esse familiares ac tritas.

TAM impudentes ac væcordes esse Pontificios, ut improbantes & rejicientes reliquiarum venerationem religiosam pro hæreticis habeant, sed gravissimè in eo errare, suprà parte 1. lib. 3. cap. 4. recensuimus. Retorqueri autem merito recteque potest, eos potiùs verè hæreticos esse, qui reliquiis Sanctorum cultum venerationis religiosum præstant, tales que reverà esse ipsos Pontificios: quod sic probamus.

SAMPSÆI *duarum fœminarum, quas ut deas colebant, pulverem pedum & sputum servabant, hacq; ad morbos curandos valere omnibus persuadebant*, ut Epiphanius hæresi 53. commemorat. *1. Sampsæi hæresin tenent de reliquiis.*

Similis fuit OSSENORUM superstitio, eodem hæresi 19. ante Christum authore. *2. Osseni.*

Nec minùs CIRCUMCELLIONES *ubique circum cellas* (teste Isidoro in lib. de officiis) *vagabantur, venalem circumferentes hypocrisin, circumeuntes provincias, nusquam missi, nusquam fixi, nusquã stantes, nusquam sedentes, habentes pro Deo membra Martyrum, quæ plerumque aliis venditabant*, &c. *3. Circumcelliones.*

Eodem modo Pontificii, inprimis inter eos Monachi & sacrifici *Divorum*

In reliquiis venerandis Papistas illorum hæresis sectari.

vel Sanctorum & Martyrum utriusque sexus reliquias colunt, circumferunt, atque ad valetudinem vel tuendam vel recuperandam multum prodesse putant, deblaterant atq; jactant. Quod si probatione eget, remitto unumquemque hanc desiderantem aut postulantem ad Johannis Calvini admonitionem de reliquiis, inter opuscula ejus à folio 577. usq; ad 604. productam: Rodolphi item Hospiniani librum 2. de templis, cap. 7. quo agit I. de origine & progressu, tráslationis, venerationis, adorationis & cultus reliquiarum Sanctorum ac Martyrum in templis asservatarum: II. Responsiones Bellarmini ad nostrorum argumenta contra earum translationem & cultum, ac illarum refutationem in medium affert: III. Argumenta & rationes Bellarmini pro Sanctorum reliquiis, earumque cultu solvit. Maximè verò demóstrat, non modò parem esse Pontificiorum operam in reliquiis tractandis hæresibus Circumcellionum, Offenorum & Sampsæorum, verùm etiam longè deteriorẽ, superstitiosiorem, & fraudis, impietatis, erroris que pleniorem.

Reliquiarũ cultus origo & progressus.

Ac fatemur quidem præter Sampsæos, Offenos & Circumcelliones etiam alios primitivæ Ecclesiæ Christianos admodum sollicitos & laboriosos fuisse in colligendis ossibus, cineribus, & aliis Martyrum (quos Tyranni odio nominis Christi, quod ii profitebantur, pœnis capitalibus affecere) fustulis colligendis & coacervandis. Quas corporum reliquias magno honore sepeliebant, tum ut Martyrum memoriam venerabundi colerent, Martyrii que horrorem ex hominum animis excuterent, tum quia fidelium corpora resurrectionem, vitæque æternæ participationem expectantia, hoc honore digna esse crederent. At verò hæc sollicita & pia ossium cæterarumque reliquiarum Martyrum humo condendarum cura, paulatim in superstitionẽ deflexit. Christiani enim postea super sepulchris altaria condere cœperunt, altaribusque templa superstruere, in quæ quotannis eo ipso die, quo Martyres mortis supplicium perpessi fuerant, conveniebant: illicque hymnos in eorum laudem canere solebant, Deumque precari, ut ipsis eorum virtutis & fortitudinis imitandæ facultatem concederet. Quanquam verò hoc bono fine fieret, ut nimirum seipsos Christiani mutuò ad fideliũ Jesu Christi Martyrum vestigia insequenda hisce piis exercitiis acuerent, spreto omni supplicii horrore: nihilominus tamen hoc jam proximè ad superstitionẽ accedebat, nec sibi, quin in ejus barathrum tandem præcipitaretur, cavere ampliùs nequiit. Eò enim tandem res devenit, ut eorum reliquiæ colerentur, & altaribus includerentur, omniáque altaria everti juberentur, in quibus nullæ essent reliquiæ inclusæ: ut è canone quodam, ex Concilio Africano desumpto, liquet. Hinc autem pleriq; præstigiatores & circumforanei impostores occasionem arripuerunt, per universum orbem discurrendi, ad ossiũ mercimonia distrahenda, quæ Sanctorum ac Martyrum reliquias esse multitudini persuadebant, easque in oppidulis & vicis magno pretio venundabant vicanis & oppidanis ad hujusmodi mercis comparationem & emptionem

C. Placuit, de consec. dist. 1.

compulsis aut quoquo modo allectis & inescatis, ne altaribus carere cogerentur. Sed hoc tandem impostorum genus Imperatores *Honorius & Theodosius* sustulerunt, taleque commercium fieri, ut in lege *Nemo Martyres* 3. extat, prohibuerunt. Quod idem canone 61. Lateranensis Concilii, Anno 1215. habiti, prohibitum est 3. cap. *de sacrosancta Ecclesia*, sancitumque ne ullæ novæ reliquiæ recipiantur, nisi prius à Romano Pontifice approbatæ fuerint. Is enim ipse solus nunc hujusmodi generis mercimonii omnium maximè peritissimus, & more Sampsæorum, Ossenorum, Circumcellionum, aliorumq; hæreticorum atque impostorum impudentissimus institutor est.

Nundinatio reliquiarum vetita.

Quinque autem teterrima vitia in universum adeò in reliquiis venerandis Pontificii committunt, ut non possint non se idololatras & hæreticos propterea fateri.

Vitia maxima Papistarum in reliquiarũ veneratione.

1. *Ethnicismus.*

Primò, ETHNICISMUM in reliquiarum translatione & cultu reliquiarum sapiunt atque sequuntur. Nam Gentes Regum ac præstantium virorum corpora, si in loco ignobiliori erant condita, magna pompa & solennitate ad monumenta nobiliora solebant transferre: quos verò Heroas putabãt in splẽdidissimis tẽplis deponere. Hinc facta regia & magnifica ANTIGONI ex Syria in Græciã deportatio, & ossium Thesei à Scyro insula ad Athenas ingenti cum pompa & festiva celebritate peracta deductio. Unde ea, quæ hodie adhuc inter Papistas obtinet, reliquiarum translatio & deductio ortum sumpsisse, & in Christianismum, vel Papismum potiùs, irrepsisse creditur. Quod fatetur Eusebius lib. 1. de præparatione Euangelica, Platonis & Hesiodi judicium de honorandis iis, qui gloriosè vitam cum morte commutãrunt, cum Ecclesiæ (suæ) consuetudine conferens. Ubi postquam authores illos Ethnicos allegavit, dicentes: *Quòd Heroës ipsorum morientes fiant Divi, Dæmones boni, depulsores malorum & Patroni hominum, ideóque doceant eos colere & monumenta eorũ adorare.* Subjicit: *Hæc Platonica rectè accommodantur ad mortẽ Religiosorum. Unde & moris nobis est ad monumenta eorum accedere, & apud illa vota seu precationes facere, honorareque beatas ipsorum animas, tanquam probabiliter seu ratione consentanea hæc à nobis fiant.* Et tandem concludit Eusebius: *Hæc Plato & alii dogmatibus nostris consonantia.*

Deinde hæreses, uti diximus, Sampsæorum, Ossenorum ac Circumcellionũ Pontificii in ista reliquiarũ translatione, deportatione, elevatione, circũductione, gestatione, ostẽtationeq; sequuntur. Aut quósnam alios habent ejus Patriarchas sive Authores? Num sanctos Patriarchas & Prophetas veteris Testamenti? Num sanctos Apostolos in Testamento novo? Nequaquam: sed tantùm cùm Ethnicos, tùm Hæreticos.

2. *Hæreses.*

Exempla enim & argumenta petita à Sanctis, quæ tam è veteri, quàm novo Testamento pro superstitiosa reliquiarum translatione ac veneratione adducunt, contra ipsos potiùs faciunt. Ut quòd reliquiarum Josephi translatione præsidium quærunt, quæ tamen à Papistica genere differt, alio nimirum facta fine, alio modo, alia opinione, & alia prorsus de caussa. Deportabantur enim

Argumenta sub reliquiarum veneratione Papistica.

Exod. 13. 19. Gen. ult.

enim ossa Josephi ex proprio ipsius mandato: Sanctorum autem reliquiæ & Martyrum non modò absque hoc, verumetiam contra mandatum illorum deportantur, ut ex Act. 3. & 10. & 14. & Apoc. 19. ac 21. apparet. Illa non cultus aut venerationis ergò, sed ut testamentum Josephi impleretur, deportata sunt: hæ ut colantur, in necessitatibus ad eas concurratur, vota & precationes apud illas fiant. Illa Israëlitæ sepelierunt: Has Papistæ sepulchris eruunt, & in editiora sacratioraque loca evehunt.

Jos. 14.

De ossibus Mosis & Prophetæ.

Inde *Mosis* Deut. ult. *sepulchrum & reliquias Prophetæ* 4. Reg. 23. objiciunt. Verùm Deus non è sepulcro effodit Mosis corpus, sed abscondidit, non ut honoraretur, sed ne honoraretur, neque celebrem & conspicuum, sed occultum & incõspicuum esse voluit tumulum. Similiter ossa Prophetæ, cujus tumulus in Josiæ reformatione funerum ostendebatur, neque tangebantur, neque adorabantur, neque sepulchro eruta quoquam deportabantur: sed Regis mãdato clausum manebat bustum, & reliquiæ intactæ. Sic enim legitur ibi ℣. 17. 18. Hæc cum superstitione Papistarum quomodo conveniunt, qui ossa Sanctorum & Martyrum sepulchris jubent erui, de collo gestari, tangi, adorari osculis, precibus, munusculis, loco moveri & hinc inde transportari?

De reliquiis Elisæi. 2. Reg 13. 21.

Jactant etiam Pontificii, suam reliquiarum venerationem probari *historiâ de Helisæo Propheta, ad cujus sepulti ossium contactũ mortuus quidam revixerit*. At quid inde pro sua idololatria in reliquiis colendis possunt captare? Nunquam enim ossa Helisæi in hunc usum fuerunt sepulta, ut vi excitandos mortuos, aut expiationis apud sese consequendæ essent instructa, sed ut uno hoc miraculo resuscitati ad vitam hominis ea contrectantis doctrinæ Prophetæ illius affirmaretur. Nunquam etiam illa post editum quoque miraculum sepulchro sunt erutæ, aut in sublimè elevatæ: nũquam circumgestatæ aut osculis honoratæ: nemini ad tangendum, adorandumque propositæ: à nemine candelis cultæ: non serico, auro, argentoq; exornatæ, nec à quoquam opis impetrandæ caussa adoratæ, &c.

Argumentum à miraculis petitum diluitur.

Quod dehinc à *miraculorum ad reliquias editorum congerie deducunt argumentum*, non minùs corruit. Si n. miraculorum, quæ ad Sanctorum busta & monumenta Martyrum dicuntur esse facta, vis ea est, ut religionẽ quandã aut cultum reliquiis deferendum incutere hominibus debeant: quidni & hoc, quod ad Helisæi reliquias factum est miraculum, ad accursum & cultum religiosum Israëlitas permovit? Indicio sanè hoc nobis est luculentissimo, à miraculis ad cultus institutionem fallax esse argumentum.

Proinde & miraculosa ægrotãtium *per Petri umbram* Act. 5. & *Pauli semicinctia* Act. 19. facta sanatio Papisticam in honorãdis reliquiis superstitionem parum juvat. Maximè quum non per reliquias mortuorum, sed ministerium Apostolorum adhuc viventium Deus hæc præstiterit, & miraculorũ hujusmodi designatio donum Ecclesiæ primitivæ Apostolicæ temporale ac personale fuerit. *Hæmorrhusæ* autẽ non nuda solius fimbriæ, sed fiducialis ipsius Christi coràm adstanti contrectatio sanationis beneficium impetravit.

Math. 9.

In

Locus Isa. 11. 10.

In loco ad hæc Isaiæ cap. 11. ℣. 10. quod legunt Pontificii, *Sepulchrum Messiæ fore gloriosum*, & inde concludunt; Reliquias esse religiosè honorandas, partim violenta est consequentia: Non enim omne gloriosum est religiosum: partim vitiosa lectio & interpretatio. Quia non sepulchrum (Scheol) sed Ecclesiã Christi (quæ Manuchat, ejus domus & requies est) cognitione Dei, virtutumque & donorum Spiritus sancti excellentiã gloriosam fore, Propheta prædicit.

Ad Patrũ & Conciliorum testimonia responsio.

Quæ postremò proferunt Patrum & Conciliorum testimonia atque suffragia, non curanda nobis sunt. Nam pleraq; sunt idololatrica & à Scriptura aliena. Neque hominum consuetudinem, sed Dei veritatem sequi nos oportet, dicente Augustino in ipsis Pontificiorum Decretis distinct. 8. cap. veritate: *Repertâ veritate, cedat consuetudo. Nemo sit, qui ausit consuetudinem præferre veritati & rationi.* Ac Cyprianus contra Aquarios: *Omnis consuetudo quantumvis antiqua cedat veritati. Consuetudo sine veritate est vetustas erroris: quóque magis obtinet, eò magis gravat.* Adhæc frustrà à suis collocant partibus Patres Pontificii, qui suâ doctrinâ potiùs reliquiarum cultum religiosum vehemẽtissimè oppugnent, ut ex epistola Hieronymi adversus Vigilantium apparet, & Hospinianus lib. 2. de templis cap. 7. percenset, &c. Imò hoc ipso, quòd Pontificii suam caussam de reliquiis ad Patres & consuetudinem ab illis introductam referunt, sese claré Hæreticos faciunt. Nam: *Quodcunque contra veritatem sapit, hæresis est, etiam vetus consuetudo,* ut testatur S. Tertullianus de velandis virginibus.

5. Fraudes in reliquiis sanctorum constituendis admissæ.

Infecta præterea est Papistica reliquiarum veneratio permagna & intolerabili fraude, cujus dudum convicti sunt, tum ab aliis, tum Johan. Calvino, qui peculiari libello partim incertarum, commentitiarum, suppostitiarum & falsarum reliquiarum imposturas ac fallacias prodidit, & quomodo pro reliquiis Sanctorum ac Martyrum ossa latronum, vel etiam canum aut asinorum colantur, verè narravit atque demonstravit: partim fraudem in affingendo Sanctis duo vel tria corpora, duo vel tria capita, tria vel quatuor brachia, aliaque membra triplicia detexit. Bellarminus verò, etsi de his, quas privati quidam homines circumgestant, annuat: de illis tamen, quæ aut publicè in templis venerandæ exponuntur, aut Romani Pontificis approbatione & authoritate recipiuntur, præfractè negat, lib. 2. de Ecclesia triumphante, cap. 4.

Papam errare in canonizando.

At si Pontifex Romanus, ne quidem, quid vera fides sit, intelligat, quomodo intimos cordis recessus, & occulta ossium discrimina, corporumque cadaverum membra perspecta habeat? Annón hallucinari eum, perperam judicare, Ecclesiam decipere, & damnatum quempiam pro beato obtrudere posse credendum est?

Nam sæpe accidit, ut quemcunque velit hominem defunctum invitis etiam Episcopis & Cardinalibus in Divorum numerum referat, teste Troil. Malvit. in tractatu de Canonizatione lib. 3.

Interdum Pontifex coactus fuit ad canonizandum quendam contra suam opinionem ac voluntatem, eoque nomine

mine

mine publicè & solenniter est protestatus, ut ex rit. Ecclesiast. lib.1. sect.6. cap.2. liquet.

Tempore S. Martini accidisse, Sulpitius testatur, nec non Alexander III. ut patet ex Decret. lib.3. tit. 45. cap. Audivimus, ut quidam in ebrietate occisus, inter Divos adscriptus sit.

Ac magnum in canonizando errorem commisisse Gregorium VII. constat, quando Liberium Arianum Divis accensuit, ejusque festum annuatim celebrari sancivit, ut Balæus ex Bennone recitat.

Apolonia dentes. Narrat ANDREAS *Abbas Amalenbornensis*, Anglorum quondam Regem EDUARDUM, quum ex dentibus laboraret, mandasse, ut Apoloniæ dentes, qui ubiq; in Regni sui Ecclesiis inter reliquias sacras servabantur, ad se mitterentur. Et tot ex unius regni Anglici reliquiis Apoloniæ dentes fuisse coacervatos, quos aliquot magnæ tonnæ capere non potuerint. Quid hîc Pontificii respondebunt? Annón verum fateri coguntur, quod Augustinus, ait: *Multorum corpora honorantur in terris quorum animæ torquentur in Gehenna?*

4. *Impietas & superstitio in reliquiis honorandis.* Adjiciunt Papistæ impietatem blasphemam superstitiosæ reliquiarũ venerationi, quum 1. *Adhibeant in religione jurisjurandi.* 2. *Proponant exosculandas & adorandas.* 3. *Jubeant de collo portari ex devotione &* FIDUCIA *ad Deum & ad* SANCTOS, quæ sunt verba Thomæ. Quemadmodũ de Witfrido Episcopo Lindisfarnensi refert Balæus, quod capsulam quandam reliquiarum Romæ acceptam quotidie de collo gestaverit, falsa persuasione, eam gestãti felicitatem adferre. 4. Doceant, si altari includantur, *non parum conferre ad Sacramenti Eucharistiæ sanctitatem*, adeò ut altaria, quæ sine Sanctorum reliquiis eriguntur, tanquam profana debeant everti, de consectat. distinct.1. cap. placuit. 5. *Earum contrectationem aut exosculationem multas parere indulgentias* affirmant. 6. *Gratiam & virtutem Dei in illis reliquiis insidere* dicant, cujus participes fiant, qui eas tangunt, spectãt, osculа & donaria præbent. Sic enim Frater Costerus in Enchiridio titulo de veneratione Sanctorum: *Magnum*, inquit, *est discrimen inter corpora Sanctorum veteris & novi Testamenti. Nam illic immundicia contrahebatur contactu mortui: Sed nunc Martyris ossa quisquis attigerit, illius justitia sanctitatisq; quodammodo particeps ob gratiam ex eorum corporibus procedentẽ efficitur.*

Et Concilium Nicænum secundum actione 3. *Servator noster* (statuit) *fontes salutares, Sanctorum reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia fundentes. Martyrum enim ossa virtutes multas operantur, atque id per Christum, qui in ipsis* (aridis ossis) *habitat.*

Quorũ abusũ, vel potiùs impiorũ, & blaspemorũ idololatricorumq; errorũ recitatio, esse debet piis sufficiẽs refutatio. *Refutatio.* Uno autẽ nomine, si superstitiones hæ comprehẽdendæ & exprimendæ sint, non immitis eris, si SACRILEGIUM & grandem idololatriam dixeris. Nam 1. FIDUCIAM ET SPEM, quæ secundùm Legem & Prophetas in uno vero & vivo Deo fixa esse debet, in ossibus fictitiis, suppositititiisque, vel etsi vera sint, in aridis collocare. 2. Per aliud, quàm Dei nomen juramentum præstare, contra prohibitionem divinam Deuter.6. Exod.23. Jerem.5. & 12

Math. 5. 3. In necessitatibus præter Deum, in quo solo est protectionis nostræ spes, invocare aliud quicquam. 4. Gratiam divinam extra verbum & Sacraméta rebus sive mediis & instrumentis aliis, imò externis alligare. 5. Et alibi præterquam in perfectissimo innocentis Christi merito peccatorum indulgentiam quærere: Numnón abominabile est SACRILEGIUM & detestabilis idololatria, quæ Legem & Evangelium simul conquassat, atque subvertit.

TACEO, quòd omnes electitios cultus, qui opis impetrandæ & salutis provehendæ caussa ex rationis humanæ arbitrio ac præsumptione instituũtur, etiamsi magnam præ se ferant humilitatis aut sanctitatis speciem, Deus in Scripturis aversatur, & vult, ut defunctorum corpora, præsertim Sanctorum, in sepulchris humentur, non exhumẽtur: suffodiantur: nõ effodiantur subter terrã abscondãtur, non super terrã in editiora loca sublimentur: sepulchra eorũ claudãtur, nõ temerè aperiãtur: in cubili suo requiescere sinantur, non loco moveantur. Isa. 26. & 57. &c.

6. *Hypocrisis in colendis reliquiis. Math. 23.* Ultimò conjuncta est Pontificia reliquiarum veneratio cum hypocrisi Judaica & Pharisaica, cum qua maximam cognationem habet. Nam reliquias sanctorũ Prophetarum & Martyrum veteris Testaméti studiosè colligebant, & religiosè venerabantur Pharisæi hypocritæ, sepulchris ipsorũ magnificè extructis & sumptuosè ornatis. Ac simulabant se detestari crudelitatem majorum suorum, qui Prophetas olim trucidarint, ac si optimè erga illos Dei servos essent affecti. Quũ tamen à Patrum suorum ingenio nihil discreparent, quinimò Christum diu expectatum Salvatorem, de quo omnes Prophetæ erant vaticinati, quique se & doctrina & miraculis manifestabat, immaniter neci darent. Simili modo Doctores Pontificii egregiè simulant, se plurimum à sævitia eorum abhorrere, qui olim sanguinem Apostolorum, Martyrum ac Confessiorum fuderint. Quare non minùs quàm Pharisæi Prophetarum, sic ipsi monumenta sanctorum Apostolorum, Martyrum, aliorumque Confessorum Ecclesiæ primitivæ ædificant atque exornant: quin peregrinationes ad illorum sepulchra suscipi debere tradunt. Sanctos Dei Martyres canonizant, in numerũ Divorũ & Divarum referunt: reliquias eorum studiosissimè asservant, auro argentoque includunt, gemmis & margaritis exornant, serico, corollis, cereis, candelis & donariis honorant: in loco quodam edito, supra altare summum, collocant, in publicis processionibus circumgestant: iis tactis religiosè jurant, adorabundi ante illas procidunt, & proni eas exosculantur.

Cujus superstitionis solenne ac celebre exemplum, quod in Chronico Cassinẽsi extat, de brachio sancti Mauri adscribam. *Brachium S. Mauri religiosè adoratum.* Quum HUGO Cluniacensis ob preces Theobaldi Abbatis os integrum brachii sancti Mauri, capsulæ argenteæ instar turrium artificiosè, erectæ decenter inclusum, per sex sui Monasterii fratres Cassinum mitteret, ex tota provincia concursus populi, quàm maximus devotione præcipua est factus. Totus enim Monasterii cõventus inæstimabili jucunditate læta-

tus est, omnesque solennibus sacrisq; vestibus induti cum cereis ac thymiamatibus plurimis ad portam veterem, al. quanto extra Monasterii ambitum procedentes, obviam cum devotione summa tanto hospiti inerunt, & quasi viventem in carne conspiceret, omnes in terram pariter procidentes os brachii adoraverunt, surgentesque secundum illum locum devotissimè ac reverenter mixtis gaudio lachrymis osculati sunt, ac hymnis & laudibus honorificè prosequentes in Monasterium introduxerunt, & super Magistri sui Benedicti venerabile altare posuerunt. Similem pompam de crinibus sancti Petri Apostoli describit Chronicum Hirsaugense.

Crines S. Petri.

INTEREA tamen superstitiosi illi homines damnant, proscribũt, & nullo non persequutionis genere atque modo divexant, atque infestant eam doctrinam, quam Apostoli, quam Martyres atque testes veritatis coram mundo professi sunt. Aut num hi similem Pontificiæ doctrinam proposuerunt, ac tenuerunt? Compara & confer ambas utrinque inter sese, & ut hodiernam Pontificiorum doctrinam fidemque ab illorum his per omnia diffidere iuvenies, sic Papistas eandem Apostolorum, Martyrumq; doctrinã atque fidem hostiliter exagitare, atque omni conatu oppugnare videbis. Quo ipso declarant, se non verè, sed simulatè & fictè esse honoris Apostolorum, Martyrumque amicos: nec se esse illorum & justorum, sed persequutorum, Pharisæorum, Herodis, Neronis, Caligulæ, Maxentii, Juliani, aliorumque doctrinæ Euangelicæ hostium successores & sectatores. Ac tot tantisque vitiis, quum laboret doctrina Pontificiorum de reliquiis, qui non hæreticã esse agnosceremus & diceremus?

CAP. VI.

Quòd religionis ergo seipsos vulnerare, & nudis pedibus ambulare soleant Papistæ esse hæreticum.

NEc solùm illa præpostera pietate Pontificii corpus suum defraudant, vires deperdunt, & valetudinem, quam curari conveniebat, lædunt, dũ hæreticorum priscorum more nimiâ ineđâ, & ciborum abstinentiâ utuntur, ac circa reliquiarum veneratione͂ & cultum plurimum desatigantur, verùmetiam alia perversa devotione, qua pro quorundam Ethnicorum & hæreticorum consuetudine tum propria quoque corpora sauciant, cum nudis pedibus incedendo seipsos affligant, nec alia intentione quàm meriti & cultus divini ergo hoc faciunt.

Etenim quoad prius, *Idololatris quibusdam* antiquis solenne fuit, *corpora sua vulnerare & lacerare.* Quod illi faciebant, ut Deos suos placarent & demererentur, aut in auxilium evocarent, teste Baalitarum historiâ 3. Regum 18. & Lactantio Firmiano lib. 1. cap. 21.

I. Vulnerantium & flagellantiũ seipsos hæreses sequi Pontificios.

Sic Ægyptii *dæmoni maximo vaccam multis ceremoniis*, teste Herodoto, *immolare solebant, quod sacrificium dum ardebat, omnes vulnerabantur. Et Cybeles sacerdotes,* qui Galli fuerunt appellati, legimus seipsos in Deæ illius suæ honorem atque gratiam *castrare, & in sacris suis acerrimis cultris atque lanceolis sauciare solitos fuisse.*

De hujusmodi religiosa quadam fla-

flagellatione apud Ethnicos, suo etiã tempore usitata, in libro ad Martyres hoc modo scribit Tertullianus: *Apud Lacedamonios hodie solennitas maxima est Diamastyosis*, id est. *flagellatio. In quo sacro ante aram nobiles quinque adolescentes flagellis affliguntur, adstantibus parentibus & propinquis, & uti perseverent adhortantibus.* Cujus rei idem auctor in Apologetico mentionem facit.

2. *Haeretici veteres.* Simile quid de *Donatistis & Circumcellionibus* refertur ab Augustino ad Quodvult Deum, Theodoreto & aliis, *quòd quasiverint percussores, à quibus occiderentur, vel ad necem usque ferirentur & verberarentur, tuncq; martyrio gloriati sint.*

Verba certè Augustini de Circũcellionibus hæc sunt: *Circumcelliones genus hominum agreste & famosissima audacia, nõ solùm in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi insana feritate parcendo. Nam per mortes varias maximè pracipitiorum & aquarum & ignium seipsos necare consuẽrũt, & in istum furorem alios, quos potuerint sexus utriusque seducere, aliquando ut occidantur ab aliis, mortem nisi fecerint comminantes.*

3. *Christiani flagellantes.* Ita verò *Flagellarii* sive *Flagellantes* Pontificii *manus cruentas sibipsis afferant*, eoque modo placari Deum amentes arbitrantur. Horum ordo exortus est primùm circa annos Christi 1260. Perusiæ in Tuscia, quando orbis terrarum fame maxima laboravit. Plerique bonos, alii, Monachi maximè, pessimos prædicabant, *hareseos notam illis inurebant*, & superstitionem fl gitiosam, immodicam, diraq ; e sacra esse interpretabantur. Unde multi Principes eos ultra in suis regnis progredi prohibuerunt: nonnulli etiam veluti profanos, ne suos omnino fines ingrederentur, publicis edictis coërcuerunt, authore Aventino lib. 7. Annalium folio 702.

Ad tempus igitur repressa hæc secta emersit rursum An no 1349. eodem teste lib. 7. Annal. fol. 791.

De eorum ritibus & ortu Albertus Cranzius lib. 8 cap. 28. Wandeliæ ita scribit: *Secta flagellantium circa Annum Domini 1349. vehementer increvit per provincias, incertum quo authore primùm instituta. Homines rudes, qui per Germania agros flagellis se attriverant. Cruces in veste praferebant, ad urbes gregatim ibant. processione disciplina, capitum operimentis ad oculos demissis, luminibus in terram fixis, tristes & mæsti semper cernebantur. Flagella tribus restibus erant trinodia: nodi ferrum in crucis formam eminens habebant, liventes ex crebris ictibus ac vulneribus scapulas & dorsa pratulêre. Ecclesiam ingressi, positis vestibus, subucula linea ab umbelico demissa sumebãt. Ita egressi per cæmiteria nudi sternebantur, alii proni in faciem, alii in latus, nonnulli in dorsum, quidem extentis in altum palmis, pœnitentia formam ad singula peccatorum genera in gestu significabant. Progressus ex omni numero unus, singulos tangebat, dicens: Det tibi Deus remissionem tuorum peccatorũ. Surge. Inde in ordines digesti, pracinentibus duobus, versum chorus iterabat: ubi Dominica passionis in cantu quodam incidebat mẽtio, mox unà proruunt in terram, nòn ut solemus primò geniculantes, sed uno impetu, veluti pracipitata ligna vel saxa, ruebant, quem quisque stans locum fortè habuit.* *Flagellantium ritus.* Eodem de illis refert lib. 9. cap. 44. Metropol.

Inter alia dogmata hæc tenebant: *Peccata quantumvis atrocia spontaneam flagella-*

gellationem tollere. Flagellationes plus moribundis prodesse, quàm si centum libris olei perunguantur, &c.

Refutatur & prohibetur secta flagellantium. Contra hæc verò & similia flagellantisi dogmata ac superstitiones scripsit Johannes HAGEN, aliàs de indagine librum unum circa annum Christi 1460. Damnati etiam sunt & Germaniâ excedere jussi Flagellantes à Carolo IV. Imperatore, talesque flagellationes penitus à Papa Clemente V. prohibitæ, nisi pœnitens clàm, si vellet, se flagellaret.

Crescit rursus in Italia. Nihilominus tamen tam Avenioni quàm per Italiam retentæ sunt. Et iis locis hominum turbæ pullis cinericiisque vestibus amicti, capite obvoluto, nudis pedibus & humeris, quos scuticis ære argentóve acuminatis, ut validior sit ictus, diverberant se, sanguinemque eliciunt, amburbias habent supplicationes, & ad divorum pulvinaria adeūt, hac ceremonia rati se peccatorum remissionem mereri.

In Gallia. Adeò etiam hæ factiones sese vulnerantium nequeunt abrogari, ut opulenti & nobiles viri complures, quin Reges magnique Principes sese iis religionis testandæ gratiâ adjungant. Anno enim 1574. post lanienam illam Parisiensem & Gallicam Henricus III. Rex Francorum uni factioni sese admiscuit, & ad illius exemplum universi ferè aulici.

Carolus verò Cardinalis ipse cumprimis, pro more & instituto patrii illius ritus pedibus humerisque nudis obivit hyberno tempore supplicationem. Sed quamvis domum reversus in cubili incaluisset, deteriùs tamen se solito habere cœpit, ac paucis post diebus inter furiosas vociferationes expiravit: ut historia de Bellis Civilibus Galliæ testatur.

In Hispania quoq; pervulgatum est hac quoque ætate ejusmodi flagellationibus pœnitentiam declarare, non solùm promiscuam, sed nobiles quoq; & divites, quibus ardentes faces media etiam luce præferuntur. De quibus copiosiora lege libro 6. Rodolphi Hospiniani de Monachatu, cap. 30. *In Hispania.*

Præter illos tamen alii etiam se superstitionis impulsu crudeliter percusserunt & læserunt inter Pontificios. Ut *Albericus Monachus*, qui tum flagellis se frequenter cædebat, ita ut largus cruor distillaret, tum nonnisi pane hordeaceo atque aqua vesci, asperrimo cilicio indui, & nudipes semper incedere solebat, corpusque adeo deformabat, ut morionem crederes. Gerardus à Nazareth cap. 11. *Extra illam sectam, qui se verberarint.*

Otho item Bambergensis, quemadmodum tantæ fuit circa cibos superstitionis, ut dixerit, se nunquam in Episcopatu ad satietatem panem comedisse: sic à sacerdotibus corpus virgis flagrisque concîdi voluit, ut sanguis eliceretur, lib. 1. de ejus vita, cap. 23.

Jesuitis quoque flagra mutua cùm pœnarum caussa pro privatis ac domesticis delictis, tum religionis ergò in usu esse, testatur Helias Hasenmüllerus in hist. Jesuitici ordinis, cap. 5. & alibi.

Quid dicam, quomodo alii etiam Monachi sese castigent ad mortem usque ferè, opinione promerendæ gratiæ Dei, & expiandi tam sua, quàm aliena peccata dementati? Sed isti & hujusmodi omnes, quibus regnum Pontificium abundat, digni essent,

 quibus

quiqus idem fieret, quod olim quibusdam ex Donatistis accidisse Theodoretus libro 4. Hæreticarum fabularum scribit. Quum enim generosum quēdam juvenem ense porrecto rogarent, ut ipsos interficeret: Ille priùs vinciendos esse dixit, ne qui visâ sociorum cæde pœnitentiâ ducti in ipsum ruerent. Itaque vinculis astrictos virgis egregiè cecîdit, & mox illis ita relictis abiit. Hæc de priori genere hæreticorum, inter Pontificios seipsos devotionis caussâ instar veterum idololatrarum & hæreticorum, affligentium ac saucientium.

II. *Incedentiū nudis pedibus hæresin veterem imitari Papistas.* Posterius est illorum, qui ad obeundam pœnitentiam vel religionem nudis pedibus ingrediuntur. Certè Romani *Lupercalia* ludicra celebrantes, *nudi per urbem incedebant*, ac larvati flagellis obvios cædebant: ut meminit Polydorus Virgilius lib. 7. cap. 6. Tertullianus item in Apologetico & alibi innuit, *Romanos nudipedalia sacra exercuisse.*

Porrò quorundam meminit Philastrius, seu potiùs ex illo Augustinus ad Quodvult Deum, hæres. 68. *qui nudis pedibus semper ambularint*, eosque *hæreticos* vocat. Et Agelius Episcopus Constantinopolitanus, *Novatianorum hæresi infectus*, homo superstitiosè religiosus, sine pecuniis vivebat, *nudis pedibus* & simplici tunica simplicitatem Apostolicam præ se ferens: testante Augustin. 68. ad Quodvult Deum, & Theatro Zuinggeri fol. 126. Illos Bernardus Lucemburgius vocat discalceatos in hæreticorum Catalogo.

Nec non Ægyptiorum Monachi ætate Epiphanii & Augustini calceis nullis usi sunt. Testatur hoc de illis Epiphanius, & propterea eos inter hæreticos numerando, in compendiariâ doctrinâ de fide Catholicæ Ecclesiæ & hæresi 80. dicit: *Alii neque calceamenta induunt.*

Annón igitur idem in Papatu de *Frãciscanis, de Cordigeris, de Cappucinis, deq; iis, qui religinis ergò peregrinationes absque calceis obeunt*, sentiendum & dicendum?

Franciscus enim Ordinis Franciscanorum vel Minorum author, abjectis seculi hujus vestibus, pastoralem primò induit habitum. Postea & illo rejecto, vilissimam curtissimamque induit tuniculam, nativi tamen coloris, abjectoque cingulo & ejus corrigia, fune eâ cinxit. *Sed & calceos projecit, nudisq; pedibus incessit.* De hoc vero aliôve habitu à fratribus sui Ordinis assumendo nihil prorsus vel in regula, vel aliàs præcepisse legitur, sed tantùm ut vilibus induãtur, cap. 2. Regulâ simpliciter mandavit: *Mei Ordinis*, inquit, *Monachi, vilibus & exigui pretii vestimentis induantur: neq; plus unâ tunicâ cum capitio, seu cucullâ, & alteram sine caputio, habeant:* NEQUE CALCEAMENTA PORTENT, *nisi necessitate coacti: neque in equo iter faciant.* Hinc lite inter Minoritas obortâ de amictu, tandem inter alia de *calceis* ita statuêre: *Se maximâ integumenti parte resectâ, lora duntaxat quadam relicturos, quibus solea pedibus innecti & aptari possent.* Ita fenestratis solerter calceis, se non verè calceos, sed soleas tantùm ferre quidam Franciscanorum gloriantur. *Vestitus Franciscanorum seu Minoritarum.* Omnes verò alii, qui propriè Minores dicũtur, uno eodemque vestitus genere & forma utuntur, nempe demissis ad talos indumentis

mentis, & grandibus cucullis, grisei coloris, qui ex albo & nigro quodammodo compositus est. Cincti sunt omnes funibus, *& nudis pedibus ingrediuntur*: ut Rodolph. Hospinianus de Monachatu lib 6. cap. 12. fol. 239. b. & 242. a. perhibet.

Vestitus Minorum sanctitas.

Huic vestitui progressu temporis tantam sanctitatem & vim divinam adscripserunt superstitiosi homines, ut eum ad æternam salutem non parùm conferre existiment. Quare non modò mediocres, sed magni etiam viri, Optimates ac Principes in eo sepeliri voluerunt, arbitrati se hoc pacto à Diabolo tutissimos fore. Sic enim legimus de Mantuæ Marchione *Francisco II.* quòd testamento caverit, ut in Seraphici veste sepeliretur. Fecit idem *Albertus Pius*, Carporum Princeps Lutetiæ: *Christophorus* item *Longolius*, Belga, Mechliniensis, Patavii sepultus, admirabilis imitator Ciceronis: & *Robertus* Rex Siciliæ, ut Antonius indicat tit. 24. cap 9. §. 16. & Sleidanus lib. 22. commentariorum suorum de statu religionis Carolo V. Cæsare. Sed quidam re exactiùs considerata, & ad trutinam verbi divini ponderata, tali in illum habitum carmine lusit:

Cordula nodosa, pes nudus, capa dolosa,
Hæc tria nudipedes ducunt ad tartara fratres.

Balęus de scriptoribus Britannicis centuria 3. cap. 47. in appendice.

Orthodoxa doctrina de vestitu Ecclesiasticorum.

Tueri verò hujusmodi discalceatos religiosos nonnulli conantur loco Mathæi 10. 10. ubi Christus dicat: *Ne comparetis peram ad iter, neque binas tunicas, neque* SOLEAS, *neque virgam.* Et. Luc. 10. ✠. 4. *Ne portetis sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaveritis.* Item exemplis Mosis & Josuæ, quorum illum Deus, hunc Angelus jussit calceos exuere, quum ad Deum accedebant. *Exod. 3. 5. Jos. 5. 15.*

Sed præcepta ista partim symbolica fuêre, partim temporaria, ut quæ in præsenti modò legatione Apostolorum tunc temporis observari debuerunt, ad quam propter infelicis populi Judaici dispersionem illos Christus extrusit, & quæ paucis diebus peracta fuit, ut ex Marco & Luca colligi potest, qui eos non multò post ad Dominum rediisse scribunt. Itaque non aliud ibi voluit, quam ipsos absq; mora iter ingredi, & se totos Dei providentiæ atque curæ committere debere, adeò ut neque de viatico aut commeatu parando, neque de vestibus mutandis, vel acquirendis, aut aliis secum deferendis, neque etiam de sui defensione sint solliciti. Quem sensum rectissimè ex eo colligimus, quòd ipse posteà, quum secundæ legationis in orbem universum tempus instaret, his mandatis quasi abrogatis alia substituit, in ultima cœna dicens: *Quando misi vos absque sacculo & pera, & soleis, numquid defuit vobis?* Ipsis autem respondentibus: *Nihil.* Ipse ait: *Sed nunc, qui habet sacculum, tollat: similiter & peram: & qui non habet, vendat pallium suum & emat gladium.* *Luc. 22.*

De discalceatis religionis ergo.

Idem est sensus symbolicus in præceptis Mosi atque Josuæ de exuendis calceis, in ingressu atq; aditu ad Deum mandato & apparitione Angeli facta, datis, Exodi 3 5. & Josuæ 5. 15. Nam, quando jussi erant *exuere calceos*, ratio statim subjiciebatur: *Quia locus, in quo stent, sit sanctus.* Non quòd suâ naturâ tam

tam anteà, quàm posteà aliis locis sanctior esset, sed propter Dei præsentiam & Angeli apparitionem tunc factam. Non igitur ideo inde ad ea loca vel alia votivæ peregrinationes nudis pedibus religionis gratiâ instituendæ erant. Hæc enim consuetudo, seu potiùs superstitio peragrinationum religiosarum Hoseæ 4. cap. ℣. 15. & aliis multis in locis reprehenditur. Voluit autem Deus, tunc singulari forma atque ratione apparens & præsens, *reverentiam animi*, externo symbolo & signo testatam facere. Etenim apud Orientales, solutio calceamenti honoris & observantiæ debitæ species erat. Adhæc calcei solutionem cessio & resignatio juris, quod aliquis habebat, significabatur, sicut Ruthæ 4. cap. ℣. 7. perhibetur. Item per pedes significantur affectus, præsertim turbulenti & mali, quum calceis & pedibus facilè sordes attrahantur atque adhærescant. Quandoquidem itaque illis calceamenta exuenda & de pedibus removenda erant, colligimus inde, ne temerè vel in cœtus sacros, in quibus quasi præsens nobiscum loqui & agere vult Dominus, temerè irrumpamus, vel privatis precibus ineptè operam demus: sed decorum servemus. Quemadmodum Apostolus 1. Cor. 11. 4. sub initium pro solutione calceamentorum, *denudationem capitis* virili sexui, & *obnubilationem vel opertionem* muliebri convenire inter Christianos in precibus & cœtu sacro, monet. Item 1. Timoth. 2. 8. viros jubet *puras manus ad Deum levare*. Præterea *levatione oculorum in cœlum* & *genuflexione* Christus Lucæ 22. 41. Petrus Act. 9. 40. Stephanus Act. 7. 60. Paulus Ephes. 3. 14. nobis Christianis præiverunt. Nam detecto capite precari, ad majorem Dei venerationem testandam, velato autem orare, in signum subjectionis & modestiæ pertinet. Sic cæteri gestus supplicem animum, & humilem subjectionem ac nostri exinanitionem coram Deo arguunt. Nihil tamen proficiunt, nisi cordis synceritas & remotio opinionis nostri meriti, vera pœnitentia, firmaq; fiducia misericordiæ divinæ adsint. Deinde admonemur in religione & cultu Dei inprimis *mortua carnis opera esse abjicienda*, quum calcei è pellibus mortuorum animalium fiant, qui exsui jubentur. Denique *sordes peccati abstergendas* per pœnitentiam, ut Christus ipse Johan. 13. 10. docet. Adhuc autem uti ritu exuendi calceos ad religionem est κακοζηλεία, quum ex particulari, quod fuit cum Mose & Josua, non sit universale concludendum. Insuper est partim Judaicum, quia Judæi asserũt Sacerdotes discalceatos in templo ministrasse: partim Ethnicum, quum Tertullianus asserat Romanos nudipedalia sacra habuisse: partim hæreticum, ut suprà indicatum: partim denique Turcicum, quandoquidem Mahometani non nisi nudis pedibus, vel exutis calceamentis, sacros suos cœtus ingredi solent.

Gen 32. Psal. 143. Luc 18. 13. Joh. 9. 31. Math. 11. 12.

Orthodoxa doctrina de cruciando corpore.

Priorum verò superstitio sese flagellantium, percutientium, vulnerãtium & secantium in humeris, scapulis, aliáve corporis parte ob pœnitentiam & religionem vel devotionem, quam sic testari volunt, unâ sententiâ S. Pauli 1. Corinth. 13. ℣. 3. jugulatur, ubi dicit: *Etsi tradam corpus meum, ut comburar, charitatem autem nõ habeam, nihil sum.* Quod dictum pleriq; de martyrio exponunt, deque iis, qui morte & sanguine suo testimo-

testimonium fidei suæ Christo perhibent. At quia tales charitate non possunt destitui, de iisdem locus iste non potest explicari, nisi Paulum hyperbolicè loquutum esse dicamus. Itaque de illis potiùs hîc agitur, qui neque fide, neque charitate moti, sed cœco carnis affectu abrepti, suomet corpori ac vitæ ipsi vim inferunt. Inter quos inprimis, qui, ut superstitionibus fidem faciant, diros cruciatus & nonunquam voluntariam quoque mortem subeunt, ut illi Baalis Sacerdotes olim, qui cultellis seipsos fodiebant, & posteà Donatistæ ac Circumcelliones, item Flagellantes, ac his similes, qui ex furore, contumacia, stuporeque, cum superstitione conjuncta cruciatibus gloriantur & martyriis, quando sua figmenta Scripturis confirmare haud possunt.

Confutantur igitur hac sancti Pauli sententia, cùm istæ hæreses, tum omnes cultus electitii, qui in corporis castigatione & cruciatu, aut exercitiis durioribus, molestioribus ac sanguinolentis consistunt. Si enim nihil juvantur, qui seipsos in ignem tradunt, quid prodesse poterit, si jejuniis, vigiliis, ciliciis, chameuniis, peregrinationibus, flagellationibus teipsum lædas & conficias? Non vult sacrificium Deus, sed obedientiam, 1. Sam. 15. At hujus summam charitas comprehendit, Roman. 13. quæ istis castigationibus, flagellationibus, cruciatibus, aliisque macerationibus corporis neque erga Deum, neque proximum, neq; seipsum ab eo declaratur, qui his operam dat, sed contrà violatur. Et alibi Apostolus, corporalem exercitationem parum utilitatis habent, ait, pietatem verò ad omnia u- *1. Tim. 4.*

tilem esse, ut quæ promissionem habeat præsentis vitæ & futuræ. Huic ergo omnes studeant, quæ ut omnium virtutum parens est, ita nihil vitii conjunctum habet, & durissima quæque à Deo nobis imposita levia & jucunda reddit, imò Deo conformes facit, qui ipsa charitas est. Adhæc, quia ex fide emanat, huic testimonium reddit, nósque germanos JESU CHRISTI discipulos esse demonstrat.

CAP. VII.

Valentini veteris hæretici, dogma quoddam, quomodo in Papatu vigeat.

ANTONIUS præterea Sadeel, vir genere, pietate & doctrina verè nobilis, meminit hæreseos *Valentini*, ac quendam Papicolarum ab ea non remotum esse cum suis asseclis, evidenter ostendit. Nam in *Indice errorum Gregorii de Valentia*, ex eo libro, quem hic inscripsit: *Examen præcipui mysterii doctrinæ Calvinistarum*, &c. ad errorem 41. ita scribit. Ait Monachus: *Hominis materiam non esse terram, nec cinerem.* Et ita repugnat manifestis Scripturæ locis: *Formavit Deus hominem de limo, sive de pulvere terræ*, Genes. 2. ℣. 7. *Sicut è luto formasti me*, Job. 10. 9. *Utrum terra in hominem conversa sit, aut contrà.*

Addit Monachus: *Hominem vocari propriè, quia in illum terra conversa est qualicunque demum conversione.* At Scriptura reddit aliam rationem, quâ debemus esse contenti, neq; discurrere per qualescunq; illas conversiones à Monacho ridiculè propositas. Loci Scripturæ neglecti à Monacho hi sunt: *Donec revertaris in terram, ex ea enim sumptus* *Gen. 3. 19.*

es: quia pulvis es & in pulverem redibis, Genes. 3. 19. *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat*, Eccles. 12. 7.

Est autem ingens error & ψευδογεγραμμα in Theologia dicere, terram fuisse conversam in hominem: quia anima est forma hominis, in quam terra converti non potuit. Et Moses narrat separatim formationem corporis Adami, tum scribit: *Et inspiravit* (Deus) *in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*, Genes. 2.

Forma hominis.

" Intolleranda est igitur hæc *hæresis*
" Monachi Valentini (qui tum fortè de
" VALENTINO vetere hæretico suo
" plus quàm tritavo cogitabat) simulque
" gravissimè erravit Albertus Hungerus,
" Procancellarius Ingolstadiensis, erro-
" rum Monachi approbator. Qui debuit potiùs interrogare Monachum, ecquid sentiret de animæ immortalitate? Hactenus Sadeel. Et quid si alii etiam in Papatu ejusdem cum Gregorio de Valentia sententiæ sunt, quem ipsius doctrina & scripta magni apud Pontificios æstimentur, ut eas etiam quasi κυρίας & ἀμφόμους δόξας citent?

CAP. VIII.

In lucernis, vel cereis luminibus interdiu ardentibus utendis, Pontificios veteres idololatras imitari, ac proinde nihil ab hæresi in eo abesse.

Luminum interdiu usus in sacris est idololatricum & hæreticum.

Ullum ritum priscis idololatris usitatum in Ecclesiam invehere, ac præfractè contra Scripturæ sacræ sensum tueri, non possunt Pontificii, credo, negare, hæresin sapere atque esse. Atqui *idololatræ prisci*, teste & authore Lactantio lib. 6. cap. 2. *soliti sunt in sacris suis lucernas accendere etiam meridie.*

Sic *Pontificii cereos accensos & lucernas multas ardentes in templis suis ac delubris adhibent clara die*, quando sua sacra celebrant.

Qui ritus maturè in Ecclesia Christiana incepit, teste Nicephoro lib. 14. cap. 50. ubi scribit: *Eudoxiam Theodosii junioris Imperatoris conjugem, ex muliebri superstitione ad lucernarum rationem Hierosolymis contulisse olei sextarios decies mille.*

Sed sanctus Hieronymus non potest ire inficias, ex *Gentilium* ceremoniis sumptum esse luminum in sacris & fanis usum. *Fatetur adhuc, fieri eum per imperitiam & simplicitatem secularium hominum, aut certè religiosarum fæminarum, zelum quidem Dei, verùm non secundùm scientiam habentium.*

Nec verò inductus est ex Gentilismo tantùm, sed etiam *ex Judaismo* iste ritus, unde & à Pontificiis, ut Durando lib. 4. Rationalis, item extra de celebratione Missæ cap. 7. & Eccio tom. 3. de purificatione Mariæ, probatur.

Rectiùs igitur convenit scire, ut omnes Levitici sacerdotii ceremoniæ typos, rerũ quas Christus perficere debebat, gesserint, & solùm ad correctionis tẽpus fuerint institutæ: ita quoq; cãdelabrũ aureum & lucernas ardentes in templo & apud Tabernaculum veteris Testamenti Christi typos fuisse, qui vera & æterna mundi lux est, quique per Euangelii ministerium Ecclesiam suam illuminat. Qua ratione Apostoli, & qui legitimi verique horum successores in doctrina proponenda & sacramentis administrandis juxta verbũ divinum sunt, *lux mundi*, Math. 5. dicuntur. Quod ergo nihilominus, etsi origo luminum sacrorum est Ethnica & Judaica

Orthodoxa sententia de luminibus in Ecclesia.

Joh. 1. & 8. Psal. 119. 2. Pet. 1. 19. Math. 5. 14.

Judaica, hæcque abrogata, & illa vetita, tamen Gregorius primus *Papa luminα in templis approbavit*, ut Balæus Centuria 2. Script. Britanic. & Panthaleõ in Chronicis refert, & Sabianus ejus circa annum Domini 608. successor decrevit, *ut lampades in templis arderent*, teste Platina in ejus vita, quod etiam nunc in Papistarum templis fieri solet: argumentum, id est, non modò obstinati animi contra veritatem, sed etiam hæreseos veræ, quâ Pontificii etiã hac in caussa sint polluti.

CAP. IX.

In aquæ lustralis atque ablutionum in sacris usu Pontificios scipsos hæreticos fecisse, & adhuc facere.

NEc dum deterriti sunt Pontificii ab hæreseos tam multiplicis notâ in seipsis augenda ac confirmanda, sed projecti impudentia & superstitionis ardore, accersiverunt sibi quoque veterum quorundam hæreticorum hæreses in aquæ lustralis usu, quo tanquam pietate & religione sanctissima & saluberrima gaudent.

Samaritæ aqua usi lustrica.

Nam *Samaritas* lustrali aqua usos fuisse, scribit Epiphanius contra hæreses lib. 1. tom. 1. sectione 99. Ac *Hemerobaptistas propter crebras ablutiones* hæreseos notat, hæresi 6. quæ Christum capite 17.

Ebionitæ ibidem.

Et *Ebionitas* solitos fuisse ex præpostera & prava imitatione Judæorum, *in ingressu & egressu Ecclesiæ aquâ lustricâ se expiare*, non uno loco veteres Patrum primitivorum libri indicant, & à Rodolpho Hospiniano Tigurino libro 2. de origine erroris rerum ad templa pertinentium capite 25. fol. 327. fusè explicatur.

Pontificii eundem ritum amplexi.

Pari modo ac ratione Pontificii introeuntes templa & exeuntes ex iis plurimum aqua lustrali sale condita, & è cinere certis ceremoniis, imò superstitionibus, ac magicis consecrationibus parata, à sacerdotibus vel æditui lustrantur atque asperguntur. Nec modò per hanc pollutos purgari, verùm etiam diabolos fugari, & spectra arceri credunt. Hicque de caussa plerique illam etiam à sacerdotibus emptam, vel aliàs acceptam, domi in vasculis æneis artificiosè factis asservant. Adhæc quò horribilior est ipsorum superstitio, hanc suam aquam mortuorum sepulchris & tumbis lapideis aspergunt, ut quæ mortuorum delictis expiandis serviat, & purgatorii ardores ipsis mitiget, ac tolerabiliores reddat.

Orthodoxa de lustratione hominis doctrina.

Quid ad hæc dicit Scriptura Euangelica & Apostolica, quæso? Legimus aliquas quidem lotiones & purificationes Deum quidem ipsum per Mosem instituisse, Lev. 16 14. Num. 9. 4. Quibus mundati sint, qui aliquid immundi tetigerant. Inter quas primas tenebat aqua lustralis, quæ ex cineribus vaccæ rufæ conficiebatur. Sed his non contenti Judæi, novos purificationum & ablutionum ritus ex suo cerebro confinxerunt, quos privatim domi suæ exercebant, sicuti Marci 7. est videre. Scribitur enim ibi: *Pharisæi & omnes Judæi, nisi certatim laverint manus, nõ edunt, tenente traditionem majorum. Et à foro reversi, nisi loti fuerint, non edunt: & alia multa sunt, quæ acceperunt tenenda, nempe lotiones poculorum, & sextariorum, & æramentorum & lectorum, &c.* Utque fieri

Judæi aut Pontificii.

Joh. 2. consuevit, superstitio cum ambitione conjuncta fuit, quâ factum est, ut in singulis propè ędibus vasa plura & ampla, adhæc materia & opere pretiosa prostarent, quibus purificandi studiũ indesinens testificabantur. In hunc usum positæ fuerunt iis in ædibus Canæ in Galilæa, in quibus nuptiæ celebratæ sunt præsente etiam Domino Christo ac ejus matre cum discipulis, sex hydrię secundùm purificationem Judæorum. Concedimus ergo hæc in modum aquæ lustralis apud Pontificios in Scriptura tradi. Sed quòd Pontificii ea imitantur, quid aliud faciunt, quàm quòd judaizant? Quid aliud eo consequuntur, quàm quòd se manifestè Judæorum ac Pharisæorum, quos Dominus noster Christus adeò severè reprehendit & damnavit, esse simias, ipsi arguunt? Ut enim certis ritibus & vicibus se & sua, ut æramenta, calices, patinas, urceos & lectos inspersa aqua lustrare, mos sanctus erat Pharisæis & Judæis: Ita nunc eum Pontificii totum suum fecerunt. Conceptis enim verbulis *aquam consecrant, eaq́; homines & jumenta, res animatas & inanimatas, pecora, pabula, agros, puteos, cibum, potum, itémque sepulchra defunctorum lustrant, purificant & expiãt.* Annón hoc est Judæos & Pharisæos præposterè ac perversè imitari?

Vide ulteriùs, cedò. Liberaliores esse in Pontificios volumus, ac damus illis, etiam inter Christiani nominis professores in Ecclesiis antiquiore aquę lustralis aspersionem frequenti in usu fuisse. Sed à quibus Christianis, dic sodes, est hæc res usurpata? Annón à *Samaritis & Ebionitis*? Apud quos viguit? Annón apud hos ipsos *Samaritas* *& Ebionitas*? At quales? Annón hæreticos teste sancto Augustino ad Quod vult Deum numero 10. quorum doctrinam & opiniones & ceremonias à Judæis sumptas sancti Patres hæreticos condemnarunt & rejecerunt? Igitur his se æquales & pares Pontificii faciunt in hac lustrandi ceremonia.

Hæretisant Pontificii.

Imò verò, inquiunt, ex verbo Dei aquæ lustralis usum didicimus, ac nimirum iis ipsis ex locis, qui modò ante recitati sunt, Levit. 16. 14. Num. 19. 4. Verùm quàm inepta & impia est ratio? Sic n. & Epionitæ ac Samaritæ ratiocinãtur. Argumentãtur adhæc Pontificii inde de cõsecratione dist. 3. in hãc sentẽtiã: *Si cinis vitulæ sanguine mixtus, ac populo adspersus, hunc sanctificabat & mundabat: Multò magis aqua, sale ac cinere permixta, divinis precibus sacrata, hominibusq́; adspersa, omnes & singulos sanctificat atque mundat.* Ubi nemo non animadvertit, textum Mosis & Apostoli falsari, ac contra mentem eorum detorqueri. Nã aqua illa lustrica veteris Testamenti meritum sanguinis Christi adumbrabat, qui nos ab omni iniquitate purgat, tam ea, quàm ex primis parentibus hęreditaria contagione contraximus, quàm illa quam, ex quotidianis lapsibus & mundi hujus commercio concipimus. Testis est luculentissimus & verissimus sanctus Johannes Apostolus, scribens: *Sanguis Jesu Christi filii Dei Dei purgat nos ab* OMNI *peccato.* Et Heb. 9. ubi Apostolus dixit: *Nam si sanguis taurorum & hircorum & cinis juvencæ aspergens inquinatos sanctificat ad carnis puritatem,* protinus infert: *Quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, purgabit conscientiam*

Objectiones pro aqua lustrali.

Heb. 9. 13. 14.

Joh. 1. 7.

scientiam vestram à mortuis operibus, ad serviendum Deo vivo? Utitur Apostolus argumento à minori ad majus. Qu si dicat: Si homines fluxu vel cadaverum contactu vel alia quacunque ratione polluti, rursus mundati, vel mundi judicati sunt propter sanguinem taurorum & hircorum & cinerem juvenculæ, quo aspersi fuerant, quantò magis sanguine Christi perfusi à sordibus animæ liberabuntur? Antecedens declaratur Levit. 16. 14. & Num. 19. 4. Ratio verò consequentiæ est manifesta: quia videlicet sanguis Christi est præstantior & efficacior sanguine hircorum. Si enim ira Dei placanda erat ac remissio & purgatio peccatorum impetranda, primò eam naturam plecti ac puniri oportebat, quæ paccârat. Quum verò hirci, tauri & juvenculæ vaccarum Deum non offenderint, hirci certè & tauri & vaccarum juvenculæ pro nobis satisfacere non poterant. Deinde, quum infinitum bonum offensum fuerit per nos, requirebat quoque justitiæ regula, ut infinita pœna peccatum expiaretur. At quum omnia bruta animalia naturæ finitę sint, quomodo onus illud iræ divinæ sustinere ac perferre potuissent? Huc accedit tertiò, quod homo in integrum erat restituendus per eum, qui pœnas pro nobis ferret. Animalia verò bruta quum hoc præstare non potuerint, liquidò hinc apparet sanguinem hircorum & taurorum & juvencularum cũ sanguine Christi in victimam oblato neutiquam conferri posse: ac ideo hũc solum & unum nos ab omni peccati macula mundare & perpurgare.

Aspergitur autem & accipitur sanguis Christi ad purgationem & purificationem animarum nostrarum per fidem, teste Apostolo Petro. Nam hic in Concilio primo Hierosolymitano, verè Apostolico dixit: *Nihil discrevit Deus inter nos* (scilicet Christianos) *& illos* (scilicet Patres veteris Testamenti) *fide purificatis cordibus illorum*, &c. *Act. 15. 9.*

Contendit Bellarminus lib. 3. de sanctorum cultu, cap. 7. ex veterũ traditione: *AQUAM lustralem ab ipso Apostolorum tempore in usu fuisse.* Concedatur sanè. At morem hunc Apostolos habuisse authores vel institutores, nunquam dari, neque evinci potest. Non enim omne, quod Apostolorum ætate usu frequentatur, Apostolicum illicò est, ac credendum & suscipiendum Christianis. Sed ex *Pseudoapostolorum, Gentilium, Philosophorum & Pharisæorum,* qui ὁμόχρονοι, & coætanei erant Apostolis, fermento insipido multa irrepserunt in Ecclesiam Christianam, quæ contra verbum Dei & meritum præstiti Messiæ ac Christi Servatoris faciunt: cujusmodi est aqua lustralis in Papatu, quâ sanguinis Christi merito non absque insigni ejus contumeliâ cassum mundi elementum substituitur, quódque sanguini Christi ἰδιώτατον, quàm propriissimè competit, aquæ ex fontibus haustæ & cineribus commistæ ab hominibus communicatur.

Cui adde, quòd aqua lustrationis in veteri Testamento usitata, typus quoque fuit baptismi secundũ n Augustinum in quæstionibus super Num. capite 33. Quapropter utut aquæ lustralis & aliarum purificationum usus & superstitio pro Christo recepta sit, atq; Ecclesiam pervaserit, nos si saluti no-

stræ consultum volumus, contenti simus ablutione & expiatione peccatorum, quæ in veteri Testamento adumbrata, in cruce autem sanguine Christi præstita fuit, ac in baptismi lavacro nobis quotidie obsignatur.

CAP. X.

Purgatorium & damnatorum liberationem docentes atque credentes Pontificios, esse hæreticos.

I. *Ob purgatorium Papistas esse hæreticos.* EST tamen aliud etiam purgandi genus, quo Pontificii more veterum hæreticorum utuntur, indeque se magis manifestè ac certò hæreticos esse ostendunt: videlicet *ignis purgatorius*, cui confidentes de statu animarum post hanc vitam absurdissimam, & minimè Christianam, sed planissimè hæreticam doctrinam fidemque tenent.

1. *Pharisæi purgatoriū somniārūt.* De Pharisæis enim narrat Josephus lib. 2. Antiquitatum Judaicarum, eos docuisse: *Esse quidem animas incorruptibiles & immortales, non tamen post separationem pervenire in cælos, sed aliò migrare, & de corpore in corpus transire.*

2. *Montanus.* Similiter MONTANUS docuit, *exigua peccata post hanc vitam luenda esse, nec animas ex carcere liberandas, donec novissimam quadrantem solverint.* Sic enim Tertullianus de anima in fine ex Montani sententia scribit iis verbis, & addit eum dicere: *Hoc etiam Paracletus frequentissimè commendavit.*

3. *Origenes.* Eandem opinionem fuisse ORIGENIS, *ut animarum quandam purgationem post hanc vitam somniâris*, & purgatorii primus ferè cum Montano inter Christianos doctores defenderit, tradit Augustinus cap. 43. ad Quodvult Deum eumque hæresin sic docuisse ait.

Huic consentiunt Ethnici, qui etiā videntur illis præivisse, ut tam Pharisæi quàm Montanus & Origenes suam opinionem ex horum lacunis hauserint. 4. *Ethnici.*

Nam Plato in Phædone affirmat, *animas apud inferos purgari, & esse quadā ἰάσιμα ἁμαρτήματα*, id est, *sanabilia & remissibilia peccata, quæ certo temporis spacio in palude Acherusia* (de qua Diodorus Siculus lib. 2. Bibliothecæ tradit, esse eam inter Capuam & Aversam, in quam immittantur cadavera in ulteriorem ripam deferenda: navem verò ipsam, quâ trajicitur, Barin appellari, hoc est, onerariam. Inde natam esse fabellam de Charonte, qui animas Stygem transvexerit) *deleri possint intercessione etiam eorum, in quos illi in vita peccaverunt.* Qui verò videntur *ἀνιάτως ἔχειν διὰ τὰ μεγέθη τῶν ἁμαρτημάτων, τούτους ἡ προσήκουσα μοῖρα ῥίπτει εἰς τὸν τάρταρον, ὅθεν οὔποτε ἐκβαίνουσιν*, id est, *esse insanabiles & incurabiles propter magnitudinem peccatorum, eos implacabile fatum projicit in Tartarum* (locum profundissimum inferorum, in quo sontes puniuntur) *unde nunquam ascendant & redeunt.* Et lib. 2. Politicorum affirmat esse *τελεταὶ αἱ τῶν ἐκεῖ κακῶν ἡμᾶς*, *esse expiationes vel expiatoria sacrificia ac ceremonias expiatorias, quæ animas solvant & liberent à malis illic perferendis.* Ibidem decernit, & quomodo ac quando ab his eandem animæ liberentur designat. Idem in Gorgia docet. *Plato.*

Et multa in eandem sententiam loquitur Scipio major apud Ciceronem in Somnio Scipionis, quæ ex Platone deprompta videntur. *Cicero.* Vergilius libro sexto Æneidum dicit: *Vergilius.*

Quin & supremo cum lumine vita reliquit,
Nec tamen omne malū miseris, nec funditus omnes,

Corporea

Corporea excedunt pestes, penitusq́; necesse est,
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumq́; malorum
Supplicia expendunt.

5. *Papistæ purgatoriū asserunt.* Jam Christiani inter Pontificios licet in posteriori, quod Josephus de Phærisæis μετεμψύχωσιν statuentibus scribit, non Pharisæis consentiant: in priori tamen, & sententia Montani, Origenis atq; Ethnicorū, cum illis optimè conveniunt. Utrinque enim animas bonorum à cœlitum ac beatorum contubernio secludunt, & extra cœlū receptacula alia fingunt: Pharisæi quidem χθόνια, terrestria, Papistæ autem ὑποχθόνια, subterranea vel sub terra latitantia, limbum nimirum & purgatorium.

Lib. 1. de purgat. c. 2. *Quatuor* item tradunt *fulcra* IGNIS PURGATORII, quo animas apud inferos à peccatis expiari fingunt. Nēpe non obscurè Bellarminus fatetur, ignem purgatorium. 1. *Invocatione sanctorum, 2. precibus pro defunctis, 3. satisfactionibus* per Missas, jejunia, peregrinationes religiosas ac votivas, operaque pœnalia 3. *distinctione peccati venialis & mortalis,* quasi quatuor sublicis sustētari. Nam venialia maximè eo expiari statuunt, ut pro iis Bellarmius totis libris de amissione gratiæ & statu peccati pugnet.

Florentinū Concilium de purgatorio. Prima autem illius sanctio palàm ac publicè facta, accidit in Concilio Florentino circa annum Christi 1438. in quo Græci antea tam in hoc, quàm aliis articulis à Romana Ecclesia dissentientes, sese Romani Pōtificis placitis subjecerunt, ut latinorum auxilia contra Turcas certiùs impetrarent, quæ tamē nihilominùs eos turpissimè fefellerūt, ut in capta postea Constantinopoli à Latinis deserta apparuit. Definitio igitur de purgatorio in conciliatione illarum Ecclesiarum sub hac forma est proposita: *Definimus, si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis purgatoriis purgari. Et ut à pœnis hujusmodi releventur, prodesse his virorum fideliū suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundùm Ecclesiæ instituta, &c.*

Hinc Eccius in Enchiridio cap. 25. de purgatorio, Costerus in Enchiridii sui cap. 16. omnium verò uberrimè & latissimè Bellarminus in controvers. 6. generali de purgatorio lib. 1. cap. 1. & lib. 2. cap. 2. aliique Pontificii omnes id pariter defendunt.

Quin Concilium Tridentinum anno 1563. Decemb. die 3. sess. 25. quę propter rerum in ea decretarum varietatē continuata est, de purgatorio 1. canone sic sancivit: *Quum Catholica Ecclesia à Spiritu sancto edocta, ex sacris literis & antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis, & novissimè in hac œcumenica Synodo docuerit,* PURGATORIUM ESSE, *animasq́; ibi detentas fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio juvari: præcipit sancta Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam, à sanctis Patribus & sacris Conciliis traditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri & ubique prædicari, diligenter studeant.* *Conc Trid. de purgat.*

De loco tamen purgatorio memorabilem Bellarminus Pontificiorum Doctorum contentionem narrat lib. 2. *Locus purgatorii ubi?*

de

de purgatorio cap 7.pag.119 scribens: *Quærunt Theologi, an præter hæc loca* (nempe cœlum, infernum, limbum & purgatorium) *sit aliquis alius locus, ubi retineantur animæ, antequam ad regnum cœlorum perveniant? Secundò an ex his locis egredi poßint?*

Quantum ad primum, difficultas est satis magna, quia ex una parte omnes Theologi docent, non esse alia receptacula, præter quatuor numerata, & Concilium Florētinum sess. ult. definit, animas, quæ nihil purgandum habent, mox recipi in cœlum. Ex altera parte narrat Beda *lib. 5. hist. cap. 13. Visionem valdè probabilem, cui ipse fidem adhibere non dubitavit. Fuit autem in illa ostensum cuidam animæ, quæ ad corpus posteà rediit, præter infernum & purgatorium & regnum cœlorum, quoddam quasi pratum florentißimum, lucidißimum, odoratum, amœnum, in quo degebant animæ, quæ nihil patiebantur, sed tamen ibi manebant, quia nondum idoneæ erant visioni beatæ. Cui revelationi multas alias conformes, adducit Dionysius Carthusianus in dialogo de judicio particularis artic. 31. & Gregorius lib. 4. dialogorum, cap. 36.*

Bellarmini Videre

Videtur mihi dicendum, non esse improbabile, talem aliquem locum reperiri, cæterum ejusmodi locum ad purgatorium pertinere. Etsi enim nulla sit pœna sensus, tamen est pœna Domini: pœna autem non convenit nisi animæ, quæ nondum plenè purgata est. Itaque erit locus ille mitißimum purgatorium, & quasi carcer quidam senatorius, atque honoratus. Hæc ille.

Quid sit purgatoriū?

Omnium verò consensu vocatur & definitur purgatorium, medius locus inter vitam æternam & condemnationem extremam, in quo animæ defunctorum contineantur purgandæ & expiandæ à certis delictis, pro quibus hîc divinæ justitiæ satisfactum non sit.

Hactenus igitur probatum est à nobis, Pontificios non modò cum Pharisæis & Ethnicis, verùm etiam cum Hæreticis purgationem animarum statuere post hanc vitam, antequam in cœlum evolent.

Unde confirment Papistæ purgatorium.

Sed ipsi nihil diligentiùs curant, quàm ne ex Pharisæorum, Ethnicorum & Hæreticorum sentinis opinionem atq; doctrinā hanc suam de purgatorio in suam religionem trajecisse videantur. Et accessunt auxilia, quæ in tres ordines distribuunt, testimonia nimirum Scripturæ sacræ, Patrum vetustiorum scripta, & Conciliorum decreta, sive canones, ut & paucissimis anteà Concilii Tridētini canō innuit. Verùm repressa & profligata sunt cùm à Cōrado Vorstio thessaradecade Antipistoriana 2. & Balthasaro Mentzero Marpurgēsi Theologo disput. 12. contra Johannem Pistorium, tum maximè ab Antonio Sadeele in tractatu de vera peccatorū remissione, adversus humanas satisfactiones & commētitium Ecclesiæ Romanæ purgatorium, item à Casparo Wasero Tigurino, in Germanico libello de purgatorio Anno 1605. Tiguri edito, Mathæo Sutlivio ac Benedicto Aretio Bernensi in examinis Theologici loco 8. classis 2. articulorum nobis cum Papistis controversorum, aliisque quàm plurimis.

Orthodoxa doctrina.

1. Scriptura.

1. Joh. 2. 2.

Quibus ego hæc brevibus addo. Sicut unica est peccatorū purgatio, fructus & meritum sanguinis Christi, ut suprà cap. 20. demonstratum: ita unicus est pœnæ locus post hanc vitam, nempe infernus. Duo autem sunt animarum à morte status sive receptacula: alterum beatitudinis in cœlis, alterum damnationis

tionis in inferno ac gehenna: ut ex Johan.3.✝.14.& 15.16.17.18.& 36. ac cap. 5.✝.24. Luc.16.✝.2. .& 23. constat. De tertio quodam statu aut loco & receptaculo altissimum est in Scriptura silentium.

2.Patres. Ac etsi S. Augustinus, aliique veterum subdubiè purgatorium asserunt, eorumque testimonia tanquam sacra pro sua sententia à Pontificiis adducuntur: tamen quemadmodum ab Origenis, sic & ab aliorum doctrina hac in caussa recedere possumus atque debemus. Nam ipse Augustinus præcepit (ut habetur in decretis cap. Noli meis, &c. distinct.9.) *nequaquam suis scriptis fidem adhibeamus, nisi quatenus verbo Dei innitantur.* Libro autem de civitate Dei cap.28. inquit: *Non est locus* MEDIUS, *ubi non sit in supplicio, qui illo non fuerit constitutus in regno.*

Chrysostomus in cap.11. Mathæi sic loquitur: *Omnium hominum alii & hîc & illic supplicia dabunt. Alii in præsenti tantùm vita: alii in futura tantùm. Hîc & illic Sodomita In hac tantùm fornicator Corinthius. Illic tantùm ut dives in inferno.* Item: *Veniet enim hora, quando theatrum vitæ hujus solvetur, & nullus postea certabit. Non est post hujus vitæ finem negotiatio.*

Cyprianus tract.1. contra Demetriadem: *Quando,* inquit, *hinc excessum fuerit, nullus jam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus. Hîc vita amittitur, aut tenetur: hîc saluti æternæ cultu Dei, & fructu* FIDEI *providetur.*

3.Concilia. Nugantur quoque Pontificii, præsertim Concilii Tridentini Patres, quādo Ecclesiam Catholicam de purgatorio à sacris Conciliis antiquis edoctam dicunt. Etenim cap. Qui divina, 13. quæst.2. can.20. Concilii Toletani 3. sub Riccaredo, Visigothorum tum Hispaniam occupantium Rege habiti, anno circiter DLXXXVI. constitutum est: *Ut in efferendis funeribus Psalmi tantùm canerentur, non autem lugubres cantus.* Citabantque Toletani Patres locum Apostoli, *quo mortuos lugere prohibemur.* 1.Thess.4. Addebant prætereà, *Lazarum mortuum à Domino defletum non fuisse,* &c. Johan.11. Adeò ut ex his facilè colligere possimus, veteres Patres in ea maximè fuisse sententia, mortuorum in fide animas ad requiem æternam istinc rectà migrare, non autē in aliquot purgatorium conjici, ad cruciatus præferēdas: nec enim pii super eorum morte lætabundos, sed mœstus cantus cecinissent, canerēque jussissent.

Preces & suffragia pro mortuis esse irrita. Hinc etiam irritas fuisse & nullius momenti pro mortuis effusas preces, etiamsi ab ipsis, qui cum Christo vivunt, Sanctis funderentur, crediderunt. Nam si in fide defuncti ex hac vita decesserunt, jam beatitate æterna fruentes, nullis precibus indigent ac suffragiis: sin verò à fide alieni, hacque vacui animam efflârunt, ab omni salutis spe planè secluduntur. Quod disertè docet canon quidam ex D.Hieronymo desumptus, his verbis: IN *præsenti seculo scimus, sive orationibus, sive consiliis posse nos juvari. Quum autem ante tribunal Christi venerimus, nec Job, nec Daniel, nec Noë rogare posse pro quoquam: sed unumquemque portare onus suum.* *Cap. in præsenti distinct.* 11. & 13. *quæst.*3. Quod ex diametro repugnat veritatis paulò ante tam Eccii, Cofteri, Bellarmini, aliorumque Pontificiorum doctorum in purgatorio statuendo sententiis, quàm Concilii Florentini ac Tridentini canonibus

nonibus, *animas in purgatorio detentas sacrificiis suffragiisq; juvari posse asserentibus.*

Cap. Legatur dist. 4. quæst 2.

Exstat item & alius canon, ex Gelasio Episcopo Romano depromptus, qui illigatos noxæ peccatorum, quum moriuntur, nullam unquam veniam cõsequi postea affirmat. Hæc enim sunt ejus canonis ipsa verba: MORTUOS *suscitâsse Christum legimus, in errore mortuos absolvisse non legimus. Et qui tantùm hoc faciendi solus habet potestatem. B. Petro Apostolo principaliter mandavit: Quodcunque solveris in terris, erit solutum & in cælis: & quodcunque ligaveris in terra, erit ligatum in cælis. Super terram, inquit: nam in ligatione defunctum nunquam dixit esse absolvendum.*

Math 16. 19. Joh. 20. 21.

Quo uno canone (si vel nullæ Scripturæ sacræ, vel Patrum orthodoxorum & Conciliorum puriorum sententiæ aliæ de hac re essent) luculentissimè aut omnino nullum purgatorium esse, aut si quod sit (quod tamen illæ & isti & hæc pariter negant, ac pernegant) animas, quæ eò migrent, nunquam inde emigrare docetur.

Aliquastũ tantùm esse purgatoriũ excogitatũ,

Et quid, quòd ut Gentes confinxerunt purgatorium ad terrendos homines & à sceleribus coërcẽdos: sic Christiani id ad quæstum commodumque tantummodo Sacerdotum, Monachorum, reliquorumque religiosorum excogitârunt & stabilierunt? Viderunt enim rem esse lucrosam, & ad beneficia opima, possessiones magnificas & amœnas, dignitatesque excelsas comparandas peridoneam, si persuaderent hominibus, post hãc vitam deleri peccata posse intercessionibus, precibus, Missis, cantibusq; vivorũ, horum curâ Ecclesiasticis, Sacerdotib. Monachis, Monialibusque inprimis delegatâ, pro defunctis. Et quia ex inferno non est liberatio, instituerunt homines astuti ignem purgatorium, è cujus flammis aliorum pecuniæ religiosorum preces, intercessionem, ac Missas conducente, mortui redimi queant, quique ipse largis muneribus & donis extingui, aut mitigari, atque à cruciatu animarum depelli possit. Hinc λύσεις τε καὶ καθαρμοὶ ἀδικημάτων, solutiones, lustrationes & expiationes scelerum animarum eorum, qui è vivis excessêre, in purgatorio magno applausu quotidie in Papatu audiuntur & excipiuntur. Et inde ALBERTUS MAGNUS de officio Missæ cap. 16. tractatu 5. è superstitioso pariter ac vafro corde hæc fallacissima verba eructavit: *Tot possunt fieri uno pro homine suffragia, quòd statim in momento liberatur. Et ideo in hoc casu melior est conditio divitis, quàm pauperis, quia habet, unde suffragia fiant pro ipso.* Hæc Albertus. In qua voce evomenda, núm non recordari potuit acuto ingenio, præcipuâ memoriâ, opulentâque eruditione vir hujus dicti Psalmistæ, nec sua propria peccata quenquam expiare & à pœna redimere posse, nedum aliena, sic affirmantis: *Fratrem enim redimendo, non redimet quisquam, nec dabit Deo pretium redemptionis ejus?* Quare, quum de S. Augustini sentẽtia illi sint hæretici, qui temporalis commodi & honoris sui causâ falsas ac novas opiones pariunt atque amplectuntur, ut in ipsis decretis cap. hæreticus, dist. 24. quæst. 3. citatur: qui non hoc reatu vel eam ob caussam cõstricti censerentur ac dicerentur Papistæ, quia adeò impudenter sacerdotes religiosique ipsorum figmentum de lustratione animarum in flammis purgatori

Alberti Magni vox astuta & fallax.

Psal. 49. 8

gatorii in astutum ac fallax emolumē-ti & honoris sui augendi aucupium converterunt, populusque eo in vita ac morte, quotidiana beneficia illis promptè ac liberaliter elargendo, nititur, ut ut sacra Scriptura, vetusti Patres orthodoxi, sanaque Conciliorum probatiorum decreta reclament?

II. *Ob doctrinā de liberandis tandem damnatis Pontificios esse hæreticos.*

Porrò inter hæreses à veteribus quoque recenseri constat eam *Origenis* doctrinam, quâ *impios tandem esse servandos* & putarit & tradiderit. Sic docuisse eum veteres scribunt: sed non extat hujusmodi quippiam in libris ac scriptis ejus, nobis relictis.

Huic tamen non dissimilis est opinio *Ambrosii Catharini* Episcopi, clarissimi inter Pontificios doctoris, cujus non parva ob doctrinæ singularis existimationem in Concilio Tridentino fuit authoritas. Habetur illa in ejus commentariis in epistolæ ad Hebræos cap. 1. quam etiam postea repetit in comment. in 2. Petri, cap. 3 his verbis, ut scribat: *Terram post diem judicii esse renovandam, ut sit habitaculum eorum hominum, qui nec cœlo, nec inferno digni sunt.* Qui sunt isti, quæso? Et quæ doctrina sententiaque, obsecro, magis à sacris literis aliena, magisque fanatica est? Quæ opinio ad statum alterius vitæ & futuri seculi, à Christo Joh. 3. ✠ 17. & 18. (ubi inquit: *Non misit Deus filium suum in mūdum, ut condemnet mundum: sed ut servetur mundus per eum. Qui credit in eum, non condemnatur: qui verò non credit, jam condemnatus est, quia non credit in nomen unigeniti filii Dei*) ac Luc. 16. ✠. 22. 23. 24. 25. 26. &c. constitutum, & S. Johanne Baptista itidem Johannis 3. ✠. 35. & 36. his verbis explicatum confirmatumque: *Pater diligit filium, & omnia dedit in manū ejus. Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui verò non paret filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum,* funditus convellendum & pervertendum perniciosior? Ac an non iste Papista sic docens est hæreticus? & sic sentientes hæretici, quorum non exiguum inter Pontificios numerum esse, ex vita multorum & sermonibus, vel scurriliter, vel ineptè ac stolidè de animarum immortalitate & futuro hominum statu loquentibus, haud obscurè conjicitur?

De damnatorum statu immutabili.

It igitur illis cum Christo, Johanne Baptista & Apostolis quoque obviam tota sanctorum Patrum turma. E qua sanctus Justinus Martyr, qui in oratione ad Antoninum Pium Imppair: *Duplicem ejus* (Christi) *adventum & præsentiam prænunciarunt sancti vates. Unam quidem jam exhibitam, ut despecti & passionibus subjecti hominis: secundam autem, quando è cœlis cum gloria & Angelica militia sua adveniet, ad huc̄ sicuti prædictum est. Quum omnium etiam qui unquam extitêre, mortalium corpora excitabit: atque dignos quidem induet naturâ corruptibilitatis universa experte, injustos autem in perpetuo sensu unà cum malis geniis in ignem mittet sempiternum.*

Justinus.

Idem de vera Christi religione: *In glorioso,* inquit *suo adventu excindet omnes, qui odio persequuti sunt eum, quique, iniquè desciverunt ab eo: Suos autem in requie collocabit, reddens illis, quæ expectaverunt omnia.*

Cyprianus Martyr: *Resurrectio,* inquit, *quidem communis est, & ante tribunal Christi necesse est in corpore justos stare & impios, Dei hoc dictante justitia, ut pietas & impietas*

Cyprianus de damnatorum statu irrevocabili.

pietas in operatoribus debitis stipendiis donaretur, & qui finem habere contempserunt in malis, INFINITA *clauderentur ultione in* POENIS, *& qui gloriati sunt in cruce* (Christi) *cum crucifixo regnantes, beata fierent perennitatis participes.* De Resurrectione Christi.

Chrysostomus. Chrysostomus homil. 34. de diversis: *Sicut*, ait, *in tempore hyemis inter virides & aridas arbores discretio non est, quum autem venerit tempus beatum vernale, discernuntur: ita tunc* (post resurrectionem) *unusquisque secundùm fidem suam & opera sua manifestabitur*, IMPIIS *quidem nulla proferentibus folia*, NEC FRUCTUM: *Sancti autem &* FRUCTU *gloriæ ornabuntur, & foliis vestientur æternæ vitæ.*

Augustinus. Augustinus de doctrina Christiana lib. 2. cap. 21. *Hoc itaque*, ait, *fides habet, atque ita rem se habere credendum est, neque animum, neque corpus humanum omnino interitum pati, sed* IMPIOS *resurgere* AD POENAS INÆSTIMABILES: *pios autem ad* VITAM ÆTERNAM.

Idem lib. 5. hypog. scribit: *Primum enim* (scilicet locum futuræ vitæ) *fides Catholica divina authoritate regnum esse credit cælorum, unde non baptizatus excipitur. Secundum* GEHENNAM, *ubi omnis apostata, vel à Christi fide alienus* SUPPLICIA EXPERIATUR. *Tertium penitus ignoramus, imò nec esse in Scripturis sanctis invenimus.*

Quorum omnium sententia confirmatur loco Apocalypseos 21. cap. à versu 1. usque ad 9. &c. ubi primò justorum sive fidelium civitas ac sedes æterna post extremum Dei judicium *in novo cælo & nova terra*: injustorum verò atque infidelium sive impiorum & damnatorum habitaculum atque domicilium sempiternum *in stagno ardenti igne ac sulphure* fore dicitur. Nuspiam verò indignorum vel vita æterna vel inferno fit ibi mentio. Nec argutè ille S. Johannis locus accipi debet, quasi novum cœlum & nova terra ibi ideo promittatur, ut credamus & exspectemus talẽ cœli ac terræ innovationẽ, quę vel illis vel his in singulare ac peculiare domicilium ab exacto judicio divino sit cessura. Sed loquitur ibi Scriptura, sicut & 2. Pet. 3. ℣. 13. de spe melioris fidelium ac justorum, id est, per fidẽ Christi justificatorum, conditionis, ac naturæ reparatione. Ac si dicat: Nova erunt omnia, id est, corruptionis & mortalitatis expertia: Ergo fideles ac justi multò magis innovabuntur, & sicut Christus clarificabuntur, atq; ab omni corruptibilitate, mortalitateque perfectè liberati, incorruptibiles & immortales fient ac permanebunt. Nam mox S. Johannes futuram hanc fidelium sortem & conditionem describit, dicens: *Et audivi vocem magnam è cælo, dicentem; Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populi ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et abstersurus est Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Et mors amplius non exstabit, neque luctus, neque clamor, neque dolor exstabit ampliùs: quia prima abierunt. Et dixit is, qui insidebat throno; Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi, scribe: nam hæc verba fidelia sunt & vera. Et dixit mihi actum est, ego sum A & Ω, initiũ & finis. Ego sitiẽti dabo ex fonte aquæ vivæ gratis. Qui vicerit, possidebit omnia: Et ero ei Deus, & ipse erit mihi filius.* *Apoc. 7. 17. Isa. 57. 8.* Hæc quoad fideles, quibus post naturam pristinam tam cœli & terræ, quàm corporum fidelium instaurationem & in melius muta-

mutationem, æternæ felicitatis & nulla corruptione, mortalitate, calamitatéq; ullius generis ac speciei interrumpendæ, mutandæ atque tollendæ beatitudinis possessionem Deus pollicetur. Hinc S.Paulus 2.Corinth.5.1. *Scimus enim*, inquit *quòd si terrestris hujus domus nostra tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habemus, domicilium* scilicet *non manufactum, æternum in cœlis. Nam in hoc suspiramus, expetētes domicilio nostro, quod è cœlo est, superindui. Siquidem etiam induti, non nudi reperiemur. Etenim, qui sumus in hoc tabernaculo, suspiramus onerati: in quo non cupimus exui, sed superindui, ut absorbeatur* MORTALITAS A VITA. Et 1.Corinth.15. ex professo de resurrectione mortuorum ac futuræ vitæ statu differens, ℣.47. ait: *Primus homo è terra terrenus; secundus homo, ipse Dominus è cœlo. Qualis terrenus ille, tales & qui terreni sunt: & qualis ille cœlestis, tales & qui cœlestes sunt. Et sicut gestavimus imaginem terreni, gestabimus etiam imaginem cœlestis. Hoc autem dico vobis fratres, quòd caro & sanguis regni Dei hæreditatem accipere non possunt: neque corruptio incorrupta natura hæreditatem accipit. Ecce, mysterium vobis dico; Non omnes quidem obdormiemus, sed omnes mutabimur, momentu & jactu oculi, ad ultimam tubam. Canet enim, & mortui suscitabuntur incorrupti, & nos mutabimur. Oportet enim hoc corruptioni obnoxium induere incorruptam naturam, & mortale hoc induere immortalitatem*, &c. Postquam autē hoc factum fuerit, ait idem Apostolus 1.Thess.4. *rapiemur in nubes, in occursum Domini in aëra, & ita semper cum Domino erimus.*

Quoad verò infideles & injustos, sive impios ac damnatos, subjungit S. Johannes priori fideliū conditioni futuræ in altera vita: *Timidis autem & incredulis, & execrabilibus, & homicidis, & scortatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars assignata est in stagno ardenti igne & sulphure: quod est mors secunda,* quæ & mors æterna, & ignis sive supplicium æternum in Scriptura dicitur, Math.25.41.46. Isa.30.33. & 61.24.

Ex quibus omnibus perspicuè patet, nuspiam indignorū vel vita vel morte æterna mentionem in Scripturis S. fieri, neq; talibus novam terram sub cœlo post universale Dei judicium datum iri *Math.25.* occupandam: sed ut dividendum sit in die judicii totum genus humanum in oves & hœdos, fideles ac impios, beatos atque damnatos: ita illis solum cœlum cum salute ac felicitate æterna pro sede ac domo obventurum, his verò infernum. Omissis igitur argutiis & hæreticis opinionibus de re tanta, insistamus simplici sacrarum literarum institutioni, ac si quid ampliùs in ea inest absconditi, abstrusi, atq; obscuri, in eum usq; diē differamus ejus cognitionem, quo omnia ista cum reliquis scitu adhuc necessariis plenè ac perfectè cognoscamus, imò & coràm conspicabimur.



DE HODIERNIS HÆRESIBUS ET HÆRETICIS,

PARTIS SECUNDÆ,

LIBER QUARTUS.

HARTMANNO SPRINGLIO Auctore.

CAP. I.

Quomodo Pontificii contra Catholicam fidem Apostolorum, Symbolum Niceni I. Concilii & Damasi Papæ, suas istas hæreses defendant.



COLLATIONE igitur à veterum hæresum, quàm doctrinę & religionis Papisticæ hactenus tribus præcedentibus libris instituta, probatum demonstratumque à nobis est, Pontificios suis quasi gradibus in sentinam hæresum descendisse, donec in summum & imum ejus adeò pervenerint, ut tota atque universa ipsorum religio nihil aliud quàm obscœnissima & fœtidissima omnium hæresum colluvies facta sit.

Etsi autem non desit illis sese excusandi, purgãdi, defendendiq; conatus ac studiũ, sed omnẽ ad hoc impigerrimè, audacissimè, accuratissimeque cõferendum atque præstandum pro seipsis, lapidem movent: tamen lateres lavant & Ætyopos dealbant, quum nõ tam lac lacti, nec tam ovum ovo simile sit, ac istæ priscorum hæreses & Pontificiorum doctrina opinionesque inter sese, quemadmodum ex comparatione eluxit ac constitit.

Et contemplentur sese Pontificii in suorummet Catechismorum speculo, in quo clarè scriptum extat, inter eos, qui ab Ecclesia prorsus alieni sunt, esse secundò *hæreticos, eos scilicet, qui quum baptizati sint, contra Catholicam fidem cum pertinacia tuentur errorem,* & quomodo horum numero eximi queant, obsecro attentè atque sollicitè cogitent. 1. *Symbolum Apostolicũ, Nicenum & Damasianum cõvincere Papistas hære eos.*

Deinde, considerent Symbolum Niceni Concilii primi, quod in Tridẽtini Concilii consessu tertio, die Febr. 4. Anno 1546. *publicè pro norma dijudicandi Catholicos ac hæreticos recitatum, & in acta ejus sessionis pro decreto relatum est,* ac qui non ejus mente & sensu in præcipuis

cipuis articulis à se corrupto, hæreticorum catalogum incurrerint, diligenter secum perpendant.

Tertiò, exerceant sese in frequenti meditatione Symboli Damasiani, de quo edictum Imperatorium pronunciat, *eos esse hæreticorum nomine ac titulo infames, qui juxta id ad regulam disciplinæ Euangelicæ & doctrinæ Apostolicæ informatum suam religionem fidemq; non instituunt*, ac quâ viâ hanc ignominiæ notam effugiant, dispicere elaborent.

Nam & Catholica fides, & Symbolum Nicenum, & Symbolum Damasi Pæpæ unum atque idem sunt: quodq; Pontificii contra horum mentem ac sensum errores tenent, & in his tuendis pertinaces sunt, non possunt non esse manifestissimi ac summi hodie hæretici, sic ipso Catechismo Jesuitico decernente.

Per fidem enim Catholicam, quam Jesuitæ in secundo gradu alienorum ab Ecclesia nominant, ipsi volunt intelligi Symbolum Apostolicum, sicut in quarta Catechismi quæstione habent: *Quæ est simplex fidei regula & veluti summa?* ac respondent: *Symbolum Apostolicum in duodecim distinctum articulos.* Et licet sub finem explicationis Symboli adjiciant in parvo Catechismo: *Quæ demum est simplex, brevis & recta fidei regula, quâ Catholici ab hæreticis discernuntur?* cui quæstioni responsionem assertione palàm falsâ, ac fraudis insidiarumque plenâ infectam his verbis subjiciunt: *Ea est*, (nimirum recta fidei regula) *Christi fidem atque auctoritatem integram profiteri, illudque ratum esse, ac fixum tenere oportere, quod Ecclesia Catholica pastores atque doctores credendum definierunt:* tamen multò veriùs & magis amplectendum ac observandum est, quod Catechismus Romanus parte 1 quæstione 2. cap. 1. sic de Symbolo Apostolico vi veritatis profitetur: *Quæ primũ Christiani homines tenere debent, illa sunt, quæ fidei duces, doctorésque sancti Apostoli, divino spiritu afflati, duodecim Symboli articulis distinxerunt. Nam quum mandatum à Domino accepissent, ut pro ipso legatione fungentes, in universum mundum proficiscerentur, atque omni creaturæ Euangelium prædicarent, Christianæ fidei formulam componendam censuerunt, ut scilicet idipsum omnes sentirent, ac dicerent, neque ulla essent inter eos scismata, quos ad fidei unitatem vocassent, sed essent perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* Mirc. 16. Math. 28. 1. Cor. 3. Et quod ad tertiam hanc quæstionem: *Cur brevis illa fidei formula Symbolum est vocatum?* Respondent: HANC *Christianæ fidei & spei professionẽ à se compositam, Apostoli Symbolum appellarunt, sive quia ex variis sententiis, quas singuli in commune contulerunt, conflata est, sive quia eâ velut notâ & tesserâ quâdam uterentur, quâ desertos & subintroductos falsos fratres, qui Euangelium adulterabant* (id est, hæreticos) *ab iis, qui verè Christi militiæ sacramento se obligarent, facilè possent internoscere.*

Jam consentire Symbolo isti Apostolico Nicenum primum & Damasianum, ipsismet horum Symbolorum verbis, quæ in Ecclesiastica historia Ruffini, lib. 1. cap. 5. & apud Socratem lib. 1. cap. 5. ac tomo 4. operum sancti Hieronymi fol. 97. extant, comprobatur. Hæcque tria Symbola propter summum cum Scriptura sacra & reliquis Symbolis, ut Athanasiano contra Arianos, & Constantinopolitano contra

tra

tra Macedonium & Eudoxium edito, ac Hieronymiano tomo 4. eodem folio, Ephesino 1. adversus Nestorium perscripto consensum, & unanimem atque perpetuam Ecclesiæ Catholicæ & orthodoxæ approbationem, summam semper post scripta Prophetica & Apostolica apud omnes veros Christianos & indubitatam meritò authoritatem habuerunt. Suntque omnibus piis & cordatis Norma, Lapis Lydius, Cynosura, & Theseum filum examinandi videlicet & probandi religionẽ veram, fidemque non fictam: dirigendi iter ad optatum hujus vitæ portum: extricandi denique nosipsos ex omniũ mente corruptorum hominum ac tetrarum hæresum fraudulentis & exitiosis labyrinthis.

Verùm annon, si verum eorum sensum ac genuinam mentem spectes, Pontificii illas hæreses ac falsas veterũ hæreticorum opiniones suâ doctrinâ & religione effingendo, referendo, imitando, sequendoque, evidenter cõtra tria illa gravissima, sanctissima, certissima, probatissimaque symbola docent, loquuntur, agunt, credunt, vivũt, denique moriuntur? Aut quænam hucusque commemorata Pontificiorum doctrina, sententia, opinio, ac fides non veterum illorum hæreticorum doctrinæ atque opinioni quàm simillima est? Quænam symbolis illis tribus non repugnat? Recitant quidem, profitentur, prædicant, explicant, jactantq; Pontificii assiduè nõ minùs ac orthodoxi & Euangelici sive reformatarum Ecclesiarum sectatores ipsissima trium istorum symbolorum verba, ac subinde summo studio, curaque & diligentiâ attentissimâ antecedens (ut in scholis loquuntur) quod in symbolis ponitur, liberè concedunt. Consequẽs verò mox audacter vel negant, vel quod cum eo ex diametro dimicat, suâ sophisticâ asserunt & defendunt, verborum præstigiis & phaleris sive mangoniis aliena à nativa ipsorum Symbolorum sententia affingunt, sicque professione & voce sive ore sincerum illorum studium ac fidem incorruptam simulant, reipsa autem & factis tum in doctrina & religione, tum in vita ac morte ea abnegant & deserunt: ut per viginti superiora capita luculenter & abundè est declaratum ac comprobatum.

Cæterùm ut res magis patefiat, recitemus ipsa illa tria symbola de verbo ad verbum, eaque cum supra indicatis Pontificiorum opinionibus, & doctrinis vel sententiis eorum aliis anacephalæosin & compendium conferamus. *Ἀντιπαράθεσις. Comparatio symbolorum veterum & opinionum Pontificiorum.*

I.

Symbolum Apostolorum.

1. *CRedo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terra.* *1. Symbolorum orthodoxorum commemoratio.*

2. *Et in Jesum Christum, filium ejus unigenitum, Dominum nostrum.*

3. *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.*

4. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad inferna.*

5. *Tertia die resurrexit à mortuis.*

6. *Ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei patris omnipotentis.*

7. *Inde venturus est judicare vivos & mortuos.*

8. *Credo in Spiritum sanctum.*

9. *Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem.*

10. *Remissionem peccatorum.*
11. *Carnis resurrectionem.*
12. *Et vitam æternam, Amen.*

II.

Symbolum Concilii Niceni contra Arium, Filii Deitatem negantem, editum Anno Domini 324. Ruffin. histor. Ecclesiast. lib. 1 cap. 5 Socrat. lib. 1. cap. 5. &c. sub Constantino Magno præsentibus 318. Patribus.

CRedimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei, de Patre natum unigenitum, id est, de substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non factum, consubstantialem, ὁμοούσιον Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlis & quæ in terra. Qui propter nos & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, homo factus, passus est, & resurrexit tertia die, & ascendit in cœlos, inde venturus judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum sanctum, &c. Eos autem, qui dicunt: Erat aliquando, quando non erat, & antequam nasceretur, non erat; & quia ex nullis substantiis factus est, vel ex alia subsistentia vel substantia, dicunt esse τρεπτὸν, aut convertibilem vel mutabilem Filium Dei, anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.

III.

Symbolum B. Damasi Romani Episcopi, tomo 4. Operum S. Hieronymi fol. 97. circa Annum Domini 376. relatum.

CRedimus in unum Deum Patrem omnipotentem: & in unum Dominum nostrum Jesum Christum Dei Filium: & in Spiritum sanctum Deum, non tres Deos: sed Patrem, Filium & Spiritum sanctum, unum Deum colimus & confitemur: non sic unum Deum, quasi solitarium, nec eundem, qui sibiipsi Pater sit, ipse & Filius: sed Patrem esse, qui genuit: & Filium esse qui genitus sit: Spiritum verò sanctum, non genitum neque ingenitum: non creatum, neque factum: sed de Patre Filióque procedentem: Patri & Filio coæternum, & coæqualem, & cooperatorem. Quia Scriptum est: Verbo Domini cœli firmati sunt, id est, à Filio Dei, & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum. Et alibi: Emitte Spiritum tuum & creabuntur: & renovabis faciem terræ. Idéoque in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti unum confitemur Deum: quod nomen est potestatis, non proprietatis. Proprium nomen est Patri, Pater: & proprium nomen est Filio, Filius: & proprium nomen est Spiritui sancto, Spiritus sanctus. In hac Trinitate unum Deum colimus: quia ex uno Patre quod est, unius cum Patre naturæ est unius substantiæ, & unius potestatis. Pater Filium genuit, non voluntate, nec necessitate, sed naturâ.

Psal. 33. *Psal. 104.*

Filius ultimo tempore ad nos servandos & ad implendas Scripturas, descendit à Patre: qui nunquam desiit esse cum Patre. Et conceptus est de Spiritu sancto, & natus ex virgine: carnem, & animam, & sensum, hoc est, perfectum suscepit hominem: nec amisit, quod erat: sed cœpit esse, quod non erat: ita tamen, ut perfectus in suis sit, & verus in nostris. Nam, qui Deus erat, homo natus est; & qui homo natus est, operatur ut Deus: & qui operatur ut Deus, ut homo moritur: & qui ut homo moritur, ut Deus resurgit. Qui devicto mortis imperio, cum ea carne, quâ natus, &

Passus, & mortuus fuerat, & resurrexit, & ascendit ad Patrem, sedetq; ad dexteram ejus in gloria, quam semper habuit & habet. In hujus morte & sanguine credimus emundatos nos: & ab eo resuscitandos die novissimo, in hac carne, quâ nunc vivimus. Et habemus spem, nos consequuturos præmium boni meriti, aut pœnam pro peccatis æterni supplicii. Hæc lege, hæc crede hæc retine, huic fidei animam tuam subjuga, & vitam consequeris & præmium à Christo.

Eadem docuit & credidit cum Damaso B. Petrus Episcopus Alexandrinus, referente tripartita historia lib. 7. cap. 37. & lib. 8. cap. 14.

Doctrina Pontificia summa symbolis orthodoxis opposita.

His igitur fidei verè Chistianæ & Catholicæ, tot Martyrum sanguine tinctæ ac confirmatæ, Symbolis cognitis, dic jam ô Papista quisquis es, quid quæso, simile & commune habeant cum illis omnia ista dogmata, omnésque istæ sententiæ atque opiniones vestrorum Pontificiorum, quæ inde à capite 2. hujus libri usque ad præsens 22. ex propriis vestris Sermonibus, Catechesibus, Decretis, Scriptisque omnis generis commemorata sunt? Sentiunt enim, tradunt, docent, credunt, cantant, profitenturque Pontificii hodie: *Scripturam sacram in se quidem authenticam & canonicam esse, quoad nos verò non talem agnosci virtute, luce & authoritate Scripturæ divinitus indita. ac Spiritus sancti operatione, sed unâ & solâ Ecclesia interpretatione, dijudicatione, decisione, voce, testimonio ac mãdato, eãdemq; in reb. ad fidẽ, mores & salut ẽ nostram pertinentibus esse dubiam, obscuram, atque imperfectam, neque à plebeis & laicis legendam & evolvendam: S. Mariam Filii Dei matrem Filio imperare, ac ideo superiorẽ esse, & nõ modò in S. Trinitatis, sed etiã B. Mariæ nomine homines baptizari debere: Empyræum fuisse Deo coæternum sicq; duo rerum principia, illud nempe & istum: Non esse veram Ecclesiæ notam, verbi divini puram annuntiationem, & Ecclesiam esse localem, nempe in successione Romanorum Episcoporum, ac regno Pontificio, adeóque urbe Roma sitam: Angelos & Sanctos jam defunctos esse invocandos, ac intercessores nostros constituẽdos: Imagines Dei & sanctorum esse in templis collocandas & adorandas, idemq; cruci picta vel sculpta sive fusa præstandum: Legem divinam concupiscentiam non facere peccatũ in renatis, non docere Deum intensivè supra omnia amandum, & pro inimico in specie orandum, huncq; amicè salutandum, ac in ignorantia intensivè dirigendum sive instituendum, festa deniq; nulla in septimana præter Sabbathum habenda: Adamum moriturum fuisse licet non peccasset: Liberum arbitrium in homine ad bonum superesse: concupiscentiam in parvulis non esse peccatum, hósque originali quidem peccato carere, at pœna non, nec remanere in baptizatis peccatum originis: Sanctam Mariam sine peccato originali conceptam: Concupiscentiam in anima esse solam peccatum originis: hoc non esse peccatum propriè & ejus reatum quidem baptismo tolli, essentiam verò minui: Homines prædestinari ob bona opera, & horũ meritis gratiam ac vitam æternam impetrari: Præstantibus, quod in se est, non deesse gratiam. Voluntatem ex suis naturalibus disponere se ad gratiam: Fœminis baptismum esse permittendum: Lingua latina & ignota in baptismo & aliis sacris utendum: illumq; in solis peccatis ipsum præcedentibus valere: In Eucharistia Christum esse duplicem, alium in cœlo, alium in Sacramento ac pane: sub unâ tantùm specie panis esse laicis Eucharistia cõmunicandum: vinum in sanguinem, in corpus*

pus Christi panem transsubstantiari: chrisma & oleum ad dona Spiritus sancti & salutem sive remissionem peccatorum impetrandum in confirmatione atque extrema unctione adhibendum: paupertatis & cælibatus votū esse perfectionis statum, huncq; nuptiis præferendum: Conjugium esse pollutum: *Cum discrimine & delectu dierum atque ciborum esse jejunandum, & ab hoc meritum salutis dependere: Animas beatorum in limbo versari, purgatorii igne lustrari: Pro mortuis precandum & sacrificandum: Reliquiis sanctorum venerationem religiosam deberi: Flagellationes & verberationes proprii corporis, cum peregrinationibus religionis ergò absque calceis, ad salutem pollere: Luminibus die noctuq; in fanis utendum: Hominis materiam non esse terram, nec cinerem sive pulverem: Aquam lustralem diabolum & spectra fugare, salutemq; animæ tribuere: denique terrā post ultimum judicium renovatam iis, qui nec cælo, nec inferno digni sunt, inhabitandam concessum iri.* Hæc omnia, inquam, sentiunt, tradunt, docent, concionantur, scribunt, cantillant, profitenturque privatim ac publicè Pontificii hodierni, tantique sunt apud eos momenti ac pretii, ut absque illis religio Romana non posset subsistere. Imò à postremo & ipsorum opinione œcumenico atq; universali Concilio Tridentino execrationi & anathemati subjiciuntur, quicunque unum aliquod istorum omniū sive plerorūque negat. Et nihilominùs tamen (quod bene expendi debet) symbolum Apostolicum, quod cōtinet omnia in se religionis dogmata, necessariò ad salutem credenda, ac ideò *clavis & regula fidei* dicitur, non habet in se ullam istarum Romanę Ecclesiæ opinionem & doctrinam, ut nec ullæ sanctorum Patrum expositiones super hoc symbolum, nec etiam ulla alia fidei confessio aut symbolum à Cōcilio aliquo vel Ecclesiâ quâpiam per multa à Christo secula editum. Atque hæc ratio manifestum facit unicuique, qui absque affectu judicat, dictas antea Pontificiorum opiniones & dogmata recentes & humanos esse fidei articulos, & tales ut eos Spiritus sanctus non dictarit, Ecclesia Apostolica nescierit, & quos nec Patres, nec ulla Concilia in ullo veteris vel novi Testamenti libro invenerint. Quare in Papistas quadrat, quod olim de hæreticis scriptum reliquit Tertullianus de præscriptione hæreticorum: *Credunt sine Scripturis, ut credant adversus Scripturas.*

Respondent Papistæ: Omnia hæc sua dogmata comprehendi & credi sub articulo nono, *Credo Ecclesiam Catholicam.* Hujus enim sensum esse illum. Credo omnia illa, quæ Ecclesia credit, ac docet esse credenda. Hinc in Catechismo parvo (uti diximus) fidem Catholicam definientes, vel exponentes, priore saniore ejus definitione mutata addunt: *Est scilicet etiam hæc fides Catholica Christi fidem atque authoritatem integram profiteri, illudq; ratum ac fixum tenere, quod Ecclesia Catholica pastores atque doctores credendum definierunt.* Quasi verò Christus Joh. 10. 27. dixerit: Oves meæ non solùm vocem meam audiūt, sed etiam pariter eodem affectu pastorum & doctorum Ecclesiæ vocem audiunt, ac sequuntur, licet diversa & repugnans meæ voci sit. Ac non potiùs dixerit: *Oves meæ vocem* MEAM *audiūt, & ego cognosco eas, & sequuntur* ME. Sic clarè innuens, non esse ultra & præter

Exceptio Papistarū.

suam doctrinam vel Catholicæ Ecclesiæ pastorum & doctorum doctrinam audiendam & credendam, nisi suæ, id est, Christi doctrinæ sive voci consentiat. Ista autem Romanæ Ecclesiæ dogmata, num consentiunt voci Christi? Annòn plurimum potiùs ab ea dissentiunt, longissimeque recedunt? Nam in singulis illis Pontificiorum dogmatibus atque opinionibus recensendis indicatum est, & comprobatum, eas à Christi, sanctorum Prophetarum, Euangelistarum, Apostolorumque doctrina esse prorsus alienas, & partim ex Judaismo & Pharisæismo, partim ex Ethnicismo, partim denique ex Hæreticismo veteri petitas atque perceptas. Adhæc si ita se haberet, ut etiam quæcunque Ecclesiæ pastores & doctores credenda tradunt, statim credi oporteret, tum necessariò sequeretur, nos credere in Ecclesiam propter ejus expositionem & certificationem doctrinæ necessariæ ad salutem: atque ita veritas Dei creatoris æterna à determinatione creaturæ dependebit: Verbum deniq; Dei scriptum non esset sufficiens, ut quod non omnia fidei capita, salutem nostram concernentia, clarè revelasset & exposuisset. Quid quod hac ratione Ecclesia primitiva negligens admodū & minùs accurrata in tradendis fidei articulis fuisset, quum præmissa Pontificiorum dogmata suis auditoribus non exposuerit, sed ea postremis mundi seculis reliquerit. Sed utrum horum dicatur, absurdum, inconveniens, impium, & tam in Deum, quàm primitivam Ecclesiam contumeliosum atque injuriosum est.

CAP. II.

Plenior expositio, quomodo Romana religio pugnat cum rudimentis Catholicæ fidei, ac ideò hæretica sit.

UT autem hoc ampliùs & rectiùs intelligatur, quum ipsi Romanæ Ecclesiæ Doctores, Jesuitæ, in parvo Catechismo dicant, *esse hæreticos, qui cōtra Catholicam fidem pertinaciter tuentur errores*, ipsosmet Jesuitas atque Pontificios hoc facere, ac proinde tales omnino esse: exponam per omnes fidei Apostolicæ & Catholicæ articulos, Papistas pugnare cum fundamentis ejus, sicque magnis & tetris erroribus in fide Catholica receptis, eos notam hæreseos effugere minimè posse.

Contra primum articulum, *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ*, peccant Pontificii Atheismo. Duo sunt hujus genera, unum est manifestus Atheismus, alter occultus. Manifestus Atheismus est, quando quis & verbis & reipsa Deum ejusque verbum negat. Occulto non ita apertè negatur Deus: sed tamen & ipse duos habet gradus. Prior est, quando quidem aliquis Deum, creatorem cœli & terræ esse credit ac profitetur: sed negat tamen hunc Deum esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Sic dicuntur Ephesii fuisse *sine Deo*, antequā Euāgelium percepissent, licet Deum esse naturali rationis judicio convicti faterentur. Nam quia Christum negabant, ideo non Deum, sed idolum à se confictum adorabant, quum Deum extra Christum adorarent. Eadem de caussa de Samaritanis quoque, quantumvis

Primum fidei Catholica articulum Pontificios Atheismo occulto negare.

Ephes. 2.

rumvis adorarent Deum Abrahami, pronunciat Christus Salvator noster, *quòd adorarint, quòd nesciebant.* Et psal

Joh. 4. 22.

mista de omnium gentium Diis ait, *quòd sint idola.* Atque hac Atheismi specie peccāt adhuc hodie Judæi, Turcæ, Antitrinitarii & Ariani, omnes deniq; qui alium sibi Deum imaginantur, aut adorant præter sanctam Trinitatem.

Alter verò gradus Atheismi occulti est, quum quis Deitatis unitatem in Trinitate agnoscit quidem & fatetur, sed tamen per consequentias quasdam necessarias, partim ex aliis doctrinæ & fidei suæ capitibus, partim verò etiam ex ratione colendi Deum deductas, evertit id, quod bene antea fassus fuerat. Atque hoc genere Atheismi laborat & delinquit Ecclesia Romana multipliciter: id quod sic assero & probo.

Atheismus Pontificius.

Nā 1. ipse Papa Papistis Deus est, palamq; ab illis Deus & dicitur & constituitur. Nam de eo ait Baldus: *Papa potestas libera est, & ab omnibus vinculis regulá que coërcendi absoluta.* Decius: *Qui contra jus, supra jus & extra jus omnia potest.* Ostiensis: *Cui omnia licent.* Felinus: *Quinimò ipse est* Deus. Antoninus parte 3. *Posse facere omnia, quæ Deus facit: habere unum consistorium cum Deo.*

Decret. cap. violatores, can. 25. quæstione 1. statuitur, *ejus, qui in Dei legem peccet, esse facilè remissum peccatum: at in Papæ legem & decreta peccare, piaculum esse in æternum irremissibile.*

Nec veretur Andradius palàm & publicè profiteri: *Majori scelere involvi, qui Papa, quā qui Dei leges perfregerit.* Nónne igitur Papa Pontificiis Deus est? imò Papa plus Deo? Papa superior, Deus inferior? Papa tenet primas, Deus secundas? Papæ Deus cum sua lege subjicitur? Sicque à Pontificiis, quod primo fidei articulo de Deo vero confitētur, evertitur ac negatur. Quomodo enim Deum unum omnipotentem credunt, qui idem Papæ adscribunt? Et qui Dei præceptis neglectis ac prætceritis, Papæ traditiones ac mandata somniis plena colit, veneratur atque observat?

2. Qui alios invocant præter Deum universi hujus conditorem, & quidem ardentiori voto reverentiaque majore, non colit ille unum verum Deum creatorem cœli & terræ, sed cultu & honore debito exuit. Papistæ præter unum verum Deum alios, & quidem majori voto ac veneratione. Nam Bodinus de methodo histor. cap. 5. scribit: Divus Antonius à plerisque in in Italia & Gallia Narbonensi ardentiore voto, certè majore metu colitur, quàm Deus immortalis. Papistæ ergo non colunt illum unum Deum creatorem cœli & terræ, sed cultu & honore debito exuunt, quem in Symbolo Apostolico fatentur.

3. Dum asserunt Papistæ merita operum humanorum concurrere cum gratia Dei in nostri salvatione, negant & evertunt Dei gratiam. Rom. 11.

4. Verbis quidē fatētur agnoscere se & credere infinitā Dei justitiā & misericordiā: at per consequentias ex aliis ipsorum dogmatibus elicitas tollunt utramque. Quomodo enim infinita fuerit illa justitia, quæ potest aliqua ex parte placari humanis (ideoque finitis) satisfactionibus? Quomodo etiam infinita erit Dei misericordia, si necesse est nos nostris satisfactionibus supplere satisfactionem Christi?

In 2. fidei & 3. articulum ut peccent Papistæ.

Eodem modo peccant Pontificii in secundum & tertium fidei Catholicæ articulum, qui sunt: *Et* (credo) *in Jesum Christum Filium ejus unigenitum. Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.* Etenim 1. tam veros, quàm falsos Sanctos pro Christo substituunt colendos & adorãdos, ut divina etiam Christi munera atque opera eis tribuant. Ut enim Pharisæi & Judæi olim BENEFICIA & OPERA Christi quotquot præstitit, non grato animo admiserunt & agnoverunt, sed partim riserunt, blasphemârunt, aut contumeliosè traduxerũt, partim non Christi, sed alienæ virtuti accepta tulerunt: sic annon Christi unicam & sufficientem satisfactionem, redemptionem, capitis serpentini contritionem, protectionem, meritum, justificacionem, salvationem, præsidium, custodiam, defensionem, sanationem, conservationem, intercessionem, liberationem, auxilium & patrocinium in qualibet sive necessitate, sive egestate, & quacunq; fortunâ Pontificii ad Mariam ejus matrem, vel Angelos, ac aliquos Sanctorum transferunt? Et quotus quisque Sanctorum est, cui non eadem assignent? à quo non eadem petant, sperent & exspectent? à quo se non ea ipsa accipere atque impetrare confidant? Ac in hunc finem ad Jesum Christum solum ac sufficientem Mediatorem & Intercessorem adjiciunt complures alios, qui intercedant pro nobis, imò nobis auxilientur; tot inquam Sanctos, quot apotheosi quadam in Calendarium Papæ sunt relati. Exempla aliquot suprà aliis in capitib. recensuimus: hæc nunc paucis addo.

1. Christi divina munera sanctis ascribunt Papistæ.

In libro, qui inscribitur disciplina de Sanctis, dicitur serm. 43. *Sciendum, quòd omnes homines debent hodie honorare sanctã* ELISABETH *& invocare in omnibus necessitatibus & infirmitatibus.*

Rursus sermone 4. & 31. *Omnes homines debent sanctum Nicolaum devotè tanquã singularem patronum invocare, quia ipse potest hominibus subvenire multipliciter.*

Discipl. de Temp. serm. 161. *Sancti honorandi sunt & invocandi cũ magna fiducia, quia meruerunt hoc apud Deum, quòd possunt nobis subvenire in necessitatibus.*

Antidotarium animæ fol. 17. suppresso sanguine Christi, dicit *sanguinẽ Martyrum* PRO OMNIUM SALUTE *effusum.*

Antoninus Florentinus part. 3. tit. 3. dicit: *Divina beneficia descendere in nos* MEDIANTIBUS *Angelis & animabus beatis.* Idemque disputat, *sanctos esse* PORTAS COELI, *eò quòd per sua suffragia importent nos in eos*: Cõtra illud Christi Joh. 14. 6. *Ego sum via, & veritas & vita, nemo venit ad Patrem, nisi per me.*

Fortunatus Martinum simpliciter facit mediatorem inter nos & Deum, libro 7. in hujus vita scribens:

Dulcis, adorande, & mihi pectore, voce colende,
Per pietatis opem misero, miseri miserere.
Inter me & Dominum MEDIATOR *adesto benignè.*

Quò refer etiam Monachi *Francisci* χριστομίμησιν, quem novum mundi Salvatorem constituunt, & cum Christo committunt, in eodem eum throno collocantes. Dicunt enim, Franciscũ totidem plagis ac stygmatibus, quot Christum in cruce pendentem, iis denique in locis, videlicet manibus, pedibus

Francisci Χριστομίμησις.

bus

bus & latere à Christo in ecstasi compunctum, *& stygmatibus illis servare posse à morte aeterna viros qui à Francisci tempore usque ad finem mundi vixerint.* Addunt, *quòd Franciscus plus sit, quàm Johannes Baptista, melior Apostolis, in sede Luciferi collocatus, & JESU CHRISTO similis.* Liber Conformitatum Francisci, Bonaventura in flosculis sancti Francisci, Antoninus in historiali part. 3. titul. 23. & 24.

Similiter Christo aequatur ab Antonino Florentino & aliis, DOMINICUS Monachus, de quo scribit ille, *quòd magnam habeat similitudinem ad Christum, quod per eum faciliùs eatur ad Deum, quòd trina sua disciplina, qua usque ad sanguinis effusionem corpus quotidie afflixerit, satisfaciat pro omnium culpis, unâ pro suis, alterâ pro in purgatorio existentium, tertiâ pro eorum, qui* Math. 28 *in mundo versantur. Quòd* POTESTAS *in caelo & in terra, quam Christus sibi contigisse profitetur,* DOMINICO *etiam sit cōmunicata, potestas scilicet terrestrium, caelestium & inferorum: quòd post mortem in sellam collocatus à* JESU *& matre ejus per scalas candidissimas, Angelis comitantibus in caelum sit sublatus, &c.* part. 3, tit. 2. 3. histo-rial.

2 *Papae Christi tituli tribuūtur & officia.*

Secundò suo etiam Pontifici Romano tribuunt *omnia nomina*, quae in Scripturis Christo tribuuntur, unde cōstet eum supra Ecclesiam esse. Qualia sunt *Pastor universalis, Paterfamiliàs in domo Dei, caput corporis Ecclesiae, vir & sponsus Ecclesiae*, &c. Bellarminus lib. 2. de Conciliis, cap. 17. Hinc GERSON *plus Papae, quàm Christo ejusq; Euangelio credi*, seriò deplorat, parte 1. de exem. doct. consid. 2.

Deturbato enim Christo de suo officio, Papae id tribuunt. Nam licet Christus solus sit Rex, Legislator & caput suae Ecclesiae: adjungunt tamen ei Romanenses Papam, non tantùm ut Vicarium, sed & ut socium aut officii consortem: *dum nimirum Papae tribuunt potestatem condendi leges obligantes conscientiam: determinandi item & eruendi infallibiliter verum sensum sacrae Scripturae, propriè condonandi peccata, tam quoad poenam, quā quoad culpam: autoritatem praeterea & imperium supra universum mundum, imò & partem inferni: adeò ut possit Reges & Principes thronis suis dejicere* (quibus tamen subtus Christo omnis anima subjecta est) *& absolvere subditos à juramento fidelitatis & obedientiae, quo Dominis suis tenentur*, &c.

3 *Divinitatē Christi à Papistis negari.*

Tertiò, ut Pharisaei in Messia seu Christo, suo, quem expectabant, Salvatore, non nisi humanitatem credebant, Deitate exclusa, Math. 22. Marc. 12. Luc. 20. ita Papistae in suo Salvatore & Mediatore Christo, humanitate sublimius aut amplius quicquam vel credunt vel statuunt, ad castra Stancari apertis signis transeuntes. *Divinitatem enim à Mediatione prorsus excludunt*, ut fusè est videre apud Bellarminum in libro, quem inscripsit Judicium de libro concordiae, pag. 7. Petrus Hansonius in patefactione ingentis stultitiae pag. 18. 19. Et rursum Bellarminus lib. 5. de Christo mediatore cap. 3 4. 5. 6. 7. Busaeus in Thesibus contra Gerlachium, &c. Hinc:

Qui naturam divinam excludunt à mediatione, excludunt eam ab ipso quoq; Mediatore.

Papistae excludunt naturam Christi divinam à mediatione.

Ergo

Ergo ab ipso etiam mediatore.

Propositio firma bonaque est. Mediatio enim est formale mediatoris, à quo mediator suum habet esse & denominari.

Porrò: *Quia à mediatore excludunt τὸ θεῖον* Id est: *Deitatem, ii Christum purum faciunt hominem.*

Jesuitæ excludunt à mediatore τὸ θεῖον. Ergo Christum purum faciunt hominem.

4. Humanitas Christi à Papistis negatur.

Quartò, Apostolus ait, 1. Joh. 2.23. *Quisquis negat Filium, is ne Patrem quidem habet.* Qui verò nec Patrem nec Filium habet, is negat Deum. At Romana Ecclesia in præsenti non habet Filium Jesum, inquam, Christũ, Deum & hominem, verum illum mediatorem generis humani: sed transformavit eum in Christum fictitium & imaginarium. Quod sic demonstro. Pro Jesu Christo, qui nobis similis est per omnia, excepto peccato, imaginantur sibi papistæ talem Christum, qui habeat duos existentiæ modos: naturalem alterum, secundùm quem visibilis sit, palpabilis & circumscriptus in cœlo, alterum verò, non solùm suprà, sed & contra omnem naturam secundùm quem substantialiter carne sua sit in manibus cujusque sacerdotis, & in unaquaq; hostia, in ore denique cuivis communicantis, invisibiliter, impalpabiliter & incircumscriptè. Atque ita tollunt reipsa CHRISTI HUMANITATEM.

Et sic articulus iste Symboli Apostolici, Credo in Christum, *qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine,* evertitur per Transsubstantiationem panis & vini in corpus ac sanguinem Christi in Missa. Nam in hoc articulo docemur & confitemur veritatem incarnationis & humanitatis Christi: quæ in conceptione quidem initium habuit: sed deinceps hucusque nunquam deposita aut mutata est: quódque illa humanitas vera sit: & quod corpus ipsius retineat omnes proprietates corporis naturalis, quod carne & ossibus constat: habeatque certam suã quantitatem, formam & dimensiones (hoc est longitudinem, latitudinem & profunditatem) partes quoque extra partes, caput non in pedibus, nec hos in capite: sed circumscriptum existens, visibile & palpabile: uno verbo, corpus tale, quod omnia in se habet, quæ Deus humano corpori primitus à se creato insevit.

Exceptio Papistarũ.

Dicent fortè, *Corpus Christi posse manere corpus verum, etiamsi mutetur quoad aliquas qualitates, qualis est circumscriptio.* Sed respondemus: Circumscriptionẽ nullo modo auferri posse à corpore, ut id maneat corpus. Nam in loco aliquo circumscribi, essentialis proprietas est quantitatis: quantitas verò de essentia uniuscujusque corporis. Quare necesse est omne corpus, quia quantum, circumscribi in aliquo loco. Et hoc est quod Leo ait epistolâ 70. *Corpus Christi nullo modo esse extra veritatem corporis nostri.* Et sanctus Augustinus: *In terra* (inquit) *loquebatur* (Christus) *& in cœlo se esse dicebat. Sic venit, ut inde* (de cœlo) *non abscederet: sic rediit, ut nos non derelinqueret. Quid miramini? Deus hoc facit. Homo enim secundùm corpus in loco est, & de loco migrat, & quum ad alium locum venerit, in eo loco unde venit, non est. Deus autem implet omnia, & ubique totus est, non secundùm spacia tenetur locis.*

Ut verò opinionem suam solvent Pon-

Exceptio alia Papistarum.

Pontificii, utuntur hac distinctione. *Corpus Christi esse in multis locis totalitate essentiæ, sed non totalitate quantitatis. Secundùm hanc enim esse solummodò in uno loco.* Verùm, ut dixi, contradictoria simul vera constituunt. Nam ut omnes disciplinæ fatentur, quantitas ita est propria corpori omni, ut hoc absq; illa nullo modo esse possit.

5. Sacerdotes innumeri loco Christi cõstituuntur à Papistis.

Quintò, quum vox Christus denotet, Jesum ex Maria natum esse unicum nostrum Sacerdotem æternum, Pontificii hoc eo impugnãt & negant, quòd *pro Christo Jesu solo reali sacerdote novi Testamenti, substituunt infinitam turbam sacerdotum, qui quotidie Christum offerunt* (ut videri volunt) *in Missa pro peccatis vivorũ & mortuorum.* Hinc Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 6. & 25. ac Pistorius de sacrificio Missæ cap. 10. pag. 432. 433. & 434. ait: *Etsi nomen sacerdotis nuspiam in Scriptura novi Testamenti ministris Euangelii tribuatur* (ut & Bellarminum fatentẽ habemus lib. 3. de Romano Pontifice cap. 13.) *quia Christus solus sit Pontifex & Sacerdos novi Testamenti: nihil tamen istud officere sacerdotibus in Ecclesia Romana. Utrumque enim esse verum: Et Christum esse sacerdotem novi Testamenti, & ipsius oblationem esse unicam, & semel factam, & perficere sanctificatos. Et nihilominus tamen ministros Ecclesiæ in his terra esse sacerdotes, & sacrificium Missæ esse verum sacerdotum.* Voluntautẽ hoc dicere: Christus est unicus sacerdos novi Testamenti, nempe *primarius*: Sacrifici sunt secundarii (Unterpriester) Christi sacrificium est unicum, nempe *cruentum*: sacrificium autem Missæ est *incruentum.*

Unde verò probant? Instituunt collationẽ hoc modo: Christus unicus est magister & doctor: Et tamen in Ecclesia multi sunt doctores. Nimirũ Christus est Dominus, cæteri sunt ministri. Ita Christus unicus est summus Pontifex, cæteri sunt sacerdotes ei ministrãtes, per quod ipse Christus præsens invisibiliter omnia operatur. Respondemus: Elenchus est partium. Nam in sacerdotio & sacrificio Christi, quemadmodum illud accuratè descriptum est ad Hebræos cap. 5. 6. 7. & seqq. nihil quicquam reperitur, quod possit ulli homini competere. Tale enim est illud sacerdotiũ & sacrificium, ut inclusam habeat plenissimam satisfactionem pro peccatis totius generis humani, ex qua cætera promanant omnia, quæ de eo dicuntur. Jam ex universa Adami posteritate nemo est, qui præstare possit eam satisfactionem: quia laus solius Christi propria est. Unde nulli hominum præter illum, nomen istud attribui potest. Nec potest ea distinctio stare cum his verbis Apostoli Heb. 7. 27. *Qui non habet necessitatem quotidie offerendi.* Hoc enim *facit, semel seipsum offerendo,* cap. 9. 12. Et *per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Et ad Hebræos 7. 23. & seqq. opponitur multitudini sacerdotum Leviticorum in Testemento veteri unicus sacerdos novi Testamenti. Unde consequeretur, hoc non rectè fieri, si æquè plures in novo ac in veteri Testamento sacerdotes esse deberent. At fit hoc præcipuè ob eam caussam, quòd rationes illius unitatis ibi positæ tam non possunt ferre pluralitatem sacerdotum novi Testamenti, quàm nec pluralitas illa in veteri Testamento perfectionem assequi potuit. Denique



DE HODIERNIS HÆRESIBUS ET HÆRETICIS, PARTIS SECUNDÆ, LIBER QUARTUS.

HARTMANNO SPRINGLIO Auctore.

CAP. I.

Quomodo Pontificii contra Catholicam fidem Apostolorum, Symbolum Niceni I. Concilii & Damasi Papæ, suas istas hæreses defendant.



Ollatione igitur tā veterum hæresum, quàm doctrinę & religionis Papisticæ hactenus tribus præcedentibus libris instituta, probatum demonstratumque à nobis est, Pontificios suis quasi gradibus in sentinam hæresum descendisse, donec in summum & imum ejus adeò pervenerint, ut tota atque universa ipsorum religio nihil aliud quàm obscœnissima & fœtidissima omnium hæresum colluvies facta sit.

Etsi autem non desit illis sese excusandi, purgādi, defendendiq; conatus ac studiū, sed omnē ad hoc impigerrimè, audacissimè, accuratissimeque cōferendum atque præstandum pro seipsis, lapidem movent: tamen lateres lavant & Æthyopos dealbant, quum nō tam lac lacti, nec tam ovum ovo simile sit, ac istæ priscorum hæreses & Pontificiorum doctrina opinionesque inter sese, quemadmodum ex comparatione eluxit ac constitit.

1\. Et contemplentur sese Pontificii in suorummet Catechismorum speculo, in quo clarè scriptum extat, inter eos, qui ab Ecclesia prorsus alieni sunt, esse secundò *hæreticos, eos scilicet, qui quum baptizati sint, contra Catholicam fidem cum pertinacia tuentur errorem,* & quomodo horum numero eximi queant, obsecro attentè atque sollicitè cogitent. *Symbolum Apostolicū, Nicenum & Damasianum cōvincere Papistas hæreticos.*

Deinde, considerent Symbolum Niceni Concilii primi, quod in Tridētini Concilii consessu tertio, die Febr. 4. Anno 1546. *publicè pro norma dijudicandi Catholicos ac hæreticos recitatum, & in acta ejus sessionis pro decreto relatum est,* ac qui non ejus mente & sensu in præcipuis

cipuis articulis à se corrupto, hæreticorum catalogum incurrerint, diligenter secum perpendant.

Tertiò, exerceant sese in frequenti meditatione Symboli Damasiani, de quo edictum Imperatorium pronunciat, *eos esse hæreticorum nomine ac titulo infames, qui juxta id ad regulam disciplinæ Euangelicæ & doctrinæ Apostolicæ informatum suam religionem fidemq; non instituunt*, ac quâ viâ hanc ignominiæ notam effugiant, dispicere elaborent.

Nam & Catholica fides, & Symbolum Nicenum, & Symbolum Damasi Pæpæ unum atque idem sunt: quodq; Pontificii contra horum mentem ac sensum errores tenent, & in his tuendis pertinaces sunt, non possunt non esse manifestissimi ac summi hodie hæretici, sic ipso Catechismo Jesuitico decernente.

Per fidem enim Catholicam, quam Jesuitæ in secundo gradu alienorum ab Ecclesia nominant, ipsi volunt intelligi Symbolum Apostolicum, sicut in quarta Catechismi quæstione habent: *Quæ est simplex fidei regula & veluti summa?* ac respondent: *Symbolum Apostolicum in duodecim distinctum articulos.* Et licet sub finem explicationis Symboli adjiciant in parvo Catechismo: *Quæ demum est simplex, brevis & recta fidei regula, quâ Catholici ab hæreticis discernuntur?* cui quæstioni responsionem assertione palàm falsâ, ac fraudis insidiarumque plenâ infectam his verbis subjiciunt: *Ea est*, (nimirum recta fidei regula) *Christi fidem atque auctoritatem integram profiteri, illudque ratum esse, ac fixum tenere oportere, quod Ecclesia Catholica pastores atque doctores credendum definierunt:* tamen multò veriùs & magis amplectendum ac observandum est, quod Catechismus Romanus parte 1 quæstione 2. cap. 1. sic de Symbolo Apostolico vi veritatis profitetur: *Quæ primũ Christiani homines tenere debent, illa sunt, quæ fidei duces doctorésque, sancti Apostoli, divino spiritu afflati, duodecim Symboli articulis distinxerunt. Nam quum mandatum à Domino accepissent ut pro ipso legatione fungentes, in universum mundum proficiscerentur, atque omni creaturæ Euangelium prædicarent, Christianæ fidei formulam componendam censuerunt, ut scilicet idipsum omnes sentirent, ac dicerent, neque ulla essent inter eos scismata, quos ad fidei unitatem vocassent, sed essent perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* Et quod ad tertiam hanc quæstionem: *Cur brevis illa fidei formula Symbolum est vocatum?* Respondent: HANC *Christianæ fidei & spei professionẽ à se compositam, Apostoli Symbolum appellarunt, sive quia ex variis sententiis, quas singuli in commune contulerunt, conflata est, sive quia eâ velut notâ & tesserâ quâdam uterentur, quâ desertos & subintroductos falsos fratres, qui Euangelium adulterabant* (id est, hæreticos) *ab iis qui verè Christi militiæ sacramento se obligarent, facilè possent internoscere.* Marc. 16. Math. 28. 1. Cor. 3.

Jam consentire Symbolo isti Apostolico Nicenum primum & Damasianum, ipsissimet horum Symbolorum verbis, quæ in Ecclesiastica historia Ruffini, lib. 1. cap. 5. & apud Socratem lib. 1. cap. 5. ac tomo 4. operum sancti Hieronymi fol. 97. extant, comprobatur. Hæcque tria Symbola propter summum cum Scriptura sacra & reliquis Symbolis, ut Athanasiano contra Arianos, & Constantinopolitano contra

tra

tra Macedonium & Eudoxium edito, ac Hieronymiano tomo 4. eodem folio, Ephesino 1. adversus Nestorium perscripto consensum, & unanimem atque perpetuam Ecclesiæ Catholicæ & orthodoxæ approbationem, summam semper post scripta Prophetica & Apostolica apud omnes veros Christianos & indubitatam meritò authoritatem habuerunt. Suntque omnibus piis & cordatis Norma, Lapis Lydius, Cynosura, & Theseum filum examinandi videlicet & probandi religioné veram, fidemque non fictam: dirigendi iter ad optatum hujus vitæ portum: extricandi denique nosipsos ex omniũ mente corruptorum hominum ac tetrarum hæresum fraudulentis & exitiosis labyrinthis.

Verùm annón, si verum eorum sensum ac genuinam mentem spectes, Pontificii illas hæreses ac falsas veterũ hæreticorum opiniones suâ doctrinâ & religione effingendo, referendo, imitando, sequendoque, evidenter cõtra tria illa gravissima, sanctissima, certissima, probatissimaque symbola docent, loquuntur, agunt, credunt, vivũt, denique moriuntur? Aut quænam hucusque commemorata Pontificiorum doctrina, sententia, opinio, ac fides non veterum illorum hęreticorum doctrinæ atque opinioni quàm simillima est? Quænam symbolis illis tribus non repugnat? Recitant quidem, profitentur, prædicant, explicant, jactantq; Pontificii assiduè nõ minùs ac orthodoxi & Euangelici sive reformatarum Ecclesiarum sectatores ipsissima trium istorum symbolorum verba, ac subinde summo studio, curaque & diligentiâ attentissimâ antecedens (ut in scholis loquuntur) quod in symbolis ponitur, liberè concedunt. Consequẽs verò mox audacter vel negant, vel quod cum eo ex diametro dimicat, suâ sophisticâ asserunt & defendunt, verborum præstigiis & phaleris sive mangoniis aliena à nativa ipsorum Symbolorum sententia affingunt, sicque professione & voce sive ore sincerum illorum studium ac fidem incorruptam simulant, reipsa autem & factis tum in doctrina & religione, tum in vita ac morte ea abnegant & deserunt: ut per viginti superiora capita luculenter & abundè est declaratum ac comprobatum.

Cæterùm ut res magis patefiat, recitemus ipsa illa tria symbola de verbo ad verbum, eaqne cum supra indicatis Pontificiorum opinionibus, & doctrinis vel sententiis eorum aliis anacephalæosin & compendium conferamus. *Ανακεφαλαίωσις. Comparatio symbolorum veterum & opinionum Pontificiarum.*

I.

Symbolum Apostolorum.

1. *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terra.* *1. Symbolorum orthodoxorum commemoratio.*

2. *Et in Jesum Christum, filium ejus unigenitum, Dominum nostrum.*

3. *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.*

4. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad inferna.*

5. *Tertia die resurrexit à mortuis.*

6. *Ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei patris omnipotentis.*

7. *Inde venturus est judicare vivos & mortuos.*

8. *Credo in Spiritum sanctum.*

9. *Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem.*

10. Re-

10. *Remissionem peccatorum.*
11. *Carnis resurrectionem.*
12. *Et vitam æternam, Amen.*

II.

Symbolum Concilii Niceni contra Arium, Filii Deitatem negantem, editum Anno Domini 324. Ruffin. histor. Ecclesiast. lib. 1 cap. 5 Socrat. lib. 1. cap. 5. &c. sub Constantino Magno præsentibus 318. Patribus.

CRedimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei, de Patre natum unigenitum, id est, de substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non factum, consubstantialem, ὁμούσιον Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlis & quæ in terra. Qui propter nos & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, homo factus, passus est, & resurrexit tertia die, & ascendit in cœlos, inde venturus judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum sanctum, &c. Eos autem, qui dicunt: Erat aliquando, quando non erat, & antequam nasceretur, non erat; & quia ex nullis substantiis factus est, vel ex alia subsistentia vel substantia, dicunt esse τρεπτόν, aut convertibilem vel mutabilem Filium Dei, anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.

III.

Symbolum B. Damasi Romani Episcopi, tomo 4. Operum S. Hieronymi fol. 97. circa Annum Domini 376. relatum.

CRedimus in unum Deum Patrem omnipotentem: & in unum Dominum nostrum Jesum Christum Dei Filium: & in Spiritum sanctum Deum, non tres Deos: sed Patrem, Filium & Spiritum sanctum, unum Deum colimus & confitemur: non sic unum Deum, quasi solitarium, nec eundem, qui sibi ipsi Pater sit, ipse & Filius: sed Patrem esse, qui genuit: & Filium esse qui genitus sit: Spiritum verò sanctum, non genitum neque ingenitum: non creatum, neque factum: sed de Patre Filióque procedentem: Patri & Filio coæternum, & coæqualem, & cooperatorem. Quia Scriptum est: Verbo Domini cœli firmati sunt, id est, à Filio Dei, & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum. Et alibi: Emitte Spiritum tuum & creabuntur: & renovabis faciem terræ. Ideóque in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti unum confitemur Deum: quod nomen est potestatis, non proprietatis. Proprium nomen est Patri, Pater: & proprium nomen est Filio, Filius: & proprium nomen est Spiritui sancto, Spiritus sanctus. In hac Trinitate unum Deum colimus: quia ex uno Patre quod est, unius cum Patre naturæ est unius substantiæ, & unius potestatis. Pater Filium genuit, non voluntate, nec necessitate, sed naturâ.

Psal. 33.
Psal. 104.

Filius ultimo tempore ad nos servandos & ad implendas Scripturas, descendit à Patre: qui nunquam desiit esse cum Patre. Et conceptus est de Spiritu sancto, & natus ex virgine: carnem, & animam, & sensum, hoc est, perfectum suscepit hominem: nec amisit, quod erat: sed cœpit esse, quod non erat: ita tamen, ut perfectus in suis sit, & verus in nostris. Nam, qui Deus erat, homo natus est; & qui homo natus est, operatur ut Deus: & qui operatur ut Deus, ut homo moritur: & qui ut homo moritur, ut Deus resurgit. Qui devicto mortis imperio, cum ea carne, quâ natus, & passus

Passus, & mortuus fuerat, & resurrexit, & ascendit ad Patrem, sedetq; ad dexteram ejus in gloria, quam semper habuit & habet. In hujus morte & sanguine credimus emundatos nos: & ab eo resuscitandos die novissimo, in hac carne, quâ nunc vivimus. Et habemus spem, nos consequuturos præmium boni meriti, aut pœnam pro peccatis æterni supplicii. Hæc lege, hæc crede hæc retine, huic fidei animam tuam subjuga, & vitam consequeris & præmium à Christo.

Eadem docuit & credidit cum Damaso B. Petrus Episcopus Alexandrinus, referente tripartita historia lib. 7. cap. 37. & lib. 8. cap. 14.

Doctrina Pontificia summa symbolis orthodoxis opposita.

His igitur fidei verè Chistianæ & Catholicæ, tot Martyrum sanguine tinctæ ac confirmatæ, Symbolis cognitis, dic jam ô Papista quisquis es, quid quæso, simile & commune habeant cum illis omnia ista dogmata, omnésque istæ sententiæ atque opiniones vestrorum Pontificiorum, quæ inde à capite 2. hujus libri usque ad præsens 22. ex propriis vestris Sermonibus, Catechesibus, Decretis, Scriptisque omnis generis commemorata sunt? Sentiunt enim, tradunt, docent, credunt, cantant, profitenturque Pontificii hodie: *Scripturam sacram in se quidem authenticam & canonicam esse, quoad nos verò non talem agnosci virtute, luce & authoritate Scripturæ divinitus indita, ac Spiritus sancti operatione, sed unâ & sola Ecclesiæ interpretatione, dijudicatione, decisione, voce, testimonio ac mãdato, eádemq; in reb. ad fidẽ, mores & salut ẽ nostram pertinentibus esse dubiam, obscuram, atque imperfectam, neque à plebeis & laicis legendam & evolvendam: S. Mariam Filii Dei matrem Filio imperare, ac ideo superiorẽ esse, & nõ modò in S. Trinitatis, sed etiã B. Mariæ nomine homines baptizari debere: Empyræum fuisse Deo coæternum sicq; duo rerum principia, illud nempe & istum: Non esse veram Ecclesiæ notam, verbi divini puram annuntiationem, & Ecclesiam esse localem, nempe in successione Romanorum Episcoporum, ac regno Pontificio, adeóque urbe Roma sitam: Angelos & Sanctos jam defunctos esse invocandos, ac intercessores nostros constituẽdos: Imagines Dei & sanctorum esse in templis collocandas & adorandas, idemq; cruci picta vel sculpta sive fusa præstandum: Legem divinam concupiscentiam non facere peccatũ in renatis, non docere Deum intensivè supra omnia amandum, & pro inimico in specie orandum, huncq; amicè salutandum, ac in ignorantia intensivè dirigendum sive instituendum, festa deniq; nulla in septimana præter Sabbathum habenda: Adamum moriturum fuisse licet non peccasset: Liberum arbitrium in homine ad bonum superesse: concupiscentiam in parvulis non esse peccatum, hósque originali quidem peccato carere, at pœna non, nec remanere in baptizatis peccatum originis: Sanctam Mariam sine peccato originali conceptam: Concupiscentiam in anima esse solam peccatum originis: hoc non esse peccatum propriè, & ejus reatum quidem baptismo tolli, essentiam verò minus: Homines prædestinari ob bona opera, & borũ meritis gratiam ac vitam æternam impetrari: Præstantibus, quod in se est, non deesse gratiam. Voluntatem ex suis naturalibus disponere se ad gratiam: Fœminis baptismum esse permittendum: Lingua latina & ignota in baptismo & aliis sacris utendum: illumq; in solis peccatis ipsum præcedentibus valere: In Eucharistia Christum esse duplicem, alium in cœlo, alium in Sacramento ac pane: sub unâ tantùm specie panis esse laicis Eucharistia cõmunicandum: vinum in sanguinem, in corpus*

pus Christi panem transsubstantiari: chrisma & oleum ad dona Spiritus sancti & salutem sive remissionem peccatorum impetrandum in confirmatione atque extrema unctione adhibendum: paupertatis & cælibatus votū esse perfectionis statum, huncq; nuptiis præferendum: Conjugium esse pollutum: Cum discrimine & delectu dierum atque ciborum esse jejunandum, & ab hoc meritum salutis dependere: Animas beatorum in limbo versari, purgatorii igne lustrari: Pro mortuis precandum & sacrificandum: Reliquiis sanctorum venerationem religiosam deberi: Flagellationes & verberationes proprii corporis, cum peregrinationibus religionis ergò absque calceis, ad salutem pollere: Luminibus die noctuq; in fanis utendum: Hominis materiam non esse terram, nec cinerem sive pulverem: Aquam lustralem diabolum & spectra fugare salutemq; animæ tribuere: denique terrā post ultimum judicium renovatam iis, qui nec cælo, nec inferno digni sunt, inhabitandam concessum iri. Hæc omnia, inquam, sentiunt, tradunt, docent, concionantur, scribunt, cantillant, profitenturque privatim ac publicè Pontificii hodierni, tantique sunt apud eos momenti ac pretii, ut absque illis religio Romana non posset subsistere. Imò à postremo & ipsorum opinione œcumenico atq; universali Concilio Tridentino execrationi & anathemati subjiciuntur, quicunque unum aliquod istorum omniū sive plerorūq; negat. Et nihilominùs tamen (quod bene expendi debet) symbolum Apostolicum, quod cōtinet omnia in se religionis dogmata, necessariò ad salutem credenda, ac ideò *clavis & regula fidei* dicitur, non habet in se ullam istarum Romanæ Ecclesiæ opinionem & doctrinam, ut nec ullæ sanctorum Patrum expositiones super hoc symbolum, nec etiam ulla alia fidei confessio aut symbolum à Cōcilio aliquo vel Ecclesiâ quâpiam per multa à Christo secula editum. Atque hæc ratio manifestum facit unicuique, qui absque affectu judicat, dictas antea Pontificiorum opiniones & dogmata recentes & humanos esse fidei articulos, & tales ut eos Spiritus sanctus non dictarit, Ecclesia Apostolica nescierit, & quos nec Patres, nec ulla Concilia in ullo veteris vel novi Testamenti libro invenerint. Quare in Papistas quadrat, quod olim de hæreticis scriptum reliquit Tertullianus de præscriptione hæreticorum: *Credunt sine Scripturis, ut credant adversus Scripturas.*

Respondent Papistæ: Omnia hæc sua dogmata comprehendi & credi sub articulo nono, *Credo Ecclesiam Catholicam.* Hujus enim sensum esse illum. Credo omnia illa, quæ Ecclesia credit, ac docet esse credenda. Hinc in Catechismo parvo (uti diximus) fidem Catholicam definientes, vel exponentes, priore saniore ejus definitione mutata addunt: *Est scilicet etiam hac fides Catholica Christi fidem atque authoritatem integram profiteri, illudq; ratum ac fixum tenere, quod Ecclesia Catholica pastores atque doctores credendum definierunt.* Quasi verò Christus Joh. 10. 27. dixerit: Oves meæ non solùm vocem meam audiūt, sed etiam pariter eodem affectu pastorum & doctorum Ecclesiæ vocem audiunt, ac sequuntur, licet diversa & repugnans meæ voci sit. Ac non potius dixerit: *Oves meæ vocem* MEAM *audiūt, & ego cognosco eas, & sequuntur* ME. Sic clarè innuens, non esse ultra & præter *Exceptio Papistarū.*

suam doctrinam vel Catholicæ Ecclesiæ pastorum & doctorum doctrinam audiendam & credendam, nisi suæ, id est, Christi doctrinæ sive voci consentiat. Ista autem Romanæ Ecclesiæ dogmata, num consentiunt voci Christi? Annón plurimum potiùs ab ea dissentiunt, longissimeque recedunt? Nam in singulis illis Pontificiorum dogmatibus atque opinionibus recensendis indicatum est, & comprobatum, eas à Christi, sanctorum Prophetarum, Euangelistarum, Apostolorumque doctrina esse prorsus alienas, & partim ex Judaismo & Pharisæismo, partim ex Ethnicismo, partim denique ex Hæreticismo veteri petitas atque perceptas. Adhæc si ita se haberet, ut etiam quæcunque Ecclesiæ pastores & doctores credenda tradunt, statim credi oporteret, tum necessariò sequeretur, nos credere in Ecclesiam propter ejus expositionem & certificationem doctrinæ necessariæ ad salutem: atque ita veritas Dei creatoris æterna à determinatione creaturæ dependebit: Verbum deniq; Dei scriptum non esset sufficiens, ut quod non omnia fidei capita, salutem nostram concernentia, clarè revelasset & exposuisset. Quid quod hac ratione Ecclesia primitiva negligens admodū & minùs accurrata in tradendis fidei articulis fuisset, quum præmissa Pontificiorum dogmata suis auditoribus non exposuerit, sed ea postremis mundi seculis reliquerit. Sed utrum horum dicatur, absurdum, inconveniens, impium, & tam in Deum, quàm primitivam Ecclesiam contumeliosum atque injuriosum est.

CAP. II.

Plenior expositio, quomodo Romana religio pugnat cum rudimentis Catholicæ fidei, ac ideò hæretica sit.

Ut autem hoc ampliùs & rectiùs intelligatur, quum ipsi Romanæ Ecclesiæ Doctores, Jesuitæ, in parvo Catechismo dicant, *esse hæreticos, qui cōtra Catholicam fidem pertinaciter tuentur errores*, ipsosmet Jesuitas atque Pontificios hoc facere, ac proinde tales omnino esse: exponam per omnes fidei Apostolicæ & Catholicæ articulos, Papistas pugnare cum fundamentis ejus, sicque magnis & tetris erroribus in fide Catholica receptis, eos notam hæreseos effugere minimè posse.

Contra primum articulum, *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ*, peccant Pontificii Atheismo. Duo sunt hujus genera, unum est manifestus Atheismus, alter occultus. Manifestus Atheismus est, quando quis & verbis & reipsa Deum ejusque verbum negat. Occulto non ita apertè negatur Deus: sed tamen & ipse duos habet gradus. Prior est, quando quidem aliquis Deum, creatorem cœli & terræ esse credit ac profitetur: sed negat tamen hunc Deum esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Sic dicuntur Ephesii fuisse *sine Deo*, antequā Euāgelium percepissent, licet Deum esse naturali rationis judicio convicti faterentur. Nam quia Christum negabant, ideo non Deum, sed idolum à se confictum adorabant, quum Deum extra Christum adorarent. Eadem de caussa de Samaritanis quoque, quantumvis

Primum fidei Catholica articulum Pontificios Atheismo occulto negare.

Ephes. 2.

tumvis adorarent Deum Abrahami, pronunciat Christus Salvator noster, *quòd adorarint, quòd nesciebant.* Et psal
Joh. 4. 22.
mista de omnium gentium Diis ait, *quòd sint idola.* Atque hac Atheismi specie peccāt adhuc hodie Judæi, Turcæ, Antitrinitarii & Ariani, omnes deniq; qui alium sibi Deum imaginantur, aut adorant præter sanctam Trinitatem.

Alter verò gradus Atheismi occulti est, quum quis Deitatis unitatem in Trinitate agnoscit quidem & fatetur, sed tamen per consequentias quasdam necessarias, partim ex aliis doctrinæ & fidei suæ capitibus, partim verò etiam ex ratione colendi Deum deductas, evertit id, quod bene antea fassus fuerat. Atque hoc genere Atheismi laborat & delinquit Ecclesia Romana multipliciter: id quod sic assero & probo.

Atheismus Pontificius.

Nā 1. ipse Papa Papistis Deus est, palamq; ab illis Deus & dicitur & constituitur. Nam de eo ait Baldus: *Papa potestas libera est, & ab omnibus vinculis regulá que coërcendi absoluta.* Decius: *Qui contra jus, supra jus & extra jus omnia potest.* Ostiensis: *Cui omnia licent.* Felinus: *Quinimò ipse est* DEUS. Antoninus parte 3. *Posse facere omnia, quæ Deus facit: habere unum consistorium cum Deo.*

Decret. cap. violatores, can. 25. quæstione 1. statuitur, *ejus, qui in Dei legem peccet, esse facilè remissum peccatum: at in Papæ legem & decreta peccare, piaculum esse in æternum irremissibile.*

Nec veretur Andradius palàm & publicè profiteri: *Majori scelere involvi, qui Papæ, quā qui Dei leges perfregerit.* Nónne igitur Papa Pontificiis Deus est? imò Papa plus Deo? Papa superior, Deus inferior? Papa tenet primas, Deus secundas? Papæ Deus cum sua lege subjicitur? Sicque à Pontificiis, quod primo fidei articulo de Deo vero confitētur, evertitur ac negatur. Quomodo enim Deum unum omnipotentem credunt, qui idem Papæ adscribunt? Et qui Dei præceptis neglectis ac prætéritis, Papæ traditiones ac mandata somniis plena colit, veneratur atque observat?

2. Qui alios invocant præter Deum universi hujus conditorem, & quidem ardentiori voto reverentiaque majore, non colit ille unum verum Deum creatorem cœli & terræ, sed cultu & honore debito exuit. Papistæ præter unum verum Deum alios, & quidem majori voto ac veneratione. Nam BODINUS de methodo histor. cap. 5. scribit: Divus ANTONIUS à plerisque in in Italia & Gallia Narbonensi ardentiore voto, certè majore metu colitur, quàm Deus immortalis. Papistæ ergo non colunt illum unum Deum creatorem cœli & terræ, sed cultu & honore debito exuunt, quem in Symbolo Apostolico fatentur.

3. Dum asserunt Papistæ merita operum humanorum concurrere cum gratia Dei in nostri salvatione, negant & evertunt Dei gratiam. Rom. 11.

4. Verbis quidē fatētur agnoscere se & credere infinitā Dei justitiā & misericordiā: at per consequentias ex aliis ipsorum dogmatibus elicitas tollunt utramque. Quomodo enim infinita fuerit illa justitia, quæ potest aliqua ex parte placari humanis (ideoque finitis) satisfactionibus? Quomodo etiam infinita erit Dei misericordia, si necesse est nos nostris satisfactionibus supplere satisfactionem Christi?

In 2. fidei & 3. articulum ut peccent Papistæ.

Eodem modo peccant Pontificii in secundum & tertium fidei Catholicæ articulum, qui sunt: *Et* (credo) *in Jesum Christum Filium ejus unigenitum. Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.* Etenim 1. tam veros, quàm falsos Sanctos pro Christo substituunt colendos & adorãdos, ut divina etiam Christi munera atque opera eis tribuant. Ut enim Pharisæi & Judæi olim BENEFICIA & OPERA Christi quotquot præstitit, non grato animo admiserunt & agnoverunt, sed partim riserunt, blasphemârunt, aut contumeliosè traduxerũt, partim non Christi, sed alienæ virtuti accepta tulerunt: sic annon Christi unicam & sufficientem satisfactionem, redemptionem, capitis serpentini contritionem, protectionem, meritum, justificacionem, salvationem, præsidium, custodiam, defensionem, sanationem, conservationem, intercessionem, liberationem, auxilium & patrocinium in qualibet sive necessitate, sive egestate, & quacunq; fortunâ Pontificii ad Mariam ejus matrem, vel Angelos, ac aliquos Sanctorum transferunt? Et quotus quisque Sanctorum est, cui non eadem assignent? à quo non eadem petant, sperent & exspectent? à quo se non ea ipsa accipere atque impetrare confidant? Ac in hunc finem ad Jesum Christum solum ac sufficientem Mediatorem & Intercessorem adjiciunt complures alios, qui intercedant pro nobis, imò nobis auxilientur; tot inquam Sanctos, quot apotheosi quadam in Calendarium Papæ sunt relati. Exempla aliquot suprà aliis in capitib. recensuimus: hæc nunc paucis addo.

1. Christi divina munera sanctis ascribunt Papistæ.

In libro, qui inscribitur disciplina de Sanctis, dicitur serm. 43. *Sciendum, quòd omnes homines debent hodie honorare sanctã* ELISABETH *& invocare in omnibus necessitatibus & infirmitatibus.*

Rursus sermone 4. & 52. *Omnes homines debent sanctum Nicolaum devotè tanquã singularem patronum invocare. quia ipse potest hominibus subvenire multipliciter.*

Discipl. de Temp. serm. 161. *Sancti honorandi sunt & invocandi cũ magna fiducia, quia meruerunt hoc apud Deum, quòd possunt nobis subvenire in necessitatibus.*

Antidotarium animæ fol. 17. suppresso sanguine Christi, dicit *sanguinẽ Martyrum* PRO OMNIUM SALUTE *effusum.*

Antoninus Florentinus part. 3. tit. 3. dicit: *Divina beneficia descendere in nos* MEDIANTIBUS *Angelis & animabus beatis.* Idemque disputat, *sanctos esse* PORTAS CŒLI, *eò quòd per sua suffragia importent nos in eos*: Cõtra illud Christi Joh. 14. 6. *Ego sum via, & veritas & vita, nemo venit ad Patrem, nisi per me.*

Fortunatus Martinum simpliciter facit mediatorem inter nos & Deum, libro 7. in hujus vita scribens:

Dulcis, adorande, & mihi pectore, voce colende,
Per pietatis opem misero, miseri miserere.
Inter me & Dominum MEDIATOR *adesto benignè.*

Quò refer etiam Monachi *Francisci* χειρομίνειν, quem novum mundi Salvatorem constituunt, & cum Christo committunt, in eodem eum throno collocantes. Dicunt enim, Franciscũ totidem plagis ac stygmatibus, quot Christum in cruce pendentem, iis denique in locis, videlicet manibus, pedibus

Francisci χειρομίνειν.

bus & latere à Christo in ecstasi compunctum, *& stygmatibus illis servare posse à morte æterna viros qui à Francisci tempore usque ad finem mundi vixerint.* Addunt, *quòd Franciscus plus sit, quàm Johannes Baptista, melior Apostolis, in sede Luciferi collocatus, & JESU CHRISTO similis.* Liber Conformitatum Francisci, Bonaventura in flosculis sancti Francisci, Antoninus in historiali part. 3. titul. 23. & 24.

Similiter Christo æquatur ab Antonino Florentino & aliis, DOMINICUS Monachus, de quo scribit ille, *quòd magnam habeat similitudinem ad Christum, quod per eum faciliùs eatur ad Deum, quòd trina sua disciplina, qua usque ad sanguinis effusionem corpus quotidie afflixerit, satisfaciat pro omniũ culpis, unâ pro suis, alterâ pro in purgatorio existentium, tertiâ pro eorũ, qui in mundo versantur. Quòd* POTESTAS *in cælo & in terra, quam Christus sibi contigisse profitetur,* DOMINICO *etiam sit cõmunicata, potestas scilicet terrestrium, cælestium & inferorum: quòd post mortem in sellam collocatus à* JESU *& matre ejus per scalas candidissimas, Angelis comitantibus in cælum sit sublatus, &c.* part. 3, tit. 2. 3. historial.

Math. 28

2 *Papæ Christi tituli tribuũtur & officia.*

Secundò suo etiam Pontifici Romano tribuunt *omnia nomina*, quæ in Scripturis Christo tribuuntur, unde cõstet eum supra Ecclesiam esse. Qualia sunt *Pastor universalis, Paterfamiliàs in domo Dei, caput corporis Ecclesiæ, vir & sponsus Ecclesiæ*, &c. Bellarminus lib. 2. de Conciliis, cap. 17. Hinc GERSON *plus Papæ, quàm Christo ejusq. Euangelio credi*, seriò deplorat, parte 1. de exem. doct. consid. 2.

Deturbato enim Christo de suo officio, Papæ id tribuunt. Nam licet Christus solus sit Rex, Legislator & caput suæ Ecclesiæ: adjungunt tamen ei Romanenses Papam, non tantùm ut Vicarium, sed & ut socium aut officii consortem: *dum nimirum Papæ tribuunt potestatem condendi leges obligantes conscientiam: determinandi item & eruendi infallibiliter verum sensum sacræ Scripturæ, propriè condonandi peccata, tam quoad pœnam, quã quoad culpam: autoritatem præterea & imperium supra universum mundum, imò & partem inferni; adeò ut possit Reges & Principes thronis suis dejicere* (quibus tamen subtus Christo omnis anima subjecta est) *& absolvere subditos à juramento fidelitatis & obedientia, quo Dominis suis tenentur*, &c.

Tertiò, ut Pharisæi in Messia seu Christo, suo, quem expectabant, Salvatore, non nisi humanitatem credebant, Deitate exclusa, Math. 22. Marc. 12. Luc. 20. ita Papistæ in suo Salvatore & Mediatore Christo, humanitate sublimius aut amplius quicquam vel credunt vel statuunt, ad castra Stancari apertis signis transeuntes. *Divinitatem enim à Mediatione prorsus excludunt*, ut fusè est videre apud Bellarminum in libro, quem inscripsit Judicium de libro concordiæ, pag. 7. Petrus Hansonius in patefactione ingentis stultitiæ pag. 18. 19. Et rursum Bellarminus lib. 5. de Christo mediatore cap. 3 4. 5. 6. 7. Busæus in Thesibus contra Gerlachium, &c. Hinc:

3 *Divinitatẽ Christi à Papistis negari.*

Qui naturam divinam excludunt à mediatione, excludunt eam ab ipso quoq. Mediatore.

Papistæ excludunt naturam Christi divinam à mediatione.

Exceptio alia Papistarum.

Pontificii, utuntur hac distinctione. *Corpus Christi esse in multis locis totalitate essentia, sed non totalitate quantitatis. Secundùm hanc enim esse solummodò in uno loco.* Verùm, ut dixi, contradictoria simul vera constituunt. Nam ut omnes disciplinæ fatentur, quantitas ita est propria corpori omni, ut hoc absq; illa nullo modo esse possit.

5. Sacerdotes innumeri loco Christi cōstituuntur à Papistis.

Quintò, quum vox Christus denotet, Jesum ex Maria natum esse unicum nostrum Sacerdotem æternum, Pontificii hoc eo impugnãt & negant, quòd *pro Christo Jesu solo reali sacerdote novi Testamenti, substituunt infinitam turbam sacerdotum, qui quotidie Christum offerunt* (ut videri volunt) *in Missa pro peccatis vivorũ & mortuorum.* Hinc Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 6. & 25. ac Pistorius de sacrificio Missæ cap. 10. pag. 432. 433. & 434. ait: *Etsi nomen sacerdotis nuspiam in Scriptura novi Testamenti ministris Euangelii tribuatur* (ut & Bellarminum fatentẽ habemus lib. 3. de Romano Pontifice cap. 13.) *quia Christus solus sit Pontifex & Sacerdos novi Testamenti: nihil tamen istud officere sacerdotibus in Ecclesia Romana. Utrumque enim esse verum: Et Christum esse sacerdotem novi Testamenti, & ipsius oblationem esse unicam, & semel factam, & perficere sanctificatos. Et nihilominus tamen ministros Ecclesiæ in his terra esse sacerdotes, & sacrificium Missæ esse verum sacerdotum.* Volunt autẽ hoc dicere: Christus est unicus sacerdos novi Testamenti, nempe *primarius*: Sacrifici sunt secundarii (Unterpriester) Christi sacrificium est unicum, nempe *cruentum*: sacrificium autem Missæ est *incruentum.*

Unde verò probant? Instituunt collationẽ hoc modo: Christus unicus est magister & doctor: Et tamen in Ecclesia multi sunt doctores. Nimirũ Christus est Dominus, cæteri sunt ministri. Ita Christus unicus est summus Pontifex, cæteri sunt sacerdotes ei ministrãtes, per quod ipse Christus præsens invisibiliter omnia operatur. Respondemus: Elenchus est partium. Nam in sacerdotio & sacrificio Christi, quemadmodum illud accuratè descriptum est ad Hebræos cap. 5. 6. 7. & seqq. nihil quicquam reperitur, quod possit ulli homini competere. Tale enim est illud sacerdotiũ & sacrificium, ut inclusam habeat plenissimam satisfactionem pro peccatis totius generis humani, ex qua cætera promanant omnia, quæ de eo dicuntur. Jam ex universa Adami posteritate nemo est, qui præstare possit eam satisfactionem: quia laus solius Christi propria est. Unde nulli hominum præter illum, nomen istud attribui potest. Nec potest ea distinctio stare cum his verbis Apostoli Heb. 7. 27. *Qui non habet necessitatem quotidie offerendi.* Hoc enim *facit, semel seipsum offerendo,* cap. 9. 12. Et *per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Et ad Hebræos 7. 23. & seqq. opponitur multitudini sacerdotum Leviticorum in Testemento veteri unicus sacerdos novi Testamenti. Unde consequeretur, hoc non rectè fieri, si æquè plures in novo ac in veteri Testamento sacerdotes esse deberent. At fit hoc præcipuè ob eam caussam, quòd rationes illius unitatis ibi positæ tam non possunt ferre pluralitatem sacerdotum novi Testamenti, quàm nec pluralitas illa in veteri Testamento perfectionem assequi potuit. Denique

Mm quemad-

quemadmodum in Scripturis, ubi partes sive officia ministerii Euangelici describuntur, nulla usquam mentio sacrificii Missatici extat: sic nec in ordine distinctorum ministrorum Ecclesiæ Christianæ uspiam Missifices seu sacerdotes recitãtur, 1. Cor. 12 & ad Ephes. 4.

Contra 4. & 5. fidei articulum ut Papistæ peccant. *Rom. 6. 25. 1. Cor. 15. 2.*

Contra quartum & quinũ Catholicæ fidei articulum, *Qui passus est sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad infernum: Tertia die resurrexit à mortuis.* Papistæ multis quidem modis delinquũt, sed omnium gravissimè eo, quòd meritis passionis ac mortis Christi, ut sunt peccatorum remissio & satisfactio, justificatio sive justitiæ Christi imputatio, salus deniq; & vita æterna, assuunt merita humana, in quibus proram & puppim salutis ponunt. Exempli gratiâ; Discipl. de temp. serm. 25. & 105. scribitur, *Cum rebus temporalibus quinque modis possumus mereri vitam æternam; cum corpore tribus modis; cum anima tribus modis.*

„ Gabriel Biel in lib. 2. de sentent. di-
„ stinct. 19. *Meritum,* inquit, *Christi nun-*
„ *quam est sola & totalis caussa meritoria gra-*
„ *tiæ, regni cœlorum & gloriæ, sed semper con-*
„ *currit aliqua operatio, tanquam meritum de*
„ *condigno vel congruo.*

Censura Coloniensis fol. 175. *Vita,* ait, *æterna & merces est & retributio operum nostrorum.*

Thesaurus Ecclesiæ.

Adinvenerunt præterea thesaurum Ecclesiæ, qui contineat præter merita Christi etiã supererogationes operum ac meritorum, quæ hominibus arbitrio Papæ dividantur ac dispensentur.

Qua in re mira arte uti solent, ne nimium crassè hîc hallucinari videantur, nec peritos Scripturarũ & meriti Christi gnaros offendant. Solenniter enim protestantur, se piè credere Christi perpetì perfectissimam satisfactionem, eumq; nobis omnia ad salutem necessaria acquisivisse & promeruisse. Accusant nos quoque calumniæ, quòd contrariam sententiam Pontificiis tribuamus. Verùm, quinam sunt, quæso, ii, qui Christum satisfecisse tantùm dicũt pro peccato originali, sive pro ante susceptum Baptismum admissis? Qui sentiũt tantùm satisfecisse eum pro culpa, non etiam pro pœna? Qui docent, pro peccatis actualibus homines ipsos posse & debere satisfacere? Qui præscribunt certos, eosq; penè infinitos modos satisfactionum? Qui commendant indulgentias Papales? Qui fingunt multa peccata expiari per aquam lustralem & ignem purgatorium, hujusque pœnis? Qui assignant bonis operibus virtutem promerendi æternam salutem? Quinam operum supererogationem jactant, & se horum meritis exuberare dicũt? Ut jam taceam illos, qui etiã sine Christo, & absq; ejus passione ac morte, sola observatione legis naturæ, multos finxerũt salvatos esse & salvari. Annon isti sunt Põtificii? Annon Scholastici horũ Doctores? Annon Monach. Sacrifici & Jesuitæ? Etsi igitur antecedens Pontificium sit verum, Christum pro omnibus peccatis plenissimè satisfecisse, & vitam æternam promeruisse: tamen consequens hoc tam multiplex & varium idipsum evertit, ac falsum est. Maneat que perpetuò hoc axioma: *Quicquid operibus ab hominibus quoquo modo factis tribuitur, illud Christo in solidum non debetur.*

In sexto & septimo fidei articulo fatemur,

Contra 6. & 7. fidei articulum Papistas peccare.

temur, *Christum ascendisse in cœlum, ibiq; sedere ad dexteram Patris sui, ac inde demum venturum judicare vivos & mortuos*: idque quantum ad suam humanitatem. Unde concluditur: Corpus Christi non esse realiter & localiter in Sacramento, & in unaquaque hostia, quam Sacrificus consecrat. Et sanè valebat hoc argumentum, quum sic Vigilius contra Eutychen pronunciaret: *Quando in terra fuit* (de carne Christi loquitur) *non erat utiq; in cœlo: & nunc, quia in cœlo est, non est utiq; in terra: & in tantum non est, ut secundùm ipsam Christum exspectemus venturum de cœlo.* Additque, *hanc esse fidem Catholicam, quam Apostoli tradiderunt, Martyres corroboraverunt, & fideles hucusque custodiunt.* Valebat etiam hoc argumentum, quum Fulgentius sic loqueretur: *Idem atque inseparabilis Christus secundùm totum hominem quem accepit, terram localiter deserens ascendit in cœlum, & in dextris Dei sedet: inde secundùm totum hominem venturus ad judicandum vivos & mortuos.*

Lib. 4.

Lib. 3 ad Trasimundum cap. 8.

Contrà autem Catechismus Romanus: *Ordinis Sacramento*, inquit, *tribuitur Sacerdoti plena & perfecta potestas, quâ Domini nostri Jesu Christi corpus & sanguinem unus conficere possit*, pag. 542. Et de ipso Sacramento parte 2. ad quæst. 22. audet dicere: *Tria sunt maximè admiranda atq; suspicienda, quæ in hoc Sacramēto verbis consecrationis efficit fides Catholica sine ulla dubitatione credit & confitetur. Primum est, verum Christi Domini corpus, illud idem quod natum ex virgine, in cœlis sedet ad dexteram Patris, hoc Sacramento contineri. Alterum est, nullam in eo elementorum substantiam remanere, quamvis nihil à sensibus magis alienum & remotum videri possit. Tertium est, quod ex utroq; facilè colligitur, etsi verba consecrationis id maximè exprimunt, accidentia, quæ aut oculis cernūtur, aut aliis sensibus percipiuntur, sine ulla re subjecta esse, mirâ quadam atq; inexplicabili ratione. Ac panis quidem & vini accidentia omnia licet videre: quæ tamen nulli substantiæ inhærent, sed per ipsa constant, quum panis & vini substantia in ipsum Domini corpus & sanguinē ita mutetur, ut panis & vini substantia omnino esse desinat.* Et paulòpost ad quæst. 27. *Hoc loco*, ait, *etiam explicandum est, non solùm verum Christi corpus, & quicquid ad veram corporis rationem pertinet, veluti ossa & nervos, sed etiam* TOTUM *Christum in hoc Sacramento contineri. Docere autem oportet, Christum non esse Dei & hominis, unius scilicet personæ, in quo divina & humana natura conjuncta sit: quare utramque substantiam, & quæ utriusq; substantiæ consequentia sunt, divinitatem & totam humanam naturam, quæ ex anima & omnibus corporis partibus & sanguine etiam constat, complectitur: quæ omnia in Sacramento esse credendū est. Nam quum in cœlo tota humanitas divinitati in una persona & hypostasi conjuncta sit: nefas est suspicari, corpus, quod in Sacramento inest, ab eadem divinitate sejunctum esse.* Hæc in Catechismo Romano.

At num hic sexti & septimi articuli fidei Catholicæ & Apostolicæ sensus est? Num non longè aliter D. Vigilius explicat? Utque magis hunc Ecclesiæ Doctorem rectè, Papistas autem perperam illos articulos interpretari constet, sanctus quoq; Augustinus sic scribit tract. 50. in Johan. *Secundùm majestatem suam, secundùm providētiam, secundùm ineffabilem & invisibilem gratiam impletur, quod ab eo* (Christo) *dictum est: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Secundùm carnem verò, quam Verbum assumpsit*

Math. 28.

ſumpſit, ſecundùm id, quod de virgine natus eſt, ſecundùm id, quod à Judah prehenſus eſt, quod ligno confixus, quod de cruce depoſitus, quod linteis involutus, quod in ſepulchro conditus, quod in reſurrectione manifeſtatus, non ſemper habebitis vobiſcum. Quare? Quoniam converſatus eſt ſecundùm corporis præſentiam quadraginta diebus cum diſcipulis ſuis, & eis deducentibus videndo non ſequendo, ASCENDIT IN CŒLUM, & NON EST HIC. IBI enim SEDET ad dexteram Patris: & HIC EST: non enim receſſit PRÆSENTIA MAJESTATIS. Exceptiones & rationes adverſas Pontificiorum lege apud Sadeelem de veritate humanæ naturæ Chriſti & utraque manducatione: Rodolph. Hoſpinianum de origine erroris in Euchariſtia: Pezellum in Catechiſmorum Jeſuiticorum refutatione à pag. 320. uſque ad 451.

In 8. fidei articulum ut peccent Papiſtæ. Act. 7.

Octavum Symboli Apoſtolici articulum, *Credo in Spiritum ſanctum*, depravant Pontificii eo maximè facinore, quòd ut Phariſæi ſemper obluctati fuêre Spiritui ſancto: ſic Pontificii idem facere non verentur. Etſi enim Spiritum ſanctum multùm in ore habeant, quod & Montaniſtis ac Gnoſticis fuit familiare, hodie Anabaptiſtis in uſu eſt: tamen revera Spiritum ſanctum, quantum in ipſis eſt, diris & furiis, ſtylo & calamo impugnant, tum quando miniſterium purè Euāgelicum, cujus ipſe πρωτηπίσκοπος, præſes & antiſtes eſt, dirum in modum perſequūtur, miniſtros nullo non afflictionum genere fatigāt, proſcribunt, expellunt, damnant, excommunicant: tum quando teſtimonium Spiritus ſancti, quod perhibet in cordibus fidelium ſcurriliter elevāt &

1 Reſiſtendo voci Spiritus ſancti in Scripturis loquenti.

eludunt, Scripturamque θεόπνευστον & à Spiritu ſancto inſpiratam nō modo virulentâ linguâ traducunt, etiam pleroſque hominum ordines ab ejus diligenti lectione & meditatione edictis ac minis deterrentes, verumetiam abſurdis, inſulſis & adulterinis interpretationibus corrumpunt ac polluunt.

Nam quicunq; Spiritus ſancti doctrinam dedignantur, ipſum dedignantur Spiritum ſanctum.

At Papiſtæ dedignantur doctrinam Spiritus ſancti.

Ipſum ergo Spiritum ſanctum dedignantur.

Nulla enim eſt alia Spiritus ſancti doctrina, niſi ea, quam Prophetæ, Euangeliſtæ & Apoſtoli, ut Amanuēſes Spiritus ſancti literis & characteribus ex mandato Domini conſignatam reliquerunt, quæ per fidelem Eccleſiæ aſſervationem, minimeque interruptam ſucceſſionis ſeriem ad noſtra ſecula devenit. Adverſus ἔγγραφον hanc Spiritus ſancti doctrinam per infandum ſcelus audaciſſimè fulminant, & furiunt, ut puram & nudam ſecundùm inſitam ſibi ſententiam ac mentem explicari omnino nolint, nec totam, ſed mancam proponant, ſolliciteque in hoc incumbant, ne Scripturæ ſacræ in vernaculas cujusque gentis linguas transfundantur, atque in iis imprimantur & legantur. Sanè libros flammâ & pyrâ dignos, cujuſmodi eſt liber Veneriis excuſus, in quo Sodomia commendatur, vernaculâ linguâ Italicâ conſcribi, verti & apud Italos legi Patres illi ſancti, ſcilicet, tolerant, curant & probant: at ſacra Biblia linguâ Italis aliiſq; populis patriâ excudi, circumferri, publicari ac per-

volvi

2.Theſſ.4. volvi ingens ipſis eſt piaculum. Ubi verò Spiritus ſancti doctrinæ ita nuncium remisêre, aut repagulum objecêre Papiſtæ: ſuas aut ſpiritus maligni doctrinas, traditiones, fabulas Legendarum, Gloſſas perverſas, Decreta, Decretalia & Extravagantes Pontificum, famoſos & maledicos in reformatarum Eccleſiarum doctrinam libellos, regulas Lojolanas, ſomnia Monachalia, figmentaq; Sacerdotũ ſuorum ſubſtituunt, & ſupponunt, quæ tutò & impunè imprimi, ac diſtrahi avidè emi, ſedulò legi, diligenter perluſtrari, fideliter cuſtodiri, & accuratè obſervari poſtulant, ac mandant: quin majori reverentia ac devotione, quàm edicta Spiritus ſancti excipi & tractari ſinunt & volunt. Ulterius argumentor:

Qui literas alicujus averſatur & calumniatur, ne is hominem ipſum, cujus ſunt literæ parum honorat, ſed inimicè potius eum inſectatur.

Papiſtæ literas Spiritus ſancti averſantur & calumniantur.

Ergo etiam ipſum Spiritum ſanctum parum honorant, ſed hoſtiliter potiùs inſectantur.

Major eſt manifeſtior, quàm ut in ea probanda multum ſtudii ſit impendendum. Poſitam enim Regis vel Imperatoris ſtatuam, qui temerè conſpurcat & contaminat, vel deturbat, crimẽ admittit læſæ Majeſtatis & ſupplicium grave incurrit, ut vix mitiùs tractetur, quàm ſi Regem vel Imperatorẽ ipſum conſpurcâſſet, aut indignè tractâſſet. Theodoſius optimus alioquin & pientiſſimus Princeps, quum Antiocheni imaginem uxoris ejus dejeciſſent, ita iraſcitur, ut parum abeſſet, quin totam Antiochiam everteret, Theodoreto libro 5. cap. 19. hiſtor. teſte. Et exſtant duæ orationes Chryſoſtomi, ſecunda & tertia ad populum Antiochenum, quibus ſcelus illud in Theodoſium admiſſum deplorat. Quum igitur is, qui hominis in eminentia conſtituti ſtatuã καὶ μορφὴν ſurdam & mutam, ſculptam & fictam ſeu pictam ignominiâ afficit, in tale periculum ac ſupplicium incidat: conſequens eſt, Papiſtas diviniſſimam, tremendam & venerandam Spiritus ſancti ſtatuam, quam in Eccleſia Dei collocavit, quæve myſteria voluntatis ac ſapientiæ divinæ nobis eloquitur & explicat, Scripturam nimirum ſanctam & αὐθεντικὴν ac θεόπνευστον (2. Pet. 1. 2. Timoth. 3.) averſantes ac convitiis fœdantes, ipſum Spiritum ſanctum ignominiâ afficere, & ſe pœnâ ideo digniſſimos reddere,

Minoris probationem, qui deſiderat, ipſorum & noſtrorum libros inſpiciat, ubi convitiorum, ſcommatum, calumniarum, injuriarumq; in ſacram Scripturam tota plauſtra à Papiſtis convehi agnoſcet. Calumniantur enim eã eſſe literam mortuam, occidentem, judicem ſurdum & mutum, atramentum ſutorium, Sphyngis ænigmata, folia Sibyllæ, nullum habere certum intellectum & ſenſum, materiam contentionum & controverſiarum in religione, officinam hæreticorum, inſtar naſi cerei, gladii Delphici, vaginæ vacuæ, dubiam, perplexam, obſcurã, ambiguam, imperfectam, Eccleſiæ Romanæ traditionibus, Paparum aſſumentis, Epiſcoporum & Conciliorum placitis ſarciẽdam, nõ authenticam niſi Eccleſiæ authoritate, non credendam, niſi ex Ponti- *Sentina calumniarum adverſus Scripturam ſacram.*

tiuis approbatione, valere tantum, quantum valent fabulæ Æsopi, variare pro varietate temporum, nihil noxæ inferri Ecclesię, quantumvis Scripturæ aboleantur. Lindanus de opt. Script. interpr. genere fol. 9. Cost. in Enchiridio tit. de Script. Censura Colon. folio 112 Papistæ in colloquio Wormatiensi. Theod. Peltan. in disp. de numero lib. Sacram. Pighius lib. 1. de hierarchia Ecclesiastica. Henricus Blyssem in defens. assertionum de Ecclesia fol. 35. Petrus à Soto in schol. de Euangel. Gregorius de Valentia in anal. lib. 5. cap. 2. Nicol. Cusan. in epist. ad Bohem. Osius lib. 3. de author. Scrip. & passim. Bellarminus ac Stapletonus.

2. Ab officio operandi bonum S. Spiritum Papistæ removent.

Deinde officio operandi bonum in homine Spiritum sanctum Papistæ deturbant, & ad creaturam id transmovent. Nam Zacharias Pontifex sanctũ Petrum bonorum operum facit authorem, dum inquit in epistola ad Bonifacium: *Beatus Apostolorum princeps, cooperetur tibi in omnibus, quæ parare desideras.*

Censura Coloniens. fol. 31.

Et quanquam Papistæ hoc disertè exprimunt: *Sanctissimè dicitur, absque divino auxilio nihil nos, quod bonum sit, operari posse*, sicq; se videri volunt cum Augustino 3 Hypognosticῶν, & cum Maxentio libro de fide cap. 32. sentire; *Liberum naturale arbitrium ad nihil aliud valere, nisi ad discernenda & desideranda carnalia, sive secularia, quæ non apud Deum, sed apud homines possint fortassis gloriosa videri, ad ea verò quæ ad vitam æternam pertinent, nec cogitare, nec velle, nec desiderare, nec perficere posse, nisi per infusionem & inoperationem intrinsecus Spiritus sancti*: tamen vendicant sibi mox hanc contrariam propositionẽ: *Non tantùm in moralibus officiis & actionibus plurimum habere momenti arbitrium humanum, verùm etiam in rebus ad salutem pertinentibus.* *Fol. 33. & 35.*

Et edisserentes quid ac quantum momenti habeat ipsorum sententia, ajunt: *Deum desiderio peccati & concupiscentiæ præfecisse rationem & ARBITRII LIBERTATEM cujus imperio subjiciatur peccatum, tali subjectione, quæ vix major est, ut nihil quicquam agere possit, te ipso non annuente.*

Si ergo humana ratio & arbitrii libertas tantum habet momenti in rebus ad salutem pertinentibus, sicut Papistæ asseverant, annõ Spiritui sancto omnem virtutem & operationem eripiunt? Aut quorsum opus est Spiritu sancto? Eradantur itaque illa loca sacræ Scripturæ Rom. 7. 6. 25. & 8. 1. 2. 9. 11. quibus Spiritui sancto omnis virtus operandi & efficiendi in nobis bonum spirituale tribuitur. At illis Apostolus expressè dicit: *Nunc liberi sumus à lege mortuo eo, in quo detinebamur, ut serviamus in novitate Spiritus, ac non in vetustate literæ.* Item: *Nulla igitur nunc est condemnatio iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem incedunt, sed secundùm Spiritum. Nam lex Spiritus vitæ, qui est in Christo Jesu, liberavit me à lege peccati & mortis.* Item: *Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu, siquidem Spiritus Dei habitat in vobis. Quod si quis Spiritum Christi nõ habet, is non est ejus. Porrò si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum: Spiritus autem vita est propter justificationem. Sed si Spiritus ejus, qui excitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis: is, qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantem ejus*

ejus Spiritum in vobis. Quibus in locis ex professo Apostolis de regeneratis agit, qui reliquias quidem peccati sentiant, sed Spiritus regenerantis virtute ac gratia, vel auxilio iis resistant, bonumque & velint & possint, & peragant. Et ideò eos ad officium ambulandi in bonis operibus, ac spiritualia amplectendi, resque ad salutem pertinentes volendi ac perficiendi hortatur à præsentia & gubernatione atque operatione sancti Spiritus: tanquam à consequente. Quasi dicat: Si Spiritus Dei habitat in vobis, vosque ad bonum spirituale ducit ac instruit, tales esse debetis. Atqui is habitat in vobis, vosque ad bonum spirituale ducit & instruit. Igitur tales vos esse oportet. Quare nihil rationi & libertati arbitrii humani virium inest, ut Papistæ putant & garriunt.

Lib. 1. retract. cap. 1. Rom 6. 22. Rom. 8. 1. Hocque Augustinus innuit, dicens: *Nam quantum ad hominis naturam, nihil est in eo melius, quàm mens & ratio, sed non secundùm ipsam debet vivere, qui beatè vult vivere: alioqui secundùm hominem vivit, quum secundùm Deum vivendum sit, ut possit ad beatitudinem pervenire, propter quam consequendam, non seipsa debet esse contenta: sed* DEO MENS NOSTRA *subdenda est.*

Ac contra Pelagium & Cœlestinum de gratia cap. 14. ait: *Sic enim (sicut*
Joh. 6. 45. *veritas docet) omnis qui didicit, venit: quisquis autem non venit, profectò non didicit. Quis autem non videat, & venire quenquam aut non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc potest esse solùm, si non venit: non autem potest* NISI ADJUTUM ESSE, *si venit: & sic adjutum, ut nō solùm quid faciendū sit, sciat, sed quòd scierit, etiam faciat. Ac per hoc quando Deus docet, non per legis literam, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantùm cognoscēdo videat, sed etiam volendo appetat, agendóque perficiat.*

Unde licèt regenerati sæpenumero in gravissima peccata prolabantur, nūquam tamen penitus collabuntur, sed semper ex lapsu resurgunt: adeoque propter Spiritus sancti perpetuam in ipsis mansionem, Christiq; pro eis indesinentem intercessionem, neque totaliter neque finaliter gratiam regenerationis semel sibi collatam amittunt. Sic enim Scriptura testatur. *A Jehova* Psal 37, 23. 24.
gressus viri statuuntur, cujus delectatur via. Quum cadit, non dejicitur (scilicet, ut pereat, 2. Cor. 4 9) *quia Jehova sustentat manum ejus.* Et Christus pollicetur: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum* Joh. 14 16. Luc. 22. 31. 32.

Adversus 9 fidei Apostolicæ articulum ut peccant Pontificii. Quando præterea dicimus in articulo nono fidei Apostolicæ ac Catholicæ, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem*, apertè & perspicuè videmus, & audimus, non dici IN *Ecclesiam*, nec sensum hunc inesse, quòd in Ecclesiam credendum sit. Verùm non pauci Pontificiorum enunciant hunc articulum, addentes præpositionem IN, & dicentes: *Credo* IN *Ecclesiam Catholicam*, &c. Nec exiguus est eorum inter Pontificios numerus, qui sic & ipsi per se sentiunt, atq; hunc articulum efferunt, & alios sic docent eum efferri, ut dicant, *Credo in Ecclesiam Catholicam*, &c. Qua de caussa quum
1. Quod in Ecclesiam credunt. *Sigismundus* Austriæ princeps Nicolaū Cusanum Cardinalem ob avaritiam & rapacitatem, quam in Ecclesiis exercebat

bat, comprehensum in custodia detineret ante annos fortè centum & quadraginta sex, (circa annũ nempe 1460) ægerrimè id ferens Pius, hujus nominis secundus, Pontifex Romanus, principem excommunicationis fulmine percussum, indignum cujus defensio ulla audiretur judicavit. Non solùm verò iniquam captivitatem Cusani Cardinalis pro justa anathematis caussa venditabat, sed etiam hanc præcipuè, quod Sigismundus fidei articulum negaret, quod dicendum sit: *Credo in unã sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem.* Et in articulis Bavaricæ inquisitionis in suspectos de fide usitatæ, quæstio secunda est: *An credant in unicam, sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam?*

In Ecclesiã minimè credendum esse.

At manifestè hoc contra Symbolũ Apostolicum fieri à põtificiis solet. Ubi enim quæso in ullo vetusto ejus exemplari invenitur, dicendum: *Credo in Ecclesiam?* Non enim Apostoli sic Symbolum præscripserunt, nec veteres id ita exposuerunt, ut dicamus: *Credo in Ecclesiam*, quemadmodum dicimus, *Credo in Deum.* Nam *credere in aliquid* convenit soli Creatori: *Credere* verò *aliquid*, creaturis quoque competit. Id quod etiã Ruffinus jam olim in expositione fidei sive Symboli Apostolici notavit, ubi dicit: *Per præpositionem* In *distingui Creatorem à creaturis, & ea, quæ ad Deum pertinent, ab iis, quæ hominibus conveniunt.* Et divus Augustinus ait sermone 131. de tempore: *Sciendum est, quòd Ecclesiam credere, non tamen in Ecclesiam credere debeamus: quia Ecclesia non est Deus, sed domus Dei.* Unde consequitur, tam adversus fidem verè Catholicam & Christianam agi à Papistis, si dicunt: *Credo in Ecclesiam*, &c. quàm rursus aliam idololatriam detestandam committi, quũ hoc modo in homines, quibus Ecclesia Dei constat, credant, ac spem & fiduciam collocent. Quare ampliùs Eusebius Emissenus homilia 2. de *symbolo pronunciat: Nos jure ac rectè credere Petro & Paulo: sed si quis credat in Petrum aut Paulum, illum tribuere honorem Domini servo: quod facere,* inquit, *non debemus.* Et sanctus Cyprianus lib. de duplici Martyrio ait: *Eum non credere in Deum, qui integra sua felicitatis spem & fiduciam in hoc solo non ponit.*

Thomæ Aquinatis sententia.

Quò etiam inclinat Angelicus Doctor Papistarum, Thomas de Aquino, qui in 2.2. quæst. 1. de fide, ad 9. quæsitum fol. 3. præpositionem In in enunciando articulo Symboli Apostolici apertè rejicit. Nam primò ponit objicientes membro quinto: *Augustinus dicit (exponens illud Joh. 14. Creditis in Deum, & in me credite) Petro & Paulo credimus, sed non dicimur credere nisi in Deum. Quum ergo Ecclesia Catholica sit purè aliquod creatũ, videtur quòd inconvenienter dicatur:* In *unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam*, &c. Deinde verò respondet quidem illis, sed scribit, etsi concedendum esset, addendam particulam In: tamen id mente ac fide accommodandum non simpliciter Ecclesiæ, sed Spiritui sancto, utpote Deo sanctificante eam. Ait enim: *Ad hoc dicendum, quòd si dicatur in sanctam Ecclesiam Catholicam,* hoc est, *intelligendum, secundùm quod fides nostra refertur ad Spiritum sanctum, qui sanctificat Ecclesiam. Ut sit sensus: Credo in Spiritum sanctum sanctificantem Ecclesiam.* Tandem verò hac explicatione & opinione

nione abjecta, dicit: SED MELIUS EST ET SECUNDUM COMMUNIOREM USUM, UT NON PONATUR IBI IN: SED SIMPLICITER DICATUR, SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM, SICUT ETIAM LEO PAPA DICIT. Hæc Aquinas. Et quod de Leone Papa ait, invenitur haud obscurè dist 35. quæst.1.20.

Sigismundi Austriaci responsum pium ad Papam.

His itaque motus Sigismundus ille serenissimus & illustrissimus Austriacus princeps, publico scripto sese fortiter purgavit contra Papæ accusationẽ & excommunicationem, ac inter alia piè sic respondet: *Nos certè jam inde à pueris ita à Patre nostro instituti sumus, ut credamus in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, & in* JESUM CHRISTUM *filium ejus unicum, Dominum nostrum, & in Spiritum sanctum: Non autem in Ecclesiam. Atqui neque symbolo Apostolico hoc continetur, ut in aliquam creaturam credamus. Fides enim illa, quam duodecim Apostoli milites* JESU CHRISTI, *cùm ad certamen adversus idololatras & gẽtes descenderent, uno corde & spiritu professi sunt, quâ etiam sese armarunt, ut hoc quasi scuto tecti hostium aciem perrumperent, hæc verba continet: Credo in Spiritum sanctum; Sanctam Ecclesiam Catholicam. In hac fide*
" *nos cum duodecim Apostolis consistimus.* Ubi
" *verò ætate progressi sumus, & cultum Dei ab*
" *Ecclesia sancta institutum diligentiùs obser-*
" *vare cœpimus, tunc ex symbolo à patribus in*
" *Niceno Concilio congregatis conscripto di-*
" *dicimus, credere in unũ Deum Patrem omni-*
" *potentem, omnium visibilium & invisibilium*
" *factorem: Et in unum Dominum* JESUM
" CHRISTUM *filium Dei unigenitum: Et*
" *in Spiritum sanctum, Dominum vivificato-*
rem, &c. Et sanctam Ecclesiam Catholicam: "
Non autem, In Ecclesiam. Ea etenim creatu- "
ra & opus Dei est, factoris omnium visibilium "
& invisibilium. Usque adeò majores nostri pii & purioris doctrinæ amantes, præsertim principes cordati ac Scripturarum & vetustatis periti in Germania, ne latum quidem pedem in Pontificum Romanorum gratiam á simplicitate fidei & doctrinæ Apostolicæ discedere voluerunt.

Catechismus Romanus.

Idem hodie doctiores, fortiores & prudentiores Papistæ facere solent. Quin utut in cæteris á puro veritatis fonte sæpius aberret Catechismus Romanus: tamen ubi Symbolũ Apostolicum explicat parte prima de nono articulo capite 10. ad quæst. 19. *An ut in Deum, ita in Ecclesiam credendum est?* hoc responsum affert: TRES *Trinitatis personas, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum ita credimus, ut in eis fidem collocemus. Nunc autem mutatâ dicendi formâ, sanctam, & non in sanctam Ecclesiam credere nos profitemur: ut hac etiam diversa loquendi ratione, Deus omnium effector à creatis rebus distinguatur, præclaráque illa omnia, quæ in Ecclesiam collata sunt beneficia divinæ bonitati accepta referamus.* Quocirca reliqui omnes, qui se in Ecclesiam credere in Papatu dicunt, contra fidem Catholicam agunt.

II. Quod Ecclesiam Catholicam visibilem esse statuũt.

Peccant verò Pontificii etiam cõtra 9. fidei articulum, quia Ecclesiam *Catholicam* interpretantur & credunt *esse visibilem*, Verè enim, quòd dicimus, *Credo Ecclesiam Catholicam*, sequitur Ecclesiam Catholicam esse invisibilem. Nam res visibiles non creduntur.

Hinc Franciscus Costerus in Enchiridio cap.11.tit.de Ecclesia longam disputatio-

Putationem, sitne Ecclesia visibilis? ingreditur, cui *Franciscus Gomarus* D. & Professor Theolog. in Academia Leydensi egregiè respōdet, qua in re quam memorabile certamen de illâ causâ videre liceat, ipsorummet verba adscribam, ut error Pōtificiorum clarior perspiciatur. COSTERUS dicit: *Heretici, ut necessitatem effugiant, successione non interrupta Ecclesiam suam ad Apostolos deducendi, eò confugiunt, ut dicant Christum invisibilem instituisse Ecclesiam, in qua soli sint boni: quorum quum pietas lateat, ignorem etiam, quinam ad Ecclesiam pertineant.*

Math. 13. 17. *Sed huic doctrinæ non modò Scripturæ sacra adversantur, sed recta quoque ratio. Scripturæ quidem, quæ in eadem sagena bonos agnoscunt pisces & malos: in eadem nuptiali* Math. 22. 11. *domo homines vestitos nuptiali veste & non vestitos: in eodem agro triticum & zizania:* Math. 25. 2. *exspectantes sponsi adventum sapientes virgines & fatuas: in Apostolorum collegio Judam* Joh. 6. 70. *diabolum cum reliquis viris sanctissimis. Beatus Apostolus non existimavit Corinthium illum fornicarium priùs ab Ecclesia alienū esse, quàm sententiâ excommunicationis excluderetur. In Apocalypsi gravissimè corripiuntur* Apoc. 3. 1. & 14. *Episcopi Sardicensis & Laodicensis: ille, quòd Spiritu mortuus esset: iste, quòd neque frigidus, neque calidus, sed tepidus, miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus: uterque tamen agnoscitur Episcopus & caput Ecclesiæ suæ, nec dum ejectus ex ore divino. Ratione verò idipsum confirmatur: Si enim invisibiliter est Ecclesia, videri non poterit, multò minùs adiri & consuli. Ignorabit igitur, quò se conferat, qui fortè ex infidelitate conversus, Ecclesiam quærit. Impleri non poterit Christi manda-* Math. 18. 17. *tum: Dic Ecclesiæ. Nulla erit Ecclesiastica jurisdictio, nulla potestas manifesta, nullus supe-* Math. 18. 18. *rior, nullus à quo peccatorum remissio vice* Joh. 20. *Christi petenda sit. Omnia occulta, incerta, dubia.*

His igitur rejectis erroribus, docet orthodoxa fides, Christum Dominum in orbe hoc terrarum congregationem instituisse, in eámque homines evocâsse, & Ecclesiam appellâsse, eique, ut ante dictum est, eximia privilegia contulisse. Hos autem homines, qui Ecclesiam conficerent, digito demonstrâsse, ne in incerto hæreremus. Sicut enim sensibili voce à magnifica gloria delapsa Deus Pater Christum Filium Apostolis exhibuit: [a] *Hic est Filius* [a] 2. Pet 1. 17. *meus dilectus, ipsum audite: ita Filius clara* Math 17. 5. *& aperta voce Apostolos ostendit:* [b] *Vos estis* [b] Math. 5. 14. *lux mundi.* [c] *Ecce, ego mitto vos.* [d] *Qui vos* [c] Math. 10. *audit, me audit. Apostoli deinde visibiles Ec-* [d] Luc. 10. *clesias fundârunt, verbis & epistolis instruxerunt, Episcopos ordinârunt, politiam instituerunt, leges præscripserunt, eáque omnia præstiterunt, quibus externa atque invisibilis respublica constitui solet. Voluit enim Christus non modò visibilem esse Ecclesiam suam, sed valdè conspicuam, ut omnibus innotesceret gratia Dei, quæ in hac sancta congregatione & non* Math. 5. 14. *alibi asservatur atque confertur: unde etiam civitati, quæ in monte posita est, & candelæ supra candelabrum similem fecit.* Hæc ille.

Quisnam hîc non Potificios rectè *Responsum nostrum.* Ecclesiam Catholicam pro visibili cœtu sumere putaret? quis non rationibus firmissimis eos suā sententiam confirmare existimaret? Verùm GOMARUS sic ad ea respondet verba, ut præclarè confutet. Quum Ecclesiæ, inquit, vox aut strictiùs cœtum vocatorum & electorum ad vitam æternam: aut latiùs cœtum vocatorum ad Euangelii Christi professionem, in quo per ministros ad hoc vocatos Euangelii doctrina purè traditur, & Sacramenta ex Dei verbo administrantur, significet, inde facilè

facilè apparet, quàm confusè & indigne quæstionis statum & mentem nostram proponas. NOSTRI enim distinctè affirmant, Ecclesiam priori modo acceptam, nobis in his terris esse invisibilem: altera verò significatione, si de particularibus Ecclesiis loquamur, esse visibilem: sin verò de Ecclesia Catholica agitur, eam primùm totam visibilem fore asserimus postremo die. Quia non antè tota in unū locum conveniet: & tunc, quum tota, erit conjuncta & conspicua, particulares Ecclesiæ, particulares & disjunctæ esse desinent. quæ distinctio adeò perspicua est, quāvis multi Jesuitæ eam studeant obscurare, ut non solum Patrum consensu, sed etiam doctiorum Pontificiorū confessione probari possit. Nam BERNHARDUS in Cantica serm. 78. Sponsam *Ecclesiam Electorum* interpretatur. HUGO de sancto Victore: *Ecclesia*, inquit, *sancta corpus est Christi, uno Spiritu vivificata, unita fide, una & sanctificata*. Et paulò ante: *Sicut scriptum est: Qui non habet Spiritum Christi, his non est ejus: Qui non habet Spiritum Christi, non est membrum Christi. In corpore uno Spiritus unus. Nihil in corpore mortuum: nihil extra corpus vivum.* Et Scholasticorum non infimus, Gabriel Biel in canonem Missæ lect. 22. §. E. *Accipitur*, inquit, *etiam Ecclesia pro tota multitudine prædestinatorum.* Sed & nobiscum loquitur Enchiridion Christianæ institutionis in Concilio provinciali Coloniensi editum: *Ut autem contendant quidam Ecclesiam invisibilem esse; quod de Ecclesia prædestinatorum non negamus: nihilosecius (ut opinamur) nobis concedent Ecclesiam etiam visibilem, qua bonis habet admixtos malos, visibili fidei professione & Sacramentorum communione sociatos.* Quare frustrà in eo laboras, Costere, ut sacris literis ostendas, in Ecclesia externa nō tantùm bonos esse, sed etiam malos reperiri: & Christum Apostolos ostendisse, eos visibiles Ecclesias fundâsse: quia illa omnino extra controversiam sunt. Nec ratio tua nobis adversatur. Nam quòd Christus de adeunda Ecclesia loquitur, id intelligit non de universali prædestinatorum Ecclesia, quæ invisibilis est, sed de particularibus externis & visibilis vocatorum cœtibus, in quibus electi reprobis permixti versantur, quem cœtum, quum ejus rei datur copia, adiri præcipit.

De sacram. lib. 2. cap. 2. Cap 1.

De sacram. ordinis pagina 171.

Math. 18.

Verùm altera, quam parciùs posteà attingit, quæstio est; An Ecclesia visibilis aliquādo certaq; ratione fieri possit invisibilis? hoc est, an ita latere possit persequutionibus cōpressa, ut ad tempus alienis ab Ecclesia, imò & multis fidelium, non appareat? Nos exemplo veteris Ecclesiæ & prophetiâ Apostolorum freti, id affirmamus. Nam quis Eliæ tempore Ecclesiam septem millium in Israële ita latuisse ignoret, ut etiam Elias se solum Dei cultorem superstitem relictum imprudens conquestus sit? Quis sub Roboamo, Joramo, Ochozia, Athalia, Joa, Amazia, Achazo, Manasse, Amone, Joakimo, & Joachimo, Zedechia Regibus Judæorum Ecclesiam idololatriâ publicè dominante & tyrannis sævientibus pressam tanquam ignem sub cineribus latuisse neget? Similis in novo Testamento Ecclesiæ calamitas prænunciatur 2. Thessal. 2. 3. 4. & Math. 24. 24. Potissimùm verò Apocal. 12. 6. de Ecclesia sub mulieris typo prædicitur: *Mulier verò fugit*

Ecclesia visibilis an possit fieri invisibilis.

1. Reg. 19. 10.

in solitudinem, ubi habet locum paratum à Deo, ut illic pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. Et versu 14. *Data sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volet à conspectu serpentis in desertum, in locum suum, ut alatur ibi per tempus, & tempora & dimidium temporis.* Atque hisce consentit Ecclesiæ historia, quæ demonstrat Christianos olim sevientibus 17 annis, modò privatis ædibus inclusos, modò in antris ac speluncis cœtus Ecclesiasticos conservâsse. Qua de re rectè ait Augustinus epistola 80. ad Hesichium: *Ecclesia est Sol, Luna & Stella, &c. Quando Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stella cadent de cœlo, Ecclesia non apparebit, impiis tunc persequutoribus ultra modum sævientibus.* Et alibi epist. 48 ad Vincentium: *Ipsa est* (Ecclesia) *quæ aliquando obscuratur & tanquam obnubilatur multitudine scandalorum, quando peccatores intendunt arcum, ut sagittent in obscura Luna rectos corde. Sed etiam tunc in suis firmissimis eminet, &c. Illi, qui tunc firmissimi fuerunt, & verba hæreticorũ insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione cæterorum, sed tamen ipsi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant: ac sic Ecclesia, quæ per omnes gentes crescit, in frumentis Dominicis conservata est.* Quamobrem hinc liquet, Ecclesiam visibilem hostium furore non extingui quidem, sed obscurari, & in solitudinem compulsam nonnunquã latere: quemadmodũ Ecclesiæ caput Christus, Herodis tyrannide fugatus, aliquandiu latuit in Ægypto. Quid ad hoc objicies? *Voluit*, inquit, *Christus non modò visibilem esse Ecclesiam suam, sed valdè conspicuam:* sed an perpetuò? *Voluit innotescere omnibus gratiam Dei:* sed quamdiu ingratitudine & tyrannide hominum id minimè impediretur. Nec enim suos discipulos solùm voluit esse *innocentes ut columbas*, sed etiam *prudentes ut serpentes.*

Vide Tertull. Apologeticum Justinum Martyrem. Plinium juniorem, Arnobium.

Math. 2.

Math. 10.

Sed excipis, *Ecclesiam inde civitati, quæ in monte posita est, & candelæ supra candelabrum comparari.* Audio commune & tritum Pontificiorum argumentũ, in quo multi errores demonstrari possunt. Primùm, quia non Ecclesia, sed Ecclesiæ Pastores (ut Chrysostomus comment. in Math. 5 & alii multi rectè exponunt) civitati illi & candelæ comparantur. Quibus verbis officium eorum describitur, quòd doctrinæ & vitæ splendore cæteris hominibus debeant prælucere: non autem promissio datur, quâ quid certò facturi sint, declaretur. Itaque inepta omnino consequentia est, ab officio ad effectum. Quandoquidem Ecclesiæ Pastores officium omittere possunt, aut suo vitio, aut adversariorum tyrannide coacti. Atque hanc genuinam esse hujus loci sententiam ex antecedentibus & consequentibus verbis, & totius orationis serie apparet. *Vos estis sal terræ, quòd si sal infatuatus fuerit, quo salietur? ad nihil valet amplius nisi ut abjiciatur foras, & conculcetur à quibusvis. Vos estis lux mũdi. Nõ potest urbs occultari supra montẽ posita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam supra modium, sed in candelabrum, & splendet omnibus, qui sunt in domo. Ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra opera bona, glorificéntque Patrem vestrum, qui est in cœlis.* Idemq; demõstrat concionatorum vestrorum præstantissimus Johannes Ferus, commentariis suis ad hunc locum. Deinde si concederemus, Christum loqui non solùm de Apostolis, sed etiam de Ecclesia; quemadmodum servatâ ordinis & graduum differentiâ cõcedi potest, nihil

nihil tamen vos juvabit. Nam primùm hæc Christi oratio non effectum, sed efficium, ut ante ostendi proponit: deinde non minùs ad Ecclesias singulares, quàm ad universalē, imò nō minùs ad singulos pastores & quosvis fideles, quā ad fideliū cœtū & Eccl. referenda est: ut loci circumstantiæ evincunt. Ac propterea quum particulares Ecclesiæ & singuli fideles, qui civitati in monte positæ & lucernę comparantur, interdum àd tempus à conspectu hominum remoti latere possint, & latuisse sæpiùs constat, sequitur necessariò, ex hac civitatis & lucernæ cōparatione falsò à vobis concludi, Ecclesiā semper esse conspicuam.

1. Argumentum orthodoxum ex symbolo Apostolico, Ecclesiam esse invisibilem.

Sic convulsis sententiæ Pontificiorum fundamentis, nostri ex ipso nono Symboli Apostolici articulo duo sumunt argumenta, quibus probant Ecclesiam prædestinatorum sive electorū & fidelium esse inconspicuam. Primū est: Ecclesia fide creditur. Credimus enim sanctam Catholicam Ecclesiam. Non igitur videtur oculis: quia *fides est rerum non apparentium*, Heb. 11. 1. Hoc Costerus tali solutione, ut vocat, evertere conatur: *Neganda est consequutio: quia id, quod videtur, credi etiam potest, quatenus habet aliquid, quod non videtur. Jesus videbatur oculis homo, credebatur fide Messias & Deus. Quia*, inquit, *vidisti me Thoma, credidisti, hominem vidisti, Deum tuum & Dominum tuum credidisti. Ita homines videmus oculis, qui ad Ecclesiam pertinent: eos autem homines credimus, Ecclesiam esse sanctam, Catholicam & Apostolicam, penes hos solos peccatorum esse remissionem, gratiam, justificationem, spem vitæ æternæ, extra hunc cœtum nullum mortalium expectandum esse vel salutem, vel Dei favorem.* (*Joh. 10. 20.*)

Sed ad hæc Gomarus: Negas, inquit, Costere, hac solutione tua argumentationis vobis objectæ consecutionem: sed ea ratione, quæ contrà argumenti nostri modum non solvit, sed fortiùs adstringit, & sententiam ac cōsecutionem negatam confirmat. Nam scimus quidem, homines illos, qui sunt sancta Dei Ecclesia, esse visibiles: sed eos esse eam Ecclesiam Dei non videmus, sed credimus: id quod argumentatione proposita concludimus. Tu verò quid ad hæc? *Ais, id quod videtur, credi etiam potest, quatenus habet aliquid, quod non videtur.* Quod quid aliud est, quàm fateri, ea, quæ creduntur non esse visibilia, quatenus creduntur? *Nam si vides, non est fides*: ut eleganter ait Hugo de sancto Victore. (*De sacram. lib. 1. part 3. cap. 1.*) At verò Ecclesia sancta Catholica, quatenus est Ecclesia sancta Catholica, in symbolo fidei creditur: Ergo Ecclesia sancta Catholica, quatenus est talis, non est visibilis. Idque apertè agnoscis sequentibus: *Ita*, inquis, *homines videmus oculis: qui ad Ecclesiam pertinent, eos autem homines credimus Ecclesiam esse sanctam, Catholicam & Apostolicā.* Et rectè: nec enim quæstio inter nos est, an homines sint visibiles, quod sensus docet: sed an eatenus, quatenus sunt viva & sancta Christi membra, veriq; fideles & Ecclesia Christi: hoc est, an Ecclesia sit visibilis. Ac propterea hanc responsionem tuam non solutionem, sed concessionem meritò appellare debuisses.

Alterū orthodoxum argumentū ex symbolo Apostolico petitum, Ecclesiam esse invisibilem.

Alterum nostrorum argumentum orthodoxum, è Symboli Apostolici articulo nono deductum, quod Ecclesia electorum sit invisibilis, sic habet: Ecclesia creditur sancta. Nulli ergo nisi

sancti ad Ecclesiam pertinebũt, & quia sanctitas non cernitur oculis, erit ubique invisibilis Ecclesia, & incognita membra Ecclesiæ. Hoc nostri. Costerus verò solutionem ejus hujusmodi reddit: *Malam esse primam consecutionem. Nam inferendum erat: Ergo sancti sunt in Ecclesia, licèt non soli. Arbori viventi multi aridi rami adhærent & in corpore humano multi insunt sine vita humores & sordes.*

Contrà Gomarus: Imò verò Costere, ait, recta est consequẽtia. Nec enim, ut falsò exponis, Ecclesia propterea appellatur sancta, quòd in ea sunt aliqui aut multi sancti: sed quia omnia & singula illius membra fide & charitate sanctificata sunt: quemadmodum Cõcilium vestrum Coloniense piè exposuit in Enchiridio Christi Instit. in symbolo Apostolorum. *Non inficiamur,* inquit, *ad Ecclesiam strictiùs acceptam, quatenus scilicet ii in Ecclesia esse dicuntur, ex quibus civitas Dei constat, tantum vita spiritualis participes, & sibi mutuò in spiritu charitatis cohærentès pertinere. Ad quem modum Ecclesia est corpus Christi mysticum, seu congregatio fidelium in unitate fidei & charitatis vinculo, sub uno capite Christo militantium, ipsiq; capiti (ex quo totũ corpus per nexus cõjunctionesq; subministratum & constructum crescit in augumentum Dei) per vivam fidem & charitatem cohærentium. Quum hic Symbolum appellat sanctam, idest, mundam & puram. Quanquam & sancta rectè dicatur, quòd sit Deo consecrata: sicut sanctum Domino dicitur, quod est illi sacrum. Deniq; quod ad eam rationem quâ sanctum inviolatum appellamus, Ecclesia omnino inviolabilis fundata est super petram,* id est, *Christum, adeò ut ne portæ quidem inferorum adversus eam prævalere possint. Talem Ecclesiam constantem tantùm ex membris participibus vitæ spiritualis, & occultâ quâdam connexione in spiritu charitatis cohærentibus, Apostolus Paulus describit, Ephes. 5. Christus,* inquit, *dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiã, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata, &c.* Habes hîc, Costere, non solù n testimonium perspicuum, sed etiã confirmationem elegantem. Quare similitudines de arbore & corpore desumptæ, ut nihil probant, ita si de Ecclesia externa agimus quæ verè fidelibus & hypocritis constat, locum habere possunt, sed Ecclesiæ sanctæ & Catholicæ non conveniunt. Itaque Ecclesiam Catholicã falsò & errore magno à Pontificiis contra verum sensum Symboli Apostolici visibilem, à nobis verò piè ac rectè invisibilẽ dici, & credi probavimus, sicut fides Catholica Symbolo Apostolico comprehensa fert ac docet.

In Ecclesia strictè accepta soli sunt prædestinati.

Col. 1. & 2. Ephes. 4.

Restãt tres posteriores articuli Symboli Apostolici, nimirum decimus, undecimus & duodecimus, in quibus credendis Pontificii etiam non sani sunt, sicut videri volunt. Nam hi articuli: *Credo remissionem peccatorum: Carnis resurrectionem: Et vitam æternam,* continent confessionem fidei specialis. Sensus enim illorum est hic: Ego credo remissionem peccatorum, & resurrectionem mei proprii corporis, meque ipsum ad vitam æternam pervẽturum. Et hæc fuit sententia ac judicium piæ & doctæ antiquitatis. Etenim S. Augustinus de Symbolo ad Catechumenos lib. 4. cap. 7. *Si,* inquit, *credis & tu, quòd possis*

Contra 10. 11. 12. articulum Symboli Apostolici ut Papistæ peccent.

Certitudo salutis nostra in speciali fide. *possis resurgere, & in cœlum ascendere: quia certus es de tanto pignore, securus eris de tanto munere.* Et ibidem lib. 2. cap. 10. *Noli*, ait, *minorem prædicare eum, qui te perducit ad regnum cœlorum in remissione peccatorum. Sine ista fide, si quis ad baptismū accedit, ipse contra se januam indulgentiæ claudit.* Et paulò post: *Quisquis itaque fideliter credit, & hanc professionem fidei suæ, in qua remittuntur omnia peccata, indubitanter tenet atque amplectitur, præparet voluntatem suam voluntati Dei, &c. Nec vehiculum mortis timeat, &c.* Et sermone 115. de tempore. *Omne*, inquit, *sacramentum baptismi in hoc constat, ut resurrectionem corporum & remissionem peccatorum nobis à Deo præstanda credamus.* Et rursum lib. 1. de doctrina Christiana, *Has claves dedit Ecclesiæ suæ, &c. ut quisquis in Ecclesia ejus dimitti sibi peccata non crederet, non dimitterentur: quisquis autem crederet, seq; ab iis correctus averteret, in ejusdem Ecclesiæ gremio constitutus, eadem fide atque correctione sanaretur.* Et adhuc sermone 123. de tempore: *Quod in Christi gloriosa resurrectione audisti completum, hoc in* TE *omnino in futuro judicio crede esse complendum: & carnis tuæ resurrectio reparet te in æternum. Nisi enim credideris, reparandum* TE *esse post mortem, ad præmium vitæ æternæ pervenire non poteris.* Testatur item Ruffinus in expositione Symboli, & Augustinus de Symbolo lib. 1. cap. 9. & in Enchiridio cap. 44. olim articulum de resurrectione hoc modo fuisse recitatum: *Resurrectionem hujus carnis*, & sequentem ita ei connexum esse, *in vitam æternam.*

1. Objectio Papistarum contra fidē specialem. Quibus duo Romanæ Ecclesiæ dogmata repugnant. Unum, quòd non possimus certi esse de remissione peccatorum & nostra salute fide speciali: alterum, quòd homo aliquis justificatus excidere possit gratiâ atq; damnari. Quoad enim prius, objiciunt, ubi nullum est Dei verbum, ibi nulla fides. Fides enim & verbum sunt relativa, seq; mutuò ponunt ac tollunt. At nullum est Dei verbum sive mandatum, quod dicat: *Tu Corneli crede, tu Petre crede eris salvus.* Ac propterea, ajunt, non est fides aliqua ordinaria & specialis, quâ homo credere debet, ac potest remissionē peccatorum & salutem suam, quoad se in specie. Censurâ Coloniensis folio 92 97. 103. 108. 122.

Respondemus: Majorem esse falsam, nisi hac ratione conformetur: Ubi nulla est Dei promissio, nec aliud quippiam promissioni particulari æquivalens, ibi nulla est fides. At nullum est tale verbum ad hunc specialiter vel illum pertinens. Verùm id quidem est, neque enim alloquitur Deus homines semper in specie, *Crede tu, & salvaberis.* At alios nobis in exemplum proponit, unde nobis id faciendum docet. Nā disertè Luc. 8. ℣. 50. extat, Dominum Jairo (cui quidam dixerat: *Mortua est filia tua, ne vexes magistrum*) dixisse: *Ne timeas, crede solummodò, & servabitur, vel salva erit.* Item illud sæpissimè in Euangelio repetitum: *Fides tua te salvum fecit. Remissa sunt tibi peccata tua.* Item Gal. 2. ℣. 20. *Vivo nōamplius ego, sed vivit in me Christus, qui dilexit* ME, *& tradidit se pro* ME. Item ℣. 16. *Et* NOS *in Christū credimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis*, probat specialem fidem & ejus efficaciam, non generalem. Deinde præstat tamen aliquid aliud Deus, speciali illi promissioni ac mandato æquivalens: dum nimirum ad promissionē gene-

generalem annectit mandatum de illa speciatim ab unoquoque sibi applicãda: dumque instituit sancti verbi ministerium, quod singulis audientibus in specie promissionem illam suo nomine applicet. Quod ipsum tantum est, quantũ si Salvator ipse singulos in specie homines alloqueretur. Ut clariùs rem explicem: Promissiones de salute nostra nusquam Scripturarum ad hanc vel illum restringuntur: sed indefinitè proponuntur hoc modo. *Quicũque crediderit, salvus erit.* Deinceps verò accedit minister verbi, qui vicem Dei ipsiusque Christi agit, ac sumens promissiones illas generales, singulis hominibus eas in specie applicat. Quod revera aliud non est, quàm si Christus ipse diceret, Corneli crede, & servaberis.

Exceptio Pontificia: At multi falluntur hoc credentes.

Excipiunt contrà: Applicatio hæc promissionis Euangelii fit sub conditione fidei & resipiscentiæ. Sed quàm multi homines decipiunt seipsos, dum se credere ac resipiscere existimant, nec id revera præstant? Idcirco fallunt seipsos, dum verbum promissionis sibi applicant. RESPONDEMUS: Etsi modus hîc applicandi sibi hoc verbum hypocritis, hæreticis & impœnitentibus semper fallat (hi enim id sibi applicant non ex fide, sed ex persuasione & præsumptione quâdam carnali, sive inani opinione) verus tamen est & infallibilis in omnibus electis, qui spiritum gratiæ & precum habent. Nam quando Deus per verbum suum, quod est propria ipsius ordinatio & legitimum medium nos salvandi, dicit: *Quærite faciem meam:* illico verè respondet cor filiorum Dei: *ô Jehova, requiram faciem tuam*, Psal. 27. 8. Rursum ubi Deus dicit: *Tu eris mihi in populum*, respondent illi: *Jehova est Deus meus*, Zach. 13. ỳ. 9. Estq; hæc certissima Dei veritas, quod qui credit, scit se credere, & qui verè resipiscit, scit se resipiscere, excepto solũmodò conversionis primæ principio, ac tempore insignium tentationum. Quæ enim aliàs homini ex gratia, percepta esset voluptas & consolatio?

Non fides, sed falsa fidei persuasio tollit.

Credens scit certò se credere.

2 Objectio. fides specialis non est articulus fidei.

Secundò objiciunt: *In nullo articulorum fidei jubemur credere nostram singulorũ in specie salutem: atque ideo nemo obligatus est eam credere.* Censura Colon. fol. 97. RESPONDEMUS: Ex hoc ipsorum argumento apparet, quòd ne quidem illi ipsi, quasi columnæ quædam Ecclesiæ Romanæ videntur, Symbolum fidei Christianæ intelligant. Nam unusquisq; sive Symboli (ut vocatur) Apostolorum fidem illam specialem in se includit. Sic articulo primo Symboli, quum dico: *Credo in Deum*, tria dico: 1 Credere me, esse Deum. 2. Quòd is ipse Deus, Deus meus sit. 3. Quòd ponam omnem spem & fiduciam salutis meæ in hoc Deo. Quæ ipsa tria etiam omnes articuli sequentes, qui sunt de Deo in se complectuntur. Sic quum diceret sanctus Thomas Joh. 20. ỳ. 29. *Deus meus:* respondet ipsi Christus, *Thoma, credidisti.* Unde evidenter apparet, quòd credere in Deũ, sit credere, quòd Deus noster sit Deus: imò meus Deus, & tuus Deus, qui in eum credis. Eadem ratione etiam, Psal. 78. ỳ. 22. credere in Deum, & ponere fiduciam nostram in Deo, pro eodem sumuntur. *Non credebant*, inquit David, *in Deum, neque ponebant fiduciam in auxilio ejus.* Præterea articuli de remissione peccatorum, & vita

Resp. Fides specialis in omnibus articulis symboli requiritur.

Specialis fides de certitudine salutis ut habetur in Symbolo.

tâ æternâ idipſum includunt,ac profitemur in ipſis fidem ſpecialem de noſtra ſalute. Nam credere remiſſionem peccatorum & vitam æternam aliud nihil eſt,quàm credere,quod ſit remiſſio peccatorum & vita æterna: & quod illa ad meipſum pertineat,ut ſuprà ex Auguſtino declaratum. Quomodo & David dixit: *Periiſſem,niſi credidiſſem viſurum me bonitatem Jehovæ in terra viventium*, Pſal.27.ỽ.13.

Exceptio: Remiſſio peccatorum creditur ſaltem in genere.

Reſpondent: In iſtis articulis profitemur, quòd credimus ſaltem remiſſionem peccatorum & vitam æternam *in genere*, nimirum datam ac promiſſam eſſe populo,ſive Eccleſiæ. RESPONDEMUS & NOS, verum eſſe, multos ſic exponere: at perquàm abſurdè.

Abſurdũ.

Nam ſi hæc eſt univerſa,totaque noſtra fides,quàm ipſi docent nos hoc loco profiteri:certè etiam diabolus æquè vera fide nobiſcum præditus eſt. Scit enim atq; credit etiam is,quòd ſit Deus aliquis,& quòd Deus ille det remiſſionem peccatorum, vitamque æternam Eccleſiæ ſuæ. Ut igitur fides noſtra omnino diabolorum fidem excedat(id quod omnino neceſſe eſt)neceſſe quoque eſt,ut credamus remiſſionem peccatorum & vitam æternam ad NOS, imò ad noſtrum quemque in ſpecie pertinere. Niſi enim dictos jam articulos nobis ita applicuerimus, in tenui ſanè,aut certè nihilo differemus ab ipſo diabolo, fidem noſtram profitendo.

3. At certi eſſe non poſſumus de noſtra perſeverantia ajunt Papiſtæ.

Quoad alterum, quo trium poſteriorum Symboli Apoſtolici articulorũ fidem Catholicam Pontificii oppugnant,eſt,quòd ſtatuunt hominem etiam juſtificatum & electum poſſe excidere Dei gratiâ,atque damnari. Nam *eſto*,inquiunt,*poſſe hominem certum eſſe de certitudine ſuæ ſalutis in præſenti: attamẽ nemo certus eſſe poteſt de ſua perſeverantia uſq; ad finem*. RESPONDEMUS: Negandum neminem poſſe de ſua perſeverãtia eſſe certum. Nam in ſexta petitione precationis Dominicæ precamur Deum, *Ne nos inducas in tentationem*: hoc eſt,petimus,ne Deus permittat,ut nos diabolus totaliter vincat atq; proſternat. Hujus porrò petitionis noſtræ impetrandæ promiſſionem certam habemus, 1.Cor.10 13. dicente Apoſtolo: *Fidelis eſt Deus,qui non ſinit nos tentari ſuprà id,quod poteſtis: ſed præſtabit unà cum tentatione etiam evaſionem,ut poſſitis ſufferre*. Itaque licèt Deus nonnunquam concedat diabolo,ut impetat,anguſtiet,imò & vulneret ipſius ſervos: nunquam tamen penitus eos vinci ſinit. Hinc & dilectus Domini diſcipulus: *Omne, quod natum eſt ex Deo,vincit mundum: & hæc eſt victoria quæ vicit mundum,fides noſtra*. Et rurſum ſanctus Paulus,1.Cor 2.12.*Nos verò non accepimus ſpiritũ mundi, ſed Spiritum,qui eſt ex Deo*, UT SCIAMUS, QUÆ DEUS NOBIS GRATIFICATUS EST. Quæ verò Deus nobis donavit, ſunt juſtificatio, ſanctificatio, vitaque æterna,ac proinde etiam perſeverantia uſque dum hanc aſſequimur. Pſal.1.3. ſicut & Jeremiæ 17.ỽ.8. *Beatus vir,qui non ambulavit in conſilio impiorum*(vel ut habet Jeremias) *qui confidit Domino, & cujus fiducia Dominus eſt. Et erit ſicut arbor plantata ſecus rivos aquarum,quæ fructus ſuos dat in tempore ſuo: & folium ejus non decidit,& omne quod faciet,proſperè cadet*. Iſaiæ 54.ỽ.10. *Montes movebunt ſe, & colles nutabunt: miſericordia autem mea à te non*

Imò poſſumus: quod probatur.

1.Joh.5.4.

Oo recedet

recedet, & fœdus pacis meæ non nutabit, dixit miserator tuus Jehova. Denique ut Christus suavissimè asseri; *Ego vitam æternam do ovibus meis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisquam è manu mea*: sic electum Dei organum sanctus Paulus gestiens, & quasi diabolo insultans, ait: Joh. 10. 28. Rom. 8 30. MIHI *persuasum est, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neq; sublimitas, neq; profunditas, neq; ulla alia res creata poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.*

Hactenus ergo, quoniam percurrimus omnes Symboli Apostolici articulos, qui veræ fidei Christianæ atq; Catholicæ summa sunt, & in omnibus ac singulis Papistas variè fœdeque errare invenimus, annon ipsi ii sunt, quos Jesuitæ his verbis describunt: *Hæretici sunt, qui, quum baptizati sint, contra Catholicam fidem cum pertinacia tuentur errores?*

CAP. III.

Quanta cum pertinacia Pontificii tueantur suos errores, historica narratio.

EVENIT hoc illis eò veriùs & certiùs, quia obstinatissimam suis illis erroribus pertinaciam addunt. Quàm facilè enim probatum est, illos adversus fidem Catholicam Symbolo Apostolico comprehensam varios ac tetros errores fovere: tam facilè demonstrari potest, eosdem summa atq; inexpugnabili audacia simul ac contumacia ab ipsis defendi, & propugnari. *Pertinacia Pontificiorum in erroribus suis* Illas enim omnes sententias & opiniones, propter quas alii vetustissimis Ecclesiæ Christianæ temporibus novitatis, falsi, erroris, deniq; hæreseos convicti & damnati sunt, ipsi in Ecclesia Romana & regno Pontificio ita imbiberunt, condidicerunt, foverunt, dilatârunt, disseminârunt & propagârunt, ut pertinacissimè eas semper tuiti sint, quamvis in veteribus tanquam hæreticas damnatis sciverint. Quin tanti tamque pertinaces & præfracti earũ sese omnibus seculis, præsertim posterioribus, præbuere atq; gessêre patronos ac propugnatores, ut non solùm nulli unquam saniori & solidiori admonitioni atque institutioni è Scripturis sacris allatæ, ac Patrum orthodoxorũ testimoniis confirmatæ cesserint, verumetiam igne gladioque eos sint persequuti, qui iisdem secum consentire & cõmunicare, eosdemque probare atque amplecti ullo modo detrectaverunt. Cujus rei Catalogus testium veritatis, quos singula Ecclesiæ Christianæ secula tulerunt, plurima gravissimaque tam exempla, quàm testimonia suppeditat. Ego brevi & compendiosa narratione atq; demonstratione utar.

Occidentalibus Ecclesiis Pontificem Romanum pro capite Ecclesiæ evehentibus & agnoscentibus, erroresque cum veteres antiquorum hæreticorum retinentibus, aut sensim amplectentibus, tum novos cudentibus, Orientales semper magna pietate & incredibili fortitudine reclamârunt, atque meliora snioraque tam literis & scriptis, quàm viva voce docẽtes ac defendentes, usque ad annum 1438. quo in Concilio Florentino contagium illorum contraxêre, & in Orientis regiones transvexere restiterunt. *Orientalium Ecclesiarũ veritatis studium ab occidentalibus spretum.* Inprimis cum circa Annum Domini 714. Constantinus

stantinus Papa Romanus sanctorum Patrum, qui sex primis ac generalibus Synodis interfuerant, imagines in Divi Petri porticu depingendas decrevisset, acerrimis sese animis Græcarum Ecclesiarum Antistites opposuêre, qui Deũ proprio ore omnem imaginum usum in templis severo & diserto mandato prohibuisse docentes, nullas omnino in Christianorũ Ecclesiis imagines habendas ac ferendas esse contenderunt. Ac quatuor inde annis evolutis, postquam Leo Imperator ejus nominis III. divinæ legis cognitione instructus, per omnes Imperii limites prostantes in templis imagines tolli curavit, literisque ad Gregorium II. Romanum Pontificem, missis, ut ipse quoque idem faceret, præcepit. Papa, Pater ille sanctissimus scilicet, Domini præcepta, quibus imagines in templis ac cultu Dei damnantur & prohibentur, tanto studio & diligentia (si Diis placet) imbiberat, ut Leonem Imperatorem impium εἰκονόμαχον invidioso admodum nomine appellare ausus fuerit: quin tantâ illum apud Italiæ populos invidiâ gravârit, ut quidem Imperatorem alium eligere sint conati, nec destiterint, donec Exarchus Imperatoris vicarius Ravennæ per seditionem unà cum filio interemptus est. Quum verò Leonis animum clades ista movere non posset, quin pium suum contra imagines institutum constantissimè urgeret. Papa opera & ope Longobardorum omni jurisdictione Italicâ Imperatorem privavit. Ac etiam Longobardis eam Italiæ partem, quæ Constãtinopolitanis Imperatoribus anteà subjecta fuerat, sibi vendicantibus, ac ideo Romam quoque obsidione præventibus, Papa Gregorius III. non pro more veterum à Constantinopolitano Imperatore auxilia & defensionem cõtra hostes suos petiit, utpote quam paulò ante ob imagines templis ejectas excommunicârat: sed accersitis Gallis, tutelam Ecclesiæ à Græcis ad Gallos transtulit.

Inde integra Orientalis Ecclesiæ ab Occidentali sejunctio sub Zacharia Papa, natione Græco, magno cum studio abstahendi hanc ab impuris cultibus enata est, licèt hic Pontifex etiam quatuor dialogorum libros, à Gregorio I. conscriptos, è Latino in Græcum sermonem transtulisset, ut contra liberam Christi gratiam etiam Græci purgatorium crederent. Vide Acta Romanorum Pontificum.

Nec minùs privatim in multis familiis totius orbis Christiani idololatria Romana perdiu istis temporibus improbata, & querelæ assiduæ contra tyrannidem atque sentinam errorum in Papatu habitæ sunt, quæ tanquam divinæ admonitiones ab horum studio omnes dehortabantur, mordicus Romano Pontifici addictis suos errores retinentibus.

Circa Annum Domini 1212. in multis locis Germaniæ, præsertim in Alsatia, in tractu Rheni, in Pomerania, Marchia & vicinis locis magno numero Christiani orthodoxi fuere, qui contra Papatus abusus atque errores tam fide, quàm doctrina sua purè docuere, & animosè pugnavere. Eorum in Alsatia & finitimis locis doctrina præcipuè erat: *Carnium usum omni tempore absque delectu esse licitum, & edendu immodicè piscibus perinde ac vescendis carnibus peccari.*

Orthodoxi in Germania.

Nefas committi ab unoquoque, qui ulli hominum usquam matrimonium prohibeat, quod à Deo institutum, & aquè ac alia omnia piis cum gratiarum actione ad Deum liberi usus sit, &c. Hujus sententiæ aliqui etiam Mediolani erant, qui Alsatiis collectas miserunt. Nec defuerunt undique, qui iis talia docentibus crederent, vehementerque deinceps in Pontificem invehere̊tur. Sed hic illos immeritò condemnans, centum eorum uno die ab Episcopo Argentinensi comburi, alios vero carceribus includi, horumq; pastore ad palinodiam compelli curavit, neglecta omni hac purioris religionis addiscendæ occasione: teste Johanne Stumphio lib. 2. annalium Helveticorum de Germania, cap. 27. ex Nauclero & aliis.

AN. DN. 1214. Albertus Kranzius lib. 8. cap. 78. Metropolit. scribit, sub Friderico II. Impp. quosdam in Hala Sueviæ contra Papam & Monachos concionatos fuisse, *Papam esse hareticum: omnes Episcopos & Pralatos Simoniacos & hareticos: inferiores etiam Pralatos cum Sacerdotibus volutare se in vitiis & peccatis mortalibus, & seducere alios, pervertere Ecclesiam falsis pradicationibus: omnium ordinum Monachos pravam vitam ducere & injustam: nullum esse qui veritatem diceret, & qui* FIDEM JUSTAM OPERE *servaret. Iidem populum cohortati fuêre, ut orarent pro Domino Friderico Imperatore & Conrado ejus filio.*

Flagellantium orthodoxa doctrina. Anno 1349. Flagellantium sectâ exortâ, devoti ejus quidem multa absurda, impia atque hæretica & ipsi tenuere, ut suprà indicatum: sed in hoc piè & orthodoxè Papistas admonuere: *Christum ut veteris, sic & novi Testamenti Sacerdotes abrogasse. Nihil valere salis, olei, cineris chrismatis ac aliarum rerum consecratarum usum. Aspergillum in aquam lustricam tinctum infernalibus guttis refertam esse. Boatum seu cantum Sacerdotum esse irritum. Unctionem chrismatis esse figmentum humanum. Omnes Monachorum ordines cum clero Pontificio esse reprobatos à Deo. Verum Christi corpus non realiter & substantialiter in pane esse. Auricularem confessionem ad remissionem peccatorum esse inutilem. Indulgentias aucupium esse Sacerdotum. Purgatorium nullum esse, proindeq; viventium preces & supplicationes pro mortuis esse inutiles. Vigilias & exequias ad nihil prodesse, quàm ut Sacerdotes iis tempus fallant, & loculos impleant. Crucem Christi non esse adorandam. Nulla jejunia à Sacerdotibus indicta servanda esse*, &c. Sebastianus Frank in Chronico: Hospinianus de Monachatu.

Joh. Munziger. Anno 1384. florentibus & dominantibus Papis, Johannes Munziger, Scholæ Ulmensis Rector, publicè in Schola orationem recitavit, quâ contendit, *Corpus Christi circumgestari solitum, non esse Deum: ideò nec adorandum ut Deum, adoratione latria.* Eadem postea scriptis defendit: ut ostenderet, Sacramentum non esse adorandum.

Lutherus vetusti cujusdam authoris autographum, centum annis antè conscriptum, anno 1528. typis evulgavit, quo scriptor ille ad caput 19. Apocalyp. notat: *Babylonem magnam esse civitatem Romanam, a qua trahatur exemplum continuandi & defendendi omnes abominationes & errores in Ecclesia.*

Quid de Waldensibus? quid de Johanne Wiclepho? quid de Johan. Husso? quid de Hieronymo Pragensi dicam? quorum admonitiones & dehortationes ab erroribus receptis etiam

iam

iam martyrio obsignatas Papicolæ respuerunt?

Zuinglius Episcopos Papales de necessitate emendandæ Ecclesiæ familiariter admonet.

Repetamus autem tantùm memoriâ, quę proximo seculo, ab anno 1500. usque ad 1600. gesta sunt. *Huldrichus* certè *Zuinglius* ab anno 1506. publicè concionari Euangelium aggressus, *Hugonem Landenbergium Constantiensem Episcopum* loci ordinarium, item Pontificios Legatos, *Matheum Sedunensem Episcopum* & Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, item *Ennium Verulanum*, & *Antonium Puccium* Pistoriensem Episcopum sollicitavit, supplex ab illis petens sacris literis allatis, ut pro officii sui ratione rebus Ecclesiæ corruptis consulere velint. Nam non posse negari, plurimos esse in Ecclesia abusus, à quibus meritò miser populus liberandus sit, & illi prædicandum purum verbum Dei: adhæc debere primates Ecclesiæ Christiano more, & aliter, quàm hactenus fecerint, vitam instituere. Simul etiam protestabatur, si nolint rem adoriri hanc, tum se adjuvãte Deo seriò & vehementer prædicaturum de Christianâ reformatione instituenda: ac se certò nosse, divinum auxilium non defuturum. Postquam verò illi in receptis erroribus atque abusibus obfirmatos se præbuerunt, ipseq; nihil impetrare potuit, quamvis amicè responderent, & abusus confiterentur ac deplorarent, concionando strenuè pergebat, & demonstrabat necessarium esse, ut reformatio aliqua juxta verbum Dei susciperatur. Quoniam verò hi, qui ex officio reformare debebant, nihil fecêre, hortabatur, ut singulæ Ecclesiæ de eo cogitarent, & cõmodè juxta consuetudinem veteris atque Apostolicæ Ecclesiæ eandem invocato Dei nomine instituerent: quod & feliciter successit.

Adrianus VI Papa errores agnoscit, sed corrigere nequit.

Annón Luthero & Zuinglio cum suis adjutoribus plerosq; Romanæ Ecclesiæ abusus atque errores, patefacta verbi divini veritate, refellentibus & confundentibus, ADRIANUS VI. Papa eosdem agnovit, corrigendosque censuit? Misso enim Norimbergam anno 1523. Legato *Francisco Cheregatto*, Aprutiæ Episcopo, per eum conventui significavit: *Se quidem non ignorare, nec omnino dissimulare posse, quin, quod Scriptura sacra docet, verũ sit, à Sacerdotibus autem populi jam iniquitatis origo in Ecclesia Romana scaturiat, & jam à multis annis multa vitia atque errores grassentur, quin ab ipso capite scilicet Pontifice malum in membra inferiora, nempe Primates & proceres Ecclesiæ diffluat. Sed se in posterum operam daturum, ut Roma (à qua fortè tot corruptelarum occasio nata) prima omnium severè corrigatur. ab eaq; remedium ejus mali, cujus caussa fuisset, peteretur. Ad hanc curam suscipiẽdam moveri se multorum votis & precibus. Quod autem primo statim in limine sui Pontificatus errores & vitia à se animadversa nõ fuerint emẽdata, hoc ex eo manare, quod morbum jam inveteratum & multiplicem esse conspicaretur, ideoq; paulatim & sensim esse curandum*, &c.

Sleidanus lib. 1. 2. 3. Innocẽtius Gentilletus in examine Concilii Trid. lib. 1.

Huic legato Principes Imperii de communi sententia totius conventus, quãquam ex majori Pontificiorum quàm Euangelicorum numero compositi, responsum dederunt: *Se Deo Opt. Max. gratias agere quòd jam tandẽ Pontifex multos errores & abusus in Ecclesia Romana deprehenderet & fateretur: simulq; gratias agunt de studio & animi propensione tantis malis medendi*, &c. Verùm huic proposito satisfieri non potuit, non tantùm

quia Pontifex iste duobus modò annis primatu Pontificio usus, morte fuit præreptus, verùm etiam, quòd successor ejus Clemens VII. (anteà Johannes à Medicis appellatus) tam insidiis quàm vi aperta oppressione totius religionis ad verbum Dei reformatæ subinde fuit molitus, ac emendationem errorum omnem omisit atque impedivit.

Et constitutione Norimbergę facta, ut omnes concionatores purè & modestè sanctum Euangelium ex recepta & approbata Ecclesiæ expositione annunciarent, Pontificiis hanc secundū Thomam Aquinatem, Scotum, Bonaventuram, & aliis id genus glossographis ac commētatoribus Magistri sententiarum, Euangelicis autem juxta Ambrosium, Hilarium, Cyprianum, Augustinum, Chrysostomum factam interpretantibus, ac insuper tantā tamen authoritatem illis veteribus Doctoribus non esse tribuendam, ut non semper sacræ Scripturæ Bibliorum authoritas potior & superior habeatur: majori quidem utilitati hæc sanctio Euangelicis, quàm detrimento fuit. Nam magis ac magis per eos doctrina Euangelica purior tota in Germania spargebatur & diffundebatur. Pontificii autem, atque adeò Episcopi, *qui Cōcilium optabant in corrigendis exactionum oneribus, nullam tamen dogmatum & errorum invectorum emēdationem desiderabant*, adeò ut errorum Pontificiorum patefactio & refutatio, sinceræ autem doctrinæ Euangelicæ amplificatio multas pareret altercationes, gravemque aliquam status Germanici mutationē minari videretur.

Pax Madrica errorum defendendorum fœdus peperit.

Anno 1526. Carolus V. Imperat. & Franciscus Rex Galliarum pace Madrica ictā *fœdus tuendæ religionis Pontificiæ erroribus licèt corruptissimæ, ac debellandæ Euangelicæ* unà inierunt.

Anno 1530. in comitiis Augustanis tam à Principibus Euangelicis Augustana, quàm à Zuinglio Tigurina Confessione fidei Carolo V. Imp. exhibita, Theologi Pontificii *illius aliquos articulos approbarunt*, cæteros quamvis puros repudiarunt, scriptisque refutarunt, *ut in suis erroribus pergere possent.* Ipse Imperator audita, lectā & cognitā licèt errorum Pontificiorū multitudine, ac Euangelicæ doctrinæ puritate, Protestantibus tamen mandavit, *ut eam fidem, quā Romanus Pontifex & totus Christianus orbis sequeretur, amplecterentur.* Edixit simul, ut in totius Imperii ditione quidem pax studiosè colatur, sed *Protestantibus prohibuit, ne quid in suis finibus in his, quæ ad religionem pertinent, novari paterentur, néve novos libros excudi permitterent, quibus homines ad suam religionem pertraherent, contra autem, ne impedirent, quò minùs veterem religionem* (Romanam) *amplectentes eam sequerentur, aut Sacerdotes & Monachi suo officio pristino fungerentur.*

Constitutio Caroli V. adversus Protestantes.

Interea à Luthero & Zuinglio, eorumque adjutoribus Pontificii in privatis ac publicis colloquiis & disputationibus sæpiùs erroris satis superque admoniti & convicti sunt, illorum verò maximę parti tanquam surdis frustrà omnia sunt proposita & narrata. Ac licèt Anno 1531. Franciscus Galliæ Rex statueret, *religionis controversiam non ferro, sed disputatione sibi videri dirimendā:* perseverantibus tamen Papistis in suis istis erroribus, ad arma ventum est, hísque

Franciscus I. de religione componenda consiliū prudens.

que

que ab iis in Helvetia partim errores recepti magis constabiliti, partim abjecti post i nimio restituti sunt, ac magnæ ad eos rursus plantandos ac firmandos procellæ tumultuū & persequutionū ab eo tempore excitatæ: nihilominus interim per divinæ providentiæ moderationem cùm ex Imperatoriis tum Pontificis Clementis consensu aliquo religionis Enangelicæ exercitio usque ad Concilium futurum concesso, quo errores Pontificii magis magisque detegebantur, hæc autem longiùs latiusque admittebatur & recipiebatur. Ac quamvis Papa Clemens Concilium liberum promittebat: ad id tamen nulla ejus voluntas verè propendebat, ut qui diceret, *disputare an bene superiora Cōcilia de quibusdam articulis judicarent, perinde esse, atque in dubium revocare reliqua omnia fidei capita ab ipsis terminata: rectè enim sequi, si in aliquo fidei articulo à conciliis erratum sit, pariter & in aliis errare potuisse.*

Anglus Papatui inimicus.

Anno 1533. quo Papa Clemens morte sublatus est, Rege Angliæ Henrico VIII. à Pōtifice ac toto ejus regno deficiente, *Rex Galliæ Franciscus cœpit in eam sententiam flecti, aliquos errores in Ecclesia Romana latere.* Adeò ut *Guilielmum Bellaium*, Dominum Langei, sui ordinis torquatum equitem, legatum Smalkaldiam in Germaniam ad Protestantes miserit, mense Decembri, Anno 1535. ut ab iis impetraret missionem ad se aliquot ex eorum Theologis, Melanchthonis inprimis, quos cum Doctorib. Sorbonæ suæ ad disputandum committeret, *ajens se satis superq; agnoscere, multas supervacaneas ceremonias temporis diuturnitate & pastorum negligentiâ in Ecclesiam irrepsisse, nimiamq; sibi Romanum Pontificem potestatem vendicare. Illum pastorum quidem primum ac summum jure humano, sed non divino esse. Se quoque nescium non esse, Ecclesiæ traditiones posse immutari, quum id tempus postulat. Itaque se cupere pleniùs ac clariùs, quid verum sit perspicere, ut depravata immutet & restituat, pro ut res postulare videatur.*

Galliæ Regis pium votum irritum.

Sed hoc ejus generosum ac piū votum irritum fuit, Pontificis authoritate in Gallia nimis valente, nullamque emendationem subditis ejus affectantibus, præsertim Ecclesiasticis. Sleidanus lib. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. &c. Gentilletus lib. 1.

Admonitio Regis Galliæ ad Concilium Tridentinum.

Concilio inde à Paulo 3. nuper in solium Pontificium evecto primùm Mātuæ, postea Tridentin. Anno 1543. indicto, Rex Galliæ Franciscus eò Petrū Danesium Consiliarium suum, hominem eruditissimum Anno 1545. ablegavit, qui ipsius jussu inter alia Tridentinos Patres in primo consessu ibi congregatos monuit: *Si de articulis fidei controversis ex sacris Scripturis à Spiritu sancto profectis dirimerent, facilè totum Christianū orbem crediturum, amplexurum & sequuturum, quæ ab eis decernerentur. Sed gravem hanc & sapientem admonitionem Patres neglexrerunt.* Neque enim ex sola sacra Scriptura de articulis doctrinæ, qui in controversia erāt, constituerūt. Indeq; evenit, ut eorum constitutiones, canones & dogmata nemini probentur, nisi ab iis, quibus jam antea placebant & probabantur, aut qui in iis instituti & educati fuerunt:

Cæsaris colloquium cum Philippo Hassiæ Landgravo.

Quum autem Concilium jam haberi inciperet, *Cæsar & Pontifex clanculum unà de armis ad Protestantes domandos, religionem verò Romanam propugnandam consi*

AN. 1646 *consilium inter se cœperunt.* Illaque in colloquium cum Philippo magnanimo Hassiæ Landgravio, ad se Spiram evocato, devenit, ac libera prudentique ejus de religione tum Cõcilio sententia audita, hoc tantùm respondit, *se Concilii Tridentini celebrationem ad hoc tantùm procurasse, ut Ecclesiastici seipsos emendarent, non autem ut Protestãtes cogeret, ulla ex parte ab Augustana Confessione recedere.* Sed planè contrarium in animo volvebat, eisque bellum inferre omnino decernebat, ac Ratisbonæ in comitiis subdolè profitebatur, sibi certum esse bellum movere, non quidem contra religionem (scilicet) sed ut quosdam contumaces & rebellos compesceret. Sicque ipse nihil omittere eorum desistebat, quæ machinari poterant ad Protestantium internecionem. Eodemque tempore, quo suis illos armis Cæsar persequebatur, Pontifex *Paulus 3 fulminatrice Bulla quadam* mense Julio ejusdẽ Anni 1546. *emissa, eosdem hæreticos & anathemati devotos pronunciabat, dogmata Põtificia toto pectore & omni sua ope stabilire annixus:* Ac sessione quarta eodem anno celebrata, Patres Tridentini plenis buccis profitentes se velle mores emẽdare, Ecclesiæque dogmata fulcire aut corrigere, fundamentum ejus à quatuor hisce principiis petitum posuêre: Nimirum *Traditiones eandem cum sacra Scriptura authoritatem habere: Libros Apogryphos pro canonicis habendos: Solam versionem Bibliorum vulgatam latinam pro authentica recipiendam: Nullam denique aliã sacræ Scripturæ interpretationem, quàm à sancta matre Ecclesia* (Romana) *recipitur & approbatur, admittendam.* Quo jacto fundamento, facilè fuit Põtificiis suos errores atque hæreseos iuveteratas retinere, eamque doctrinam superstruere, quæ easdem augeat vel confirmet.

Translatio Concilii quia Patres Itali sibi à reformatione metuebant.

Hujus Concilii octava sessione, anno 1547. die 11. Martii, nihil actum est, nec quod ad dogmata, nec quod ad disciplinæ correctionem, sed tantùm decretum, ut, postquam medicus quidam rumores de insalubri & contagioso Tridentinæ urbis aëre sparserat (quem ad hoc pecuniâ subornatum ajebant) Concilium Bononiam, quæ in Italia sita est, transferretur. At veræ hujus translationis caussæ fuerunt, *quòd Pontificii Italiæ propinquiores esse cuperent, & à Germania procul recedere averent, ut tantò magis Protestantes eò suos Theologos, reformationem abusuum, errorumq; Pontificiorũ urgentes, mittere recusarent. Adhac ut effugerent ipsis formidabilem nimiæ Pontificiæ authoritatis imminutionem, & corruptelarum, quæ in curia Romana grassabantur, emendationem,* quam tantò magis Præsules Italici reformidabant, quantò magis Hispaniæ, Germaniæ & aliarũ quarundam nationum Antistites ad eam propensos esse animadvertebant.

Redintegratio Concilii Tridentini per Julium 3. Papam.

Translato igitur Concilio Bononiã, sed celebratione ejus in longum tempus propter varios tum bellorum, tum rerum aliarum eventus interruptâ, interea Paulus III. Papa diem suum anno 1549. obiit, & Johannes Maria Cardinalis Montanus ejus Legatus (qui in hoc Concilio Præsidis munere in superioribus sessionibus omnibus functus fuerat) ei suffectus, ac Julius III. nominatus, ab Imperatore graviter translationem & interruptionem Concilii ferente sollicitatus, id Tridenti redintegravit. Etsi autem bullis suis anno 1550. emissis

emissis approbabat, quicquid hactenus in illo decretũ ac constitutũ fuerat, profitebaturque palàm sibi jus esse Concilia convocandi, ea dirigendi & gubernandi, Præsulibus autem in iis assidendi, suffragiaque sua ferendi: tamen satis hac declaratione indicabat, se malle, ut *absentibus, quàm præsentibus Protestantibus atque orthodoxis Concilium haberetur*, quos faciliùs esset indictâ & inauditâ caussâ, quàm eâdem peroratâ damnare. Non enim erat nescius, eos semper contendisse, & firmis rationibus proposuisse, ut unicuique libera dicendi facultas daretur in Concilio, par esse. Nam & paulò antè istarum Bullarum promulgationem in comitiis Imperialibus Augustæ Julii die 26. anno eodem 1550. celebratis, Dux Mauritius Saxonicus Elector, per Legatos suos Cæsari, tum Concilii progressum procuranti, significaverat, *neque sibi, neq; sociis suis Concilii continuationem probari, nisi quæcunque definita essent, de integrò discuterentur, & ad trutinam revocarentur, & nisi sui Theologi Augustanæ Confessionis ad disputationes & suffragia admitterentur, Pontifexq; ipse à præsidendi prærogativa per se, aut per Legatos abstineret, quinimò se Concilio subjiceret, jurejurandóque quo Præsules se illi obstrinxerant, solveret, ut quisq; liberiùs suam sententiam dicere posset.*

Gallus Cõcilium Tridentinum aspernatur. Anno 1551. Papa Julio Concilii definitiones adversus orthodoxam Euangelicorum & Protestantium doctrinã urgente, Cæsare autem illis acre feróxque bellum inferente, proscriptis undique Euangelii ministris aut sedibus suis ejectis, Henricus II. Rex Galliæ, inito cum principibus Protestantibus fœdere, & armis contra Cæsarem, Germaniam servitutis jugo summittere cupientem, pro hujus libertate asserend captis, per Jacobum Amiotum, Abbatem Bellosanensem, virum apprimè eruditum Concilio palàm fecit, se non modò non posse propter bellum illuc regni sui Episcopos mittere, *verum etiã ne istud quidem Concilium pro Oecumenico & legitimo habere, sed pro privato conventu, in quorundam privatorum gratiam & utilitatem convocato, non autem in utilitatem Christiani nominis publicatam. Se subditósque suos nullo vinculo ad parendum his, quæ in eo decreta fuerint, obstrictum iri, &c.*

Helvetii & Rhœti Cõcilium respuunt. Idem Rex, dum Octobris die 11. eodem anno decima tertia sessio habebatur, Consiliarum suum Morlotum ad oppidum Badense Helvetiorum, ubi de more hujus gentis Proceres conveniebant Legatum misit, qui eis persuaderet, ne Concilium illud comprobarent. Quod & ipse obtinuit; etiam ab illis, qui religionem Romanam profitebantur. Rhœti quoque Thomam Plantem Episcopum suum à Concilio revocarunt, suasu monitisq; Petri Pauli Vergerii (qui ob cognitam exploratam religionis Protestantium puritatẽ è Papatu transierat) cujus operâ intellexerunt, Pontificem eò spectare tantùm, ut cum erroribus pristinis suam ubique authoritatem restitueret, eámque in ipsos longè quàm antea ampliorem ac graviorem recuperaret. Sleidanus lib. 22. 23. Gentilletus lib. 2 & 3. examinis Concilii Trid.

Confessio fidei protestantium Concilio Tridentino exhibita. Pergente autem Concilio in canonibus & decretis ad stabiliendam pristinam Ecclesiæ Romanæ doctrinam, atque opprimendam Euangelicorum orthodoxam fabricandis ab his quoq; Legati & Theologi eò ablegati sunt,

qui orthodoxam doctrinam contraria refutata assererent. Ac Mauricii Ducis Saxoniæ Legatis anno 1552. eandem sententiam, quam antea Augustæ Cæsari proposuerant, repetentibus Tridenti, Virtenbergenses Legati ult. à progressi, Concilii Secretario etiam Confessionem suæ fidei exhibuerunt, affirmarunt, que à suis missos Theologos in via esse, qui copiosiùs de dogmatibus, in ea comprehensis, agerent: si modò patribus placeret de illis tractare his legibus. Primùm quidem, ut utrinque idonei judices deligerêtur, qui Theologorum disputationes audirent, & de iis judicium ferrent. Quandoquidem enim Romani Pontificis dogmata plurimùm à suis discreparent, iniquum esse, ut ipse, aut ejus Legati aut Episcopi (qui ei omnes jurejurando devincti sunt) de tanta ista controversia judicarent; Addebant, quod Pontifex ipse & Præsules omnes reorum actorumq; in hac de religione controversia, personas sustineant, ac proinde judicum numero adscribi nequeant. Secundò, ne quod antea in hoc Concilio definitũ est, vim legis obtineat, sed ut omnia de integro excutiantur, quum ea per præjudicium inauditis atque absentibus adversæ partis, nempe Euangelicæ religionis, sectatoribus judicata decretaq; fuerint. *Præterquàm quòd facilè sit ostendere, decreta illa & judicia in multis articulis à sacrosancta Scriptura dissentire, & veteres errores confirmare.* Quumque hæc dicerent leg... *scriptum quoddam, in quo singuli illi articuli Concilii Tridentini Scripturæ sacræ repugnantes continebantur,* Patribus obtulerunt. Sed neque hi, neq; Legati Saxonici Protestantiũ vel quoad formulam fidei publicæ & salvii (ut vocatur) conductus, vel quoad propositas has conditiones quicquam legitimè ac fideliter impetrare potuêre, verũ à Cæsaris Legato, Toletano, Episcopo, responsum tulère: *Nihil ampliùs à Patribus impetrari potuisse, seq; illis contentos esse debere. Admittere Patres quidem sacram Scripturam controversiarum judicem: at in interpretationum discrepantia Concilio fidẽ habendam esse, quia Scriptura sacra sit muta & inanimis, quemadmodum etiam sint leges civiles.* Ac licet Patrum & Imperatoris consilium sit, Protestantium Theologos æquis animis audire, sine ullis in eos & in eorum religionem contumeliis, cujus rei gratia Concilium quoque renovatum & prorogatum sit: *Non posse tamen sine magno tot illustrium virorum, qui superioribus consessibus interfuerunt, dedecore ea, de quibus jam actum judicatumq; esset, in discussionem revocari, De Pontifice verò Concilio subjiciendo, cum eo ipso esse agendũ. Patres enim in eum invitum nihil statuere posse.* Denique idem Cæsaris legatus eos rogabat, ne in istis rebus minutioribus moras necterent. Quibus peractis Protestantes legati domum redière, nullo alio publicæ fidei diplomate impetrato, Synodoque Tridentina prorsus confirmationem errorum atq; abusuum in Ecclesia Romana hactenus usitatorum procurante, nec ad ullam emendationem, quin ne ad exactionem discussionem eorum sese fle... ctu patiente. Adhæc suis Theologis (inter quos Philippus Melanchthon) in reditu obviis, Tridentumque proficisci volentibus, ut pedem referrent, suaserunt. Nec minima caussa discessus eorum fuit, quòd Legatus Ducis Mauritii

Concio procax in Evangelicos.

titii Ambrosium Pelargum, sive Ciconiam, Dominicanum, quem concionantem adiverat ex Math. 13. de lolio immixto tritico, Protestantium damnandorum atque eradicandorum caussa Concilium coactum, hosque igni, ferro, patibulis, & quibuscunque a iis modis sine detrimento tritici commodè tollendos, impunè evasisse videret, quum de ea contumelia coërcenda nemo laboraret, quoniam ejusmodi procax maledicaque concio huc maximè spectabat, ut Protestantes à Concilio averterentur & abalienarentur.

Theologi Protestantes in Concilio Tridentino.

Digressis illis decimo octavo Martii ejusdem anni, Theologi Ducis Virtenbergici, quatuor numero, inter quos Johannes Brentius & duo Argentinenses Tridentum appulerunt. Hi se ad disputationis palæstram admitti petunt: at in Calendarum Maji diem protrahuntur. Interim *exemplaribus aliquot Cōfessionis Virtenbergicæ*, operâ principis excusæ, *Tridenti sparsis*, Cardinalis Crescēs Pontificis Legatus eos, apud quos reperiebantur, acerbissimè reprehendit. Tandem nulla ratione impetrari potuit, ut Theologi protestantes in disputationem committerentur, qui tamen se certamine veritatis enucleandæ ac patefaciendæ caussa offerebant.

Exercitus Regis Galliæ in gratiam Protestantium in Germaniam progressus.

Regius quoque Gallorum exercitus in Germaniam iter arripiebat, vexillo insigni præeunte, in quo Rex pileum, libertatis Symbolum, inter duos pugiones depingi, & hanc inscriptionem, LIBERTAS GERMANIÆ, addi jusserat. Idem libello caussas susceptæ à se expeditionis reddente typis divulgato, affirmabat in eo *se Germanicæ libertatis vindicandæ caussa arma sumpsisse, quum hanc sub jugum domus Austriacæ mittere Cæsar & Pontifex meditaretur. Cæsarem quippe jampridem consilium cum Pontifice iniisse, ut religionis, quam obtenderet, prætextu, totius Occidentis Imperium invaderent & occuparent.* Hanc dominandi libidinem se ferre non posse, nec Germaniæ genti auxilio deesse, utpote quæ ab eodem quo Gallica genere ortum traxerit invicemque utraque antiquissimo & arctissimo amicitiæ vinculo constricta sit. Statum Germaniæ concuti sine regni sui detrimento non posse, quum sit totius reipub. Christianæ propugnaculum. *Johanne igitur Friderico Saxoniæ Duce, Philippoq; Hassiæ Landgravio, Principibus religionis Protestantium illustriss.mis, è vinculis, quibus immeritò ab Imperatore detinerentur, liberatis, & Germaniâ libertate recuperata sperare se, faciliùs res Ecclesiæ ad pacem componi posse, quo in re exequenda nullis modis ac remediis sit defuturus.*

Solus rumor regii exercitus fugat Pontificios.

Hoc scripto publicato, tantus de copiis Regis rumor percrebuit, ut hoc solo *fugati Hispani*, terga dederint, ac è Germania passim in Italiam belli Parmensis obtentu abierunt. Quumque accederet, ut Dux Saxoniæ Mauritius Augusta Vindelicorum deditione capta ad Alpes festinaret, ut aditus itinerumque angustias ibi Pontificiis præcluderet, ipse quoque *Imperator Carolus* V. tam præcox & velox *Oeniponte discessit*, ut ejus sarcinæ atque impedimenta, quæ in extremo erant agmine, unà cū Cardinalis Augustani sarcinis direptæ à Mauricianis fuerint. Camerales quoque magistratus Spiræ habitantes in fugam versi sunt timentes, nec immeritò, Regem ac Principes Germaniæ sibi infensos, à quibus omnium istarum turbarum authores esse dicerentur.

Restitutio Ecclesiarũ reformatarum in Germania.

Post hæc *Pastores Ecclesiarum reformatarum*, in Germania ob vim Cæsareanorum & Pontificiorum exules, *ad suas Ecclesias redire suaq́; functiones repetere cæpêre*, non minori certè lætitia quàm quũ Israëlitæ, post longum exilium & durã Babyloniæ servitutem, in patriã à magno illo Cyro restituti sunt, potestate templum Domini instaurandi, eumq́; ex Legis suæ præscripto colendi, ab hoc & successoribus data.

Fuga Patrum è Tridentina urbe & Concilio.

Contra *perculsi Patres Tridentini*, maximè verò *Itali*, solum illico verterunt, seque relicta urbe Tridentina ac Synodo, in Italiam receperunt. Legati autem & Theologi Protestantium abeũdi veniam ab Imperatoris Legatis postulabant, quandoquidem in Concilio nihil tractui animadverterent: spõdentes tamen futurum, ut magistratus sui officio non desint, si deinceps Concilium legitimè celebraretur, cujus & decretis sint obtemperaturi, quatenus *cum verbo Dei congruerent*. Cæteri autem Germani Hispanique Antistites molestissimè tulerunt, Concilium ita dissolvi. Nam Romanensis Curiæ, morumq́; emendationem cupiebant: Itali verò hoc abrumpi gaudebant. Quod verò ad dogmata fidei attinet, in eo cœcutiebant, languescebant, torpebant & frigebant omnes, nullusque in Ecclesia Romana errores agnõscebat. Quinimò hoc pro certissimo axiomate sumebant & credebant, Concilium errare nõ posse. Quin etiã in suas partes protestantes transituros sibiipsis persuadebant, quod tam multi in bello cæsi, proscripti, exacti, profligatiq; fuissent, ut jam valdè pauci, iique perinfirmi ex Martis cruenti faucibus erepti superesse viderentur. Credebant etiam ad ipsos pertinere sacras Scripturas interpretari: quumque in disputationibus opiniones suas Scripturæ locis ac testimoniis fulcire non poterant, ad TRADITIONES recurrebant more Manichæorum, Valentinianorum, Marcionitarum, aliorumque veterum hæreticorum (de quibus suprà cap. 2. hujus libri dictum) easque Apostolicas appellabant, quasi ad nos usque ab Apostolis per manus patrum transmissas, quũ ex ipsorum pontificiorum cerebro cõficta sint.

Concilii Trid. susp.

Sessione igitur Concilii anno eodẽ die 28. Aprilis Tridenti habita, nihil aliud decretum est, quàm ut id in duos annos differretur, propter bellum in Germania renovatum, cujus necessitati sit parendum. Si tamen post bienniũ bellum non extingueretur, ejusdem Concilii suspensio prorogata esse existimaretur. Atq; ita solutum & dimissum est tunc Concilium Tridentinum ac decem annis continuis cùm propter bellum Germanicum ab Alberto Marchione Brãdeburgico & Mauritio Saxone contra Pontificios primùm, dein adversus seipsos susceptũ pro Germaniæ statu rectiùs componendo, tum Gallicum inter Regem Henricum II. & Cæsarem Carolum V. Philippúmq; ejus filium Hispaniarum regem flagrãtissimè gestũ, donec pius IV. pontifex anno 1560. electus est, interruptum fuit. Sleidanus lib. 23. & 24. Gentilletus lib. 2. & 3.

Progressus Concilii Tridentini.

Per hoc autem decennium, etsi non modò ab anno 1555. in comitiis Imperialibus Augustæ à Rege Ferdinando, Caroli Cæsaris fratre, tum hujus nomi-

ne, tum ex aliorum Principum, Præsulum & Civitatum Imperialium sententia, *libera religionis orthodoxa exercendæ facultas per Germaniam daretur, verùm etiam odor Spiritus sancti Euangelii homines in Gallia, quàm magis magisq; afflaret*, unde publicè privatimque tam libellis excusis, quàm concionibus viva voce habitis Pontificii suorum errorum etiam magis ac magis admonebantur, atque ad horum emendationem invitabantur: tamen Pius ille recens factus Papa cum suis Pōtificiis nihil inde seac Romanam Ecclesiā corrigi est passus, sed potiùs summè fuit offensus, ut ei rei etiam obviam ire decreverit, ne religionis incrementum latiùs serperet. Duæ itaque rationes ad id opportunæ Papistis visæ sunt: *una quidem armorum*, præsertim in Gallia, ubi pacata nonnihil Germania, hæc liberiùs & acriùs usurpari possent: *altera Concilii Tridentini peragendi, finiendiq;*, quod & anno 1561. ad Paschatis festum ideo Papa indixit, sed ea postea indictio ad mensem Januarium anni sequentis 1562. protracta est.

Oratio Pauli Guidelli contumeliosa.

Néve de sua in tuendis suis erroribus è Dei verbo ab Euangelicis detectis, pertinacia, quam ipsi constantiam & perseverantiam vocabunt, aliquid remisisse viderentur Pontificii, paulò ante primā indictionē quidā Paulus Gaitellus nomine, & is quidem Tridentinus, orationem habuit, quâ Principes religionis repurgatæ Neroni, Domitianoque æquiparabat, eosque Scythis, Hunnisque & Vandalis posthabebat. *Religionem hanc novam nihil aliud esse, nisi anilia deliria dicebat*. Apostolos eorúmque discipulos religionis Christianæ fundamenta super suomet ipsorum sanguine & meritis, tanquam rupe firmissimâ jecisse, indeque accidisse, ut regnum Christi latiùs diffunderetur. *Ecclesiam Romanam omni potestate superiorem esse*, &c. In summa, hujus Oratoris hic fuit scopus, ut & Patrum Concilii, Romanum pontificem & præsules in longe majorem quàm antea authoritatem restituendos, omnésque principes populósque eorum imperio subjiciendos, quemadmodum ex canonibus ab illis sancitis satis supérque evincitur.

Oratio de authoritate Ecclesiæ.

Post secundum Concilii indictionē anno 1562. die Januar. 18. sessione 17. Casparus Fossanus Rhegii Episcopus, oratione de authoritate Ecclesiæ habita, *hanc asserebat sancta Scriptura non inferiorem. Eum qui Ecclesiam non audiat, Deum non audire. Eam esse quæ discrimen ponat inter libros Canonicos & Apocryphos, quæq; Catholicos ab hæreticis distinguat: quæ fideliter Scripturas interpretetur, utiliáque inutilibus repudiatis amplectatur. Ecclesiam ex fideliū præsulúmque Romanæ Ecclesiæ cœtu conflatā esse: eamq; errare non posse, quia sancti Spiritus luce per Christum caput suum illustretur. Eum, qui Ecclesiæ decretis non acquiescit, ipsi Christo repugnare, proq; Ethnico & Publicano habendum esse. Eos audiendos non esse, qui respuant ea, quæ in Conciliis definita, semel & à sede Apostolica confirmata sint. Nunquā revocata fuisse, quæ semel in Concilio super fidei dogmata statuta fuissent: sed ea tantùm quæ ad mores & ceremonias pertinerent, quæ pro varia locorum temporumq; ratione immutari possint. Ecclesias Græcas omnes ab Apostolis institutas in errores incidisse: sed solā Ecclesiam Romanam nullo errore fuisse depravatam. Portas inferorum*, hoc est, *hæreses, adversus eam nihil unquam potuisse. A*

Ecclesia Catholica quæ sit Papistis.

nem me Deum Patrem appellari posse, à quo eadem mater non agnoscatur.

Inquisitio in libros Euangelicorum.

Nec exiguum tenacissimæ pertinaciæ in manifestis erroribus argumentū est, quod Februarii die 26. eodem anno 1562. sessione 18. decrevit Concilium Tridentinum, *ut de libris hæreseos suspectis* (sic orthodoxam doctrinam Euangelicorū continentes vocabant) *inquirerēt, ut suo tempore suam de iis sententiam ad Cōcilium referrent, quò faciliùs dogmata peregrina* (sic intelligunt orthodoxa & Euāgelica atque Apostolica) *à veritate Christiana* (sic vocant suam doctrinam) *secernere liceret, deque iis, quod expediret statueretur. Tantùm item abfuit, Pontificios eo in Concilio ullum errorem agnoscere atque abjicere voluisse, ut contra potiùs orthodoxos ad eosdem recipiendos sollicitârint. Nā eadem in sessione omnes præterea eos, qui ab Ecclesia Romana secessionē fecissent, hortabātur ut se ad concordiam conciliationemq; pararent, ad Concilium venirent, & charitatē, qua est perfectionis vinculum, amplecterētur. Neque animos obfirmarent sinentes se suis affectibus abripi, nec salutarem hanc matris suæ admonitionem negligerent: sed ad eam redirent, eosq; Concilium hoc grato animo, ac totis* (ut ajunt) *ulnis amplexurum, quemadmodum ad id eos omnibus charitatis officiis invitet.*

Gallici Legati in Cōcilio.

Ubi dies Maji 14. advenit, decima nona sessio habita est, quo tēpore Caroli IX. Galliæ Regis Legati Tridentum concesserūt, per quos Rex significabat: *Illis se provinciā demādasse, ut se Concilio sisterent, suóque & subditorum suorum nomine Ecclesiæ reformationem, sectarúmque conciliationem* EX PURI VERBI DEI *præscripto peterent, ut quæ à Patribus Synodi decernerentur, ad gloriā nominisq; Dei exaltationem atque amplificationem referri possent.* Gentilletus lib. 4. Nova ergo hæc admonitio sana ac pia ad errorum in Papatu reptantium atque grassantium tam agnitionem quàm emendatiorē commodissimè suscipiendam & perficiendam, divinitus à rege juvene submissa fuit. Digna enim illa vox sanè fuit Christianissimo Rege, Tridentinos Patres admonens, uti de quovis fidei dogmate ex verbi cœlestis ac divini regula sententiaque decernerent. Sed licèt præter hunc Regem, etiam à Protestantibus creberrimè ad hoc invitati rogatique essent: tamen quasi parum tutum inde dogmatum suorum præsidium habituri essent, hanc legem & sententiam saluberrimam acerrimè odiosissiméque aspernati sunt Patres Tridentini. Quinimòècontra, fidei publicæ diplomate disertis verbis cautum ab illis erat, res fidei ac religionis controversas non tantùm ex sacra Scriptura, sed etiam ex Apostolorum traditionibus, approbatisque (ne npe à Romana Ecclesia, in qua plerumque celebrata vel acceptata sunt) Conciliis & sanctorum Patrum authoritate, in quorum numerum & decretorum ac decretalium & extravagantium authores, doctorésque scholasticos & canonistas referunt, nec non Ecclesiæ Catholicæ (Romanæ) consensu esse dirimendas.

Oratio Guidonis Fabri Domini à Pibrac, tunc Tolosæ Judicis majoris.

Nihilominus tamen, ut æquissimæ illius legis à Rege & Protestātibus propositæ obtētio iterum tentaretur, idem GUIDO FABER Regis Galliæ Legatus, qui priora modò recitata hujus nomine significaverat, vir eloquentissimus & summè politicus, eodem die in con-

congregatione generali orationem habuit; *Quâ primùm de temporum calamitatibus ex opinionum de religioni varietate natis conquestus, totum Christiani nominis orbem à Concilio, solum & verum tanti mali remedium exspectare affirmabat.* Nec posse „ *revera negari dicebat humana imbecillitate* „ *& Præsulum negligentia, nec non etiam vera* „ *religionis contemptu, multa in Ecclesiam ir-* „ *repsisse, quorum alia prorsus abroganda sint,* „ *alia verò lenienda. Quemadmodũ autem* (inquiebat) *accusandi sunt, qui omnes omnino ceremonias (religionis auxiliares comites) privata sua authoritate repudiant; ita & ex adverso peccare quidem possumus in iis erroribus mordicus retinendis, qui jam inde à multis seculis & longa temporum serie recepti sunt & comprobati. Multa sanè communi omnium concordia ac paci indulgenda sunt, neque hoc quisquam à sua dignitate & constantia alienum reputare debet, siquadam potiùs aliis laxare maluerit, quàm pertinaciter dissensionem ac errores inter Christianos fovere,* &c. His & similibus verbis iste Gallicus Orator persuadere enitebatur Patribus Tridentinis, universo orbi Christiano ut in constituẽda rectè religione ac doctrina consulerẽt destinatis, remedium aliquod his tantis de religione controversiis adferri posse, si imprimis errores in Ecclesia invectos Patres agnoscerẽt, eosque verbi divini gladio resecari paterẽtur, ut & posteà in peroratione subjecit: *Sed ista parum grata surdis omnino auribus Patres prætervolãrũt.* Gratias tamẽ Regi de propensa erga Conciliũ benevolentia egerunt, quam Episcoporum ac Legatorum missione demonstrâsset. Gentilletus lib. 4.

Spretis igitur omnibus moderatis, piis, necessariis, utilibusque ad præstã-dam in Ecclesia Romana errorum correctionem adhortationibus & admonitionibus, Patres Tridentini re subversa potiùs in damnandis religionis reformatæ atque orthodoxæ dogmatibus occupabantur, & in Gallia ab adversariis hujus religionis Romanæ doctrinæ deditis bellum contra eos, qui eam amplectebantur, magna animorũ acerbitate gerebatur. Quibus discordia ab utraq; parte augescente, de Cõsistorii Regii consilio Carolus Lotharingus Cardinalis, cum novem Episcopis tribúsque Abbatibus Tridentum mense Novembri contendit, ut rogaret Patres, vera componendarum religionis controversiarum remedia quæ-rat, atque seriò adhibeat. Sed Cardinale hoc ad Concilii nutum magis quã veritatis rationem sua studia accõmodante, Rex datis Reginaldo Ferreteo Curiæ Parisiensis Præsidi, Legato suo, peculiaribus mandatis, eum pleniùs rectiúsque regiam suam voluntatem Synodo aperire voluit. Ferrereus itaque, postquam Cardinalis dicendi finẽ fecisset, inter alia sic Patres affatus est:

Actio de reformatione Ecclesiæ Papisticæ per Ferreteum Curiæ Parisiensis præsidem instituta.

„ *Si Rex privatum suum, suorúmve subditorũ* „ *commodum venaretur, posse intra triduum* „ *eos, qui defecissent à Pontificis imperio, ad hu-* „ *jus obsequium ab illo reduci. Regem verò* „ *Galliamq; totam ea tantùm à Patribus pete-* „ *re, quæ nec possint, nec debeant denegari, quæ-* „ *que universus Christianus orbis expetat, &* „ *quæ jam olim Constantinus Magnus Impera-* „ *tor à Patribus Synodi Nicenæ I. impetrave-* „ *rit: Nempe ut religionis controversiæ ex libris* „ *sacris Bibliorum, & veteribus Conciliis cano-* „ *nibúsque Ecclesiæ dijudicentur. Regem quo-* „ *que Ecclesiæ Catholicæ primogenitum postu-* „ *lare, ut ea in integrum restituatur, atque ut*

Nefas committi ab unoquoque, qui ulli hominum usquam matrimonium prohibeat, quod à Deo institutum, & aquè ac alia omnia pie cum gratiarum actione ad Deum liberi usus sit, &c. Hujus sententiæ aliqui etiam Mediolani erant, qui Alsatiis collectas miserunt. Nec defuerunt undique, qui iis talia docentibus crederent, vehementerque deinceps in Pontificem invehererentur. Sed hic illos immeritò condemnans, centum eorum uno die ab Episcopo Argentinensi comburi, alios vero carceribus includi, horumq; pastore ad palinodiam compelli curavit, neglecta omni hac purioris religionis addiscendæ occasione: teste Johanne Stumphio lib. 2. annalium Helveticorum de Germania, cap. 27. ex Nauclero & aliis.

An. Dn. 1234. Albertus Kranzius lib. 8. cap. 78. Metropolit. scribit, sub Friderico II. Impp. quosdam in Hala Sueviæ contra Papam & Monachos concionatos fuisse, *Papam esse hæreticum: omnes Episcopos & Prælatos Simoniacos & hæreticos: inferiores etiam Prælatos cum Sacerdotibus volutare se in vitiis & peccatis mortalibus, & seducere alios, pervertere Ecclesiam falsis prædicationibus: omnium ordinum Monachos pravam vitam ducere & injustam: nullum esse qui veritatem diceret, & qui* FIDEM JUSTAM OPERE *servaret. Iidem populum cohortati fuêre, ut orarent pro Domino Friderico Imperatore & Conrado ejus filio.*

Flagellantium orthodoxa doctrina. Anno 1349. Flagellantium sectâ exortâ, devoti ejus quidem multa absurda, impia atque hæretica & ipsi tenuere, ut suprà indicatum: sed in hoc piè & orthodoxè Papistas admonuere: *Christum ut veteris, sic & novi Testamenti Sacerdotes abrogasse. Nihil valere salis, olei, cineris chrismatis ac aliarum rerum consecratarum usum. Aspergillum in aquam lustricam tinctum infernalibus guttis refertam esse. Boatum seu cantum Sacerdotum esse irritum. Unctionem chrismatis esse figmentum humanum. Omnes Monachorum ordines cum clero Pontificio esse reprobatos à Deo. Verum Christi corpus non realiter & substantialiter in pane esse. Auricularem confessionem ad remissionem peccatorum esse inutilem. Indulgentias aucupium esse Sacerdotum. Purgatorium nullum esse, proindeq; viventium preces & supplicationes pro mortuis esse inutiles. Vigilias & exequias ad nihil prodesse, quàm ut Sacerdotes iis tempus fallant, & loculos impleant. Crucem Christi non esse adorandam. Nulla jejunia à Sacerdotibus indicta servanda esse*, &c. Sebastianus Frank in Chronico: Hospinianus de Monachatu.

Anno 1384. florentibus & dominantibus Papis, Johannes Munziger, Scholæ Ulmensis Rector, publicè in Schola orationem recitavit, quâ contendit, *Corpus Christi circumgestari solitum non esse Deum: ideò nec adorandum ut Deum, adoratione latria.* Eadem postea scriptis defendit: ut ostenderet, Sacramentum non esse adorandum. *Joh. Munziger.*

Lutherus vetusti cujusdam authoris autographum, centum annis antè conscriptum, anno 1528. typis evulgavit, quo scriptor ille ad caput 19. Apocalyp. notat: *Babylonem magnam esse civitatem Romanam, a qua trahatur exemplum continuandi & defendendi omnes abominationes & errores in Ecclesia.*

Quid de Waldensibus? quid de Johanne Wiclepho? quid de Johan. Husso? quid de Hieronymo Pragensi dicam? quorum admonitiones & dehortationes ab erroribus receptis etiam

iam

iam martyrio obsignatas Papicolæ respuerunt?

Zuinglius Episcopos Papales de necessitate emendanda Ecclesia familiariter admonet.

Repetamus autem tantùm memoriâ, quę proximo seculo, ab anno 1500. usque ad 1600. gesta sunt. *Huldrichus* certè *Zuinglius* ab anno 1506. publicè concionari Euangelium aggressus, *Hugonem Landenbergium Constantiensem Episcopum* loci ordinarium, item Pontificios Legatos, *Mathæum Sedunensem Episcopum* & Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, item *Ennium Verulanum*, & *Antonium Puccium* Pistoriensem Episcopum sollicitavit, supplex ab illis petens sacris literis allatis, ut pro officii sui ratione rebus Ecclesiæ corruptis consulere velint. Nam non posse negari, plurimos esse in Ecclesia abusus, à quibus meritò miser populus liberandus sit, & illi prædicandum purum verbum Dei: adhæc debere primates Ecclesiæ Christiano more, & aliter, quàm hactenus fecerint, vitam instituere. Simul etiam protestabatur, si nolint rem adoriri hanc, tum se adjuvãte Deo seriò & vehementer prædicaturum de Christianâ reformatione instituenda: ac se certò nosse, divinum auxilium non defuturum. Postquam verò illi in receptis erroribus atque abusibus obfirmatos se præbuerunt, ipseq; nihil impetrare potuit, quamvis amicè responderent, & abusus confiterentur ac deplorarent, concionando strenuè pergebat, & demonstrabat necessarium esse, ut reformatio aliqua juxta verbum Dei susci piatur. Quoniam verò hi, qui ex officio reformare debebant, nihil fecẽre, hortabatur, ut singulæ Ecclesiæ de eo cogitarent, & cõmodè juxta consuetudinem veteris atque Apostolicæ Ecclesiæ eandem invocato Dei nomine instituerent: quod & feliciter successit.

Adrianus VI Papa errores agnoscit, sed corrigere nequit.

Annón Luthero & Zuinglio cum suis adjutoribus plerosq; Romanæ Ecclesiæ abusus atque errores, patefacta verbi divini veritate, refellentibus & confundentibus, ADRIANUS VI. Papa eosdem agnovit, corrigendosque censuit? Misso enim Norimbergam anno 1523. Legato *Francisco Cheregarto*, Apruciæ Episcopo, per eum conventui significavit: *Se quidem non ignorare, nec omnino dissimulare posse, quin, quod Scriptura sacra docet, verũ sit, à Sacerdotibus autem populi jam iniquitatis origo in Ecclesia Romana scaturiat, & jam à multis annis multa vitia atque errores grassentur, quin ab ipso capite scilicet Pontifice malum in membra inferiora, nempe Primates & proceres Ecclesiæ diffluat. Sed se in posterum operam daturum, ut Roma (à qua fortè tot corruptelarum occasio nata) prima omnium severè corrigatur. ab eaq; remedium ejus mali, cujus caussa fuisset, peteretur. Ad hanc curam suscipiẽdam more ri se multorum votis & precibus. Quod autem primo statim in limine sui Pontificatus errores & vitia à se animadversa nõ fuerint emẽdata, hoc ex eo manare, quod morbum jam inveteratum & multiplicem esse conspicaretur, ideoq; paulatim & sensim esse curandum, &c.*

Sleidanus lib. 1. 2. 3. Innocẽtius Gentilletus in examine Concilii Trid. lib. 1.

Huic legato Principes Imperii de communi sententia totius conventus, quãquam ex majori Pontificiorum quàm Euangelicorum numero compositi, responsum dederunt: *Se Deo Opt. Max. gratias agere quòd jam tandẽ Pontifex multos errores & abusus in Ecclesia Romana deprehenderet & fateretur: simulq; gratias agunt de studio & animi propensione tantis malis medendi, &c.* Verùm huic proposito satisfieri non potuit, non tantùm

quia Pontifex iste duobus modò annis primatu Pontificio usus, morte fuit præreptus, verùm etiam, quòd successor ejus Clemens VII. (anteà Johannes à Medicis appellatus) tam insidiis quàm vi aperta oppressionē totius religionis ad verbum Dei reformatæ subinde fuit molitus, ac emendationem errorum omnem omisit atque impedivit.

Et constitutione Norimbergę facta, ut omnes concionatores purè & modestè sanctum Euangelium ex recepta & approbata Ecclesiæ expositione annunciarent, Pontificiis hanc secundū Thomam Aquinatem, Scotum, Bonaventuram, & aliis id genus glossographis ac commētatoribus Magistri sententiarum, Euangelicis autem juxta Ambrosium, Hilarium, Cyprianum, Augustinum, Chrysostomum sactam interpretantibus, ac insuper tantā tamen authoritatem illis veteribus Doctoribus non esse tribuendam, ut non semper sacræ Scripturæ Bibliorum authoritas potior & superior habeatur: majori quidem utilitati hæc sanctio Euangelicis, quàm detrimento fuit. Nam magis ac magis per eos doctrina Euangelica purior tota in Germania spargebatur & diffundebatur. Pontificii autem, atque adeò Episcopi, *qui Cōcilium optabant in corrigendis exactionum oneribus, nullam tamen dogmatum & errorum invectorum emēdationem desiderabant*, adeò ut errorum Pontificiorum patefactio & refutatio, sinceræ autem doctrinæ Euangelicæ amplificatio multas pareret altercationes, gravemque aliquam status Germanici mutationē minari videretur.

Pax Madrica errorum defendendorum fœdus peperit.

Anno 1526. Carolus V. Imperat. & Franciscus Rex Galliarum pace Madrica ictâ *fœdus tuendæ religionis Pontificiæ erroribus licèt corruptissimæ, ac debellandæ Euangelicæ* unà inierunt.

Anno 1530. in comitiis Augustanis tam à Principibus Euangelicis Augustana, quàm à Zuinglio Tigurina Confessione fidei Carolo V. Imp. exhibita, Theologi Pontificii *illius aliquos articulos approbarunt*, cæteros quamvis puros repudiarunt, scriptisque refutarunt, *ut in suis erroribus pergere possent*. Ipse Imperator audita, lectâ & cognitâ licèt errorum Pontificiorū multitudine, ac Euangelicæ doctrinæ puritate, Protestantibus tamen mandavit, *ut eam fidem, quā Romanus Pontifex & totus Christianus orbis sequeretur, amplecterentur*. Edixit simul, ut in totius Imperii ditione quidem pax studiosè colatur, sed *Protestantibus prohibuit, ne quid in suis finibus in his, quæ ad religionem pertinent, novari paterentur, néve novos libros excudi permitterent, quibus homines ad suam religionem pertraherent, contra autem, ne impedirent, quò minùs veterem religionem* (Romanam) *amplectentes eam sequerentur, aut Sacerdotes & Monachi suo officio pristino fungerentur.*

Constitutio Caroli V. adversus Protestantes.

Interea à Luthero & Zuinglio, eorumque adjutoribus Pontificii in privatis ac publicis colloquiis & disputationibus sæpiùs erroris satis superque admoniti & convicti sunt, illorum verò maximę parti tanquam surdis frustrà omnia sunt proposita & narrata. Ac licèt Anno 1531. Franciscus Galliæ Rex statueret, *religionis controversiam non ferro, sed disputatione sibi videri dirimendā*: perseverantibus tamen Papistis in suis istis erroribus, ad arma ventum est, hisque

Francisci I. de religione componenda consiliū prudens.

que ab iis in Helvetia partim errores recepti magis constabiliti, partim abjecti post i nnio restituti sunt, ac magnæ ad eos rursus plantandos ac firmandos procellæ tumultuũ & persequutionũ ab eo tempore excitatæ: nihilominus interim per divinæ providentiæ moderationem cùm ex Imperatoriis tum Pontificis Clementis consensu aliquo religionis Euangelicæ exercitio usque ad Concilium futurum concesso, quo errores Pontificii magis magisque detegebantur, hæc autem longiùs latiusque admittebatur & recipiebatur. Ac quamvis Papa Clemens Concilium liberum promittebat: ad id tamen nulla ejus voluntas verè propendebat, ut qui diceret, *disputare an bene superiora Cõcilia de quibusdam articulis judicarent, perinde esse, atque in dubium revocare reliqua omnia fidei capita ab ipsis terminata: rectè enim sequi, si in aliquo fidei articulo à conciliis erratum sit, pariter & in aliis errare potuisse.*

Anglus Papatui inimicus.

Anno 1533. quo Papa Clemens morte sublatus est, Rege Angliæ Henrico VIII. à Põtifice ac toto ejus regno deficiente, *Rex Galliæ Franciscus cœpit in eam sententiam flecti, aliquos errores in Ecclesia Romana latere*, Adeò ut *Guilielmum Bellaium*, Dominum Langei, sui ordinis torquatum equitem, legatum Smalkaldiam in Germaniam ad Protestantes miserit, mense Decembri, Anno 1535. ut ab iis impetraret missionem ad se aliquot ex eorum Theologis, Melanchthonis inprimis, quos cum Doctorib. Sorbonæ suæ ad disputandum committeret, *ajens se satis superq; agnoscere, multas supervacaneas ceremonias temporis diuturnitate & pastorum negligentiâ in Ecclesiam irrepsisse, nimiamq; sibi Romanum Pontificem potestatem vendicare. Illum pastorum quidem primum ac summum jure humano, sed non divino esse. Se quoque non nescium non esse, Ecclesiæ traditiones posse immutari, quum id tempus postulat. Itaque se cupere pleniùs ac clariùs, quid verum sit perspicere, ut depravata immutet & restituat, pro ut res postulare videatur.*

Galliæ Regis pium votum irritum.

Sed hoc ejus generosum ac piũ votum irritum fuit, Pontificis authoritate in Gallia nimis valente, nullamque emendationem subditis ejus affectantibus, præsertim Ecclesiasticis. Sleidanus lib. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. &c. Gentilletus lib. 1.

Admonitio Regis Galliæ ad Concilium Tridentinum.

Concilio iadeà Paulo 3. nuper in solium Pontificium evecto primùm Mãtuæ, postea Tridentin. Anno 1543. indicto, Rex Galliæ Franciscus eò Petrũ Danesium Consiliarium suum, hominem eruditissimum Anno 1545. ablegavit, qui ipsius jussu inter alia Tridentinos Patres in primo consessu ibi congregatos monuit: *Si de articulis fidei controversis ex sacris Scripturis à Spiritu sancto profectis dirimerent, facilè totum Christianũ orbem crediturum, amplexurum & sequuturum, quæ ab eis decernerentur. Sed gravem hanc & sapientem admonitionem Patres neglexrerunt.* Neque enim ex sola sacra Scriptura de articulis doctrinæ, qui in controversia erãt, constituerũt. Indeq; evenit, ut eorum constitutiones, canones & dogmata nemini probentur, nisi ab iis, quibus jam antea placebant & probabantur, aut qui in iis instituti & educati fuerunt:

Cæsaris colloquium cum Philippo Hassiæ Landgravo.

Quum autem Concilium jam haberi inciperet, *Cæsar & Pontifex clanculum unà de armis ad Protestantes domandos, religionem verò Romanam propugnandam consi*

An. 1546 *consilium inter se cœperunt.* Illaque in colloquium cum Philippo magnanimo Hassiæ Landgravio, ad se Spiram evocato, devenit, ac libera prudentique ejus de religione tum Cõcilio sententia audita, hoc tantùm respondit, *se Concilii Tridentini celebrationem ad hoc tantùm procurasse, ut Ecclesiastici seipsos emendarent, non autem ut Protestãtes cogeret, ulla ex parte ab Augustana Confessione recedere.* Sed planè contrarium in animo volvebat, eisque bellum inferre omnino decernebat, ac Ratisbonæ in comitiis subdolè profitebatur, sibi certum esse bellum movere, non quidem contra religionem (scilicet) sed ut quosdam contumaces & rebellos compesceret. Sicque ipse nihil omittere eorum desistebat, quæ machinari poterant ad Protestantium internecionem. Eodemque tempore, quo suis illos armis Cæsar persequebatur, Pontifex *Paulus 3 fulminatrice Bulla quadam* mense Julio ejusdẽ Anni 1546. *emissa, eosdem hæreticos & anathemati devotos pronunciabat, dogmata Põtificia toto pectore & omni sua ope stabilire annixus:* Ac sessione quarta eodem anno celebrata, Patres Tridentini plenis buccis profitentes se velle mores emẽdare, Ecclesiæque dogmata fulcire aut corrigere, fundamentum ejus à quatuor hisce principiis petitum posuêre: Nimirum *Traditiones eandem cum sacra Scriptura authoritatem habere: Libros Apocryphos pro canonicis habendos: Solam versionem Bibliorum vulgatam latinam pro authentica recipiendam: Nullam denique aliã sacræ Scripturæ interpretationem, quàm à sancta matre Ecclesia* (Romana) *recipitur & approbatur, admittendam.* Quo jacto fundamento, facilè fuit Põtificiis suos errores atque hæreseos iuveteratas retinere, eamque doctrinam superstruere, quæ easdem augeat vel confirmet.

Translatio Concilii quia Patres Itali sibi à reformatione metuebant.

Hujus Concilii octava sessione, anno 1547. die 11. Martii, nihil actum est, nec quod ad dogmata, nec quod ad disciplinæ correctionem, sed tantùm decretum, ut, postquam medicus quidam rumores de insalubri & contagioso Tridentinæ urbis aëre sparserat (quem ad hoc pecuniâ subornatum ajebant) Concilium Bononiam, quæ in Italia sita est, transferretur. At veræ hujus translationis caussæ fuerunt, *quòd Pontificii Italiæ propinquiores esse cuperent, & à Germania procul recedere averent, ut tantò magis Protestantes eò suos Theologos, reformationem abusuum, errorumq; Pontificiorũ urgentes, mittere recusarent. Adhac ut effugerent ipsis formidabilem nimiæ Pontificiæ authoritatis imminutionem, & corruptelarum, quæ in curia Romana grassabantur, emendationem,* quam tantò magis Præsules Italici reformidabant, quantò magis Hispaniæ, Germaniæ & aliarũ quarundam nationum Antistites ad eam propensos esse animadvertebant.

Redintegratio Concilii Tridentini per Julium 3. Papam.

Translato igitur Concilio Bononiã, sed celebratione ejus in longum tempus propter varios tum bellorum, tum rerum aliarum eventus interruptâ, interea Paulus III. Papa diem suum anno 1549. obiit, & Johannes Maria Cardinalis Montanus ejus Legatus (qui in hoc Concilio Præsidis munere in superioribus sessionibus omnibus functus fuerat) ei suffectus, ac Julius III. nominatus, ab Imperatore graviter translationem & interruptionem Concilii ferente sollicitatus, id Tridenti redintegravit. Etsi autem bullis suis anno 1550. emissis

emissis approbabat, quicquid hactenus in illo decretũ ac constitutũ fuerat, profitebaturque palàm sibi jus esse Concilia convocandi, ea dirigendi & gubernandi, Præsulibus autem in iis assidendi, suffragiaque sua ferendi: tamen satis hac declaratione indicabat, se malle, ut *absentibus*, *quàm præsentibus Protestantibus atque orthodoxis Concilium haberetur*, quos faciliùs esset indictâ & inauditâ causâ, quàm eâdem peroratâ damnare. Non enim erat nescius, eos semper contendisse, & firmis rationibus proposuisse, ut unicuique libera dicendi facultas daretur in Concilio, par esse. Nam & paulò antè istarum Bullarum promulgationem in comitiis Imperialibus Augustæ Julii die 26. anno eodem 1550. celebratis, Dux Mauritius Saxonicus Elector, per Legatos suos Cæsari, tum Concilii progressum procuranti, significaverat, *neque sibi, neq; sociis suis Concilii continuationem probari, nisi quæcunque definita essent, de integrò discuterentur, & ad trutinam revocarentur, & nisi sui Theologi Augustanæ Confessionis ad disputationes & suffragia admitterentur, Pontifexq; ipse à præsidendi prærogativa per se, aut per Legatos abstineret; quinimò se Concilio subjiceret, jurejurandóque quo Præsules se illi obstrinxerant, solveret, ut quisq; liberiùs suam sententiam dicere posset.*

Gallus Cõcilium Tridentinum aspernatur. Anno 1551. Papa Julio Concilii definitiones adversus orthodoxam Euangelicorum & Protestantium doctrinã urgente, Cæsare autem illis acre feróxque bellum inferente, proscriptis undique Euangelii ministris aut sedibus suis ejectis, Henricus II. Rex Galliæ, inito cum principibus Protestantibus fœdere, & armis contra Cæsarem, Germaniam servitutis jugo summittere cupientem, pro hujus libertate asserenda captis, per Jacobum Amiotum, Abbatem Bellosanensem, virum apprimè eruditum Concilio palàm fecit, se non modò non posse propter bellum illuc regni sui Episcopos mittere, *verum etiã ne istud quidem Concilium pro Oecumenico & legitimo habere, sed pro privato conventu, in quorundam privatorum gratiam & utilitatem convocato, non autem in utilitatem Christiani nominis publicatam. Se subditósque suos nullo vinculo ad parendum his, quæ in eo decreta fuerint, obstrictum iri, &c.*

Helvetii & Rhœti Cõcilium respuunt. Idem Rex, dum Octobris die 11. eodem anno decima tertia sessio habebatur, Consiliarum suum Morlotum ad oppidum Badense Helvetiorum, ubi de more hujus gentis Proceres conveniebant Legatum misit, qui eis persuaderet, ne Concilium illud comprobarent. Quod & ipse obtinuit; etiam ab illis, qui religionem Romanam profitebantur. Rhœti quoque Thomam Plantem Episcopum suum à Concilio revocarunt, suasu monitisq; Petri Pauli Vergerii (qui ob cognitam exploratam religionis Protestantium puritatẽ è Papatu transierat) cujus operâ intellexerunt, Pontificem eò spectare tantùm, ut cum erroribus pristinis suam ubique authoritatem restitueret, eámque in ipsos longè quàm antea ampliorem ac graviorem recuperaret. Sleidanus lib. 22. 23. Gentilletus lib. 2 & 3. examinis Concilii Trid.

Confessio fidei protestantium Concilio Tridentino exhibita. Pergente autem Concilio in canonibus & decretis ad stabiliendam pristinam Ecclesiæ Romanæ doctrinam, atque opprimendam Euangelicorum orthodoxam fabricandis ab his quoq; Legati & Theologi eò ablegati sunt,

qui orthodoxam doctrinam contraria refutata assererent. Ac Mauricii Ducis Saxoniæ Legatis anno 1552. eandem sententiam, quam antea Augustæ Cæsari proposuerant, repetentibus Tridenti, Virtenbergenses Legati ult. à progressi, Concilii Secretario etiam Confessionem suæ fidei exhibuerunt, affirmarunt que à suis missos Theologos in via esse, qui copiosiùs de dogmatibus, in ea comprehensis, agerent: si modò patribus placeret de illis tractare his legibus. Primùm quidem, ut utrinque idonei judices deligerêtur, qui Theologorum disputationes audirent, & de iis judicium ferrent. Quandoquidem enim Romani Pontificis dogmata plurimùm à suis discreparent, iniquum esse, ut ipse, aut ejus Legati aut Episcopi (qui ei omnes jurejurando devincti sunt) de tanta ista controversia judicarent; Addebant, quod Pontifex ipse & Præsules omnes reorum actorumq; in hac de religione controversia, personas sustineant, ac proinde judicum numero adscribi nequeant. Secundò, ne quod antea in hoc Concilio definitũ est, vim legis obtineat, sed ut omnia de integro excutiantur, quum ea per præjudicium inauditis atque absentibus adversæ partis, nempe Euangelicæ religionis, sectatoribus judicata decretaq; e fuerint. *Præterquàm quòd facilè sit ostendere, decreta illa & judicia in multis articulis à sacrosancta Scriptura dissentire, & veteres errores confirmare.* Quumque hæc dicerent legati *scriptum quoddam, in quo singuli illi articuli Concilii Tridentini Scriptura sacra repugnantes continebantur*, Patribus obtulerunt. Sed neque hi, neq; Legati Saxonici Protestantiũ vel quoad formulam fidei publicæ & salvi (ut vocatur) conductus, vel quoad propositas has conditiones quicquam legitimè ac fideliter impetrare potuère, ve. ũ à Cæsaris Legato, Toletano, Episcopo, responsum tulère: *Nihil ampliùs à Patribus impetrari potuisse. seq; illis contentos esse debere. Admittere Patres quidem sacram Scripturam controversiarum judicem: at in interpretationum discrepantia Concilio fidẽ habendam esse, quia Scriptura sacra sit muta & inanimis, quemadmodum etiam sint leges civiles.* Ac licet Patrum & Imperatoris consilium sit, Protestantium Theologos æquis animis audire, sine ullis in eos & in eorum religionem contumeliis, cujus rei gratia Concilium quoque renovatum & prorogatum sit: *Non possẽ tamen sine magno tot illustrium virorum, qui superioribus consessibus interfuerunt, dedecore ea, de quibus jam actum judicatumq; esset, in discussionem revocari, De Pontifice verò Concilio subjiciendo, cum eo ipso esse agendũ. Patres enim in eum invitum nihil statuere posse.* Denique idem Cæsaris legatus eos rogabat, ne in istis rebus minutioribus moras necterent. Quibus peractis Protestantes legati domum redière, nullo alio publicæ fidei diplomate impetrato, Synodoque Tridentina prorsus confirmationem errorum atq; abusuum in Ecclesia Romana hactenus usitatorum procurante, nec ad ullam emendationem, quin ne ad exactionem discussionem eorum sese perfecti patiente. Adhæc suis Theologis (inter quos Philippus Melanchthon) in reditu obviis, Tridentumque proficisci volentibus, ut pedem referrent, suaserunt. Nec minima caussa discessus eorum fuit, quòd Legatus Ducis Mauritii

ritii

Concio procax in Evangelicos.

titii Ambrosium Pelargum, sive Ciconiam, Dominicanum, quem concionantem adiverat ex Math. 13. de lolio immixto tritico, Protestantium damnandorum atque eradicandorum caussa Concilium coactum, hosque igni, ferro, patibulis, & quibuscunque a iis modis sine detrimento tritici commodè tollendos, impunè evasisse videret, quum de ea contumelia coërcenda nemo laboraret, quoniam ejusmodi procax maledicaque concio hucmaximè spectabat, ut Protestantes à Concilio averterentur & abalienarentur.

Theologi Protestantes in Concilio Tridentino.

Digressis illis decimo octavo Martii ejusdem anni, Theologi Ducis Virtenbergici, quatuor numero, inter quos Johannes Brentius & duo Argentinenses Tridentum appulerunt. Hi se ad disputationis palæstram admitti petunt: at in Calendarum Maji diem protrahuntur. Interim *exemplaribus aliquot Cōfessionis Virtenbergicæ*, operâ principis excusæ, *Tridenti sparsis*, Cardinalis Cresçēs Pontificis Legatus eos, apud quos reperiebantur, acerbissimè reprehendit. Tandem nulla ratione impetrari potuit, ut Theologi protestantes in disputationem committerentur, qui tamen se certamine veritatis enucleandæ ac patefaciendæ caussa offerebant.

Exercitus Regis Galliæ in gratiam Protestantium in Germaniam progressus.

Regius quoque Gallorum exercitus in Germaniam iter arripiebat, vexillo insigni præeunte, in quo Rex pileum, libertatis Symbolum, inter duos pugiones depingi, & hanc inscriptionem, LIBERTAS GERMANIÆ, addi jusserat. Idem libello caussas susceptæ à se expeditionis reddente typis divulgato, affirmabat in eo, *se Germanicæ libertatis vindicandæ caussa arma sumpsisse, quum hanc sub jugum domus Austriacæ mittere Cæsar & Pontifex meditaretur. Cæsarem quippe jampridem consilium cum Pontifice iniisse, ut religionis, quem obtenderet, prætextu, totius Occidentis Imperium invaderent & occuparent.* Hanc dominandi libidinem se ferre non posse, nec Germaniæ genti auxilio deesse, utpote quæ ab eodem quo Gallica genere ortum traxerit invicemque utraque antiquissimo & arctissimo amicitiæ vinculo constricta sit. Statum Germaniæ concuti sine regni sui detrimento non posse, quum sit totius reipub. Christianæ propugnaculum. *Johanne igitur Friderico Saxoniæ Duce, Philippoq; Hassiæ Landgravio, Principibus religionis Protestantium illustriss. mis, è vinculis, quibus immeritò ab Imperatore detinerentur, liberatis, & Germaniæ libertate recuperata sperare se, faciliùs res Ecclesiæ ad pacem componi posse, quo in re exequenda nullis modis ac remediis sit defuturus.*

Solus rumor regii exercitus fugat Pontificios.

Hoc scripto publicato, tantus de copiis Regis rumor percrebuit, ut hoc solo *fugati Hispani*, terga dederint, ac è Germania passim in Italiam belli Parmensis obtentu abierunt. Quumque accederet, ut Dux Saxoniæ Mauritius Augusta Vindelicorum deditione capta ad Alpes festinaret, ut aditus itinerumque angustias ibi Pontificiis præcluderet, ipse quoque *Imperator Carolus* V. tam præcox & velox *Oeniponte discessit*, ut ejus sarcinæ atque impedimenta, quæ in extremo erant agmine, unà cū Cardinalis Augustani sarcinis direptæ à Mauricianis fuerint. Camerales quoque magistratus Spiræ habitantes in fugam versi sunt timentes, nec immeritò, Regem ac Principes Germaniæ sibi infensos, à quibus omnium istarum turbarum authores esse dicerentur.

Restitutio Ecclesiarū reformatarum in Germania.

Post hæc *Pastores Ecclesiarum reformatarum*, in Germania ob vim Cæsareanorum & Pontificiorum exules, *ad suas Ecclesias redire suaq; functiones repetere cœpêre*, non minori certè lætitia quàm quū Israëlitæ, post longum exilium & durā Babyloniæ servitutem, in patriā à magno illo Cyro restituti sunt, potestate templum Domini instaurandi, eumq; ex Legis suæ præscripto colendi, ab hoc & successoribus data.

Fuga Patrum è Tridentina urbe & Concilio.

Contra *perculsi Patres Tridentini*, maximè verò *Itali*, solum illico verterunt, seque relicta urbe Tridentina ac Synodo, in Italiam receperunt. Legati autem & Theologi Protestantium abeūdi veniam ab Imperatoris Legatis postulabant, quandoquidem in Concilio nihil tractui animadverterent; spōdentes tamen futurum, ut magistratus sui officio non desint, si deinceps Concilium legitimè celebraretur, cujus & decretis sint obtemperaturi, quatenus *cum verbo Dei congruerent*. Cæteri autem Germani Hispanique Antistites molestissimè tulerunt, Concilium ita dissolvi. Nam Romanensis Curiæ, morumq; emendationem cupiebant: Itali verò hoc abrumpi gaudebant. Quod verò ad dogmata fidei attinet, in eo cœcutiebant, languescebant, torpebant & frigebant omnes, nullusque in Ecclesia Romana errores agnōscebat. Quinimò hoc pro certissimo axiomate sumebant & credebant, Concilium errare nō posse. Quin etiā in suas partes protestantes transituros sibiipsis persuadebant, quod tam multi in bello cæsi, proscripti, exacti, profligatiq; fuissent, ut jam valdè pauci, iique perinfirmi ex Martis cruenti faucibus erepti superessent viderentur. Credebant etiam ad ipsos pertinere sacras Scripturas interpretari: quumque in disputationibus opiniones suas Scripturæ locis ac testimoniis fulcire non poterant, ad TRADITIONES recurrebant more Manichæorum, Valentinianorum, Marcionitarum, aliorumque veterum hæreticorum (de quibus suprà cap. 2. hujus libri dictum) easque Apostolicas appellabant, quasi ad nos usque ab Apostolis per manus patrum transmissas, quū ex ipsorum pontificiorum cerebro cōfictæ sint.

Concilii Trid. susp.

Sessione igitur Concilii anno eodē die 28. Aprilis Tridenti habita, nihil aliud decretum est, quàm ut id in duos annos differretur, propter bellum in Germania renovatum, cujus necessitati sit parendum. Si tamen post bienniū bellum non extingueretur, ejusdem Concilii suspensio prorogata esse existimaretur. Atq; ita solutum & dimissum est tunc Concilium Tridentinum ac decem annis continuis cùm propter bellum Germanicum ab Alberto Marchione Brādeburgico & Mauritio Saxone contra Pontificios primùm, dein adversus seipsos susceptū pro Germaniæ statu rectiùs componendo, tum Gallicum inter Regem Henricum II. & Cæsarem Carolum V. Philippúmq; ejus filium Hispaniarum regem flagrātissimè gestū, donec pius IV. pontifex anno 1560. electus est, interruptum fuit. Sleidanus lib. 23. & 24. Gentilletus lib. 2. & 3.

Progressus Concilii Tridentini.

Per hoc autem decennium, etsi non modò ab anno 1555. in comitiis Imperialibus Augustæ à Rege Ferdinando, Caroli Cæsaris fratre, tum hujus nomi-

ne

ne, tum ex aliorum Principum, Præsulum & Civitatum Imperialium sententia, *libera religionis orthodoxa exercenda facultas per Germaniam daretur, verùm etiam odor Spiritus sancti Euangelii homines in Gallia, quàm magis magisq́, afflaret*, unde publicè privatimque tam libellis excusis, quàm concionibus viva voce habitis Pontificii suorum errorum etiam magis ac magis admonebantur, atque ad horum emendationem invitabantur: tamen Pius ille recens factus Papa cum suis Pōtificiis nihil inde se ac Romanam Ecclesiā corrigi est passus, sed potiùs summè fuit offensus, ut ei rei etiam obviam ire decreverit, ne religionis incrementum latiùs serperet. Duæ itaque rationes ad id opportunæ Papistis visæ sunt: *una quidem armorum*, præsertim in Gallia, ubi pacata nonnihil Germania, hæc liberiùs & acriùs usurpari possent: *altera Concilii Tridentini peragendi, finiendiq́*, quod & anno 1561. ad Paschatis festum ideo Papa indixit, sed ea postea indictio ad mensem Januarium anni sequentis 1562. protracta est.

Oratio Pauli Guidelli contumeliosa.

Néve de sua in tuendis suis errorib. è Dei verbo ab Euangelicis detectis, pertinacia, quam ipsi constantiam & perseverantiam vocabunt, aliquid remisisse viderentur Pontificii, paulò ante primā indictionē quidā Paulus Guitellus nomine, & is quidem Tridentinus, orationem habuit, quâ Principes religionis repurgatæ Neroni, Domitianoque æquiparabat, eosque Scythis, Hunnisque & Vandalis posthabebat. *Religionem hanc novam nihil aliud esse, nisi anilia deliria dicebat.* Apostolos eorumque discipulos religionis Christianæ fundamenta super suomet ipsorum sanguine & meritis, tanquam rupe firmissimâ jecisse, indeque accidisse, ut regnum Christi latiùs diffunderetur. *Ecclesiam Romanam omni potestate superiorem esse*, &c. In summa, hujus Oratoris hic fuit scopus, ut & Patrum Concilii, Romanum pontificem & præsules in longe majorem quàm antea authoritatem restituendos, omnésque principes populósque eorum imperio subjiciendos, quemadmodum ex canonibus ab illis sancitis satis supérque evincitur.

Oratio de authoritate Ecclesiæ.

Post secundum Concilii indictionē anno 1562. die Januar. 18. sessione 17. Casparus Fossanus Rhegii Episcopus, oratione de authoritate Ecclesiæ habita, *hanc asserebat sancta Scriptura non inferiorem. Eum qui Ecclesiam non audiat, Deum non audire. Eam esse quæ discrimen ponat inter libros Canonicos & Apocryphos, quæq́, Catholicos ab hæreticis distinguat: quæ fideliter Scripturas interpretetur, utiliáque inutilibus repudiatis amplectatur. Ecclesiam ex fideliū præsulúmque Romanæ Ecclesiæ cœtu conflatā esse: eamq́, errare non posse, quia sancti Spiritus luce per Christum caput suum illustretur.*

Ecclesia Catholica quæsit Papistis.

Eum, qui Ecclesiæ decretis non acquiescit, ipsi Christo repugnare, proq́, Ethnico & Publicano habendum esse. Eos audiendos non esse, qui respuant ea, quæ in Conciliis definita, semel & à sede Apostolica confirmata sint. Nunquā revocata fuisse, quæ semel in Concilio super fidei dogmata statuta fuissent: sed ea tantùm quæ ad mores & ceremonias pertinerent, quæ pro varia locorum temporumq́, ratione immutari possint. Ecclesias Græcas omnes ab Apostolis institutas in errores incidisse: sed solā Ecclesiam Romanam nullo errore fuisse depravatam. Portas inferorum, hoc est, *hæreses, adversus eam nihil unquam potuisse. A*

congregatione generali orationem habuit; *Quâ primùm de temporum calamitatibus ex opinionum de religione varietate natis conquestus, totum Christiani nominis orbem à Concilio, solum & verum tanti mali remedium exspectare affirmabat. Nec posse revera negari dicebat humana imbecillitate & Præsulum negligentia, nec non etiam vera religionis contemptu, multa in Ecclesiam irrepsisse, quorum alia prorsus abroganda sint, alia verò lenienda. Quemadmodũ autem* (inquiebat) *accusandi sunt, qui omnes omnino ceremonias (religionis auxiliares comites) privata sua authoritate repudiant; ita & ex adverso peccare quidem possumus in iis erroribus mordicus retinendis, qui jam inde à multis seculis & longa temporum serie recepti sunt & comprobati. Multa sanè communi omnium concordiæ ac paci indulgenda sunt, neque hoc quisquam à sua dignitate & constantia alienum reputare debet, siquidem potiùs aliis laxare maluerit, quàm pertinaciter dissensionem ac errores inter Christianos fovere,* &c. His & similibus verbis iste Gallicus Orator persuadere enitebatur Patribus Tridentinis, universo orbi Christiano ut in constituẽda rectè religione ac doctrina consulerẽt destinatis, remedium aliquod his tantis de religione controversiis adferri posse, si imprimis errores in Ecclesia invectos Patres agnoscerẽt, eosque verbi divini gladio resecari paterẽtur, ut & posteà in peroratione subjecit: *Sed ista parum grata surdis omnino aurib. Patres prætervolârũt.* Gratias tamẽ Regi de propensa erga Conciliũ benevolentia egerunt, quam Episcoporum ac Legatorum missione demonstrâsset. Gentilletus lib. 4.

Spretis igitur omnibus moderatis, piis, necessariis, utilibúsque ad præstãdam in Ecclesia Romana errorum correctionem adhortationibus & admonitionibus, Patres Tridentini re subversa potiùs in damnandis religionis reformatæ atque orthodoxæ dogmatibus occupabantur, & in Gallia ab adversariis hujus religionis Romanæ doctrinæ deditis bellum contra eos, qui eam amplectebantur, magna animorũ acerbitate gerebatur. Quibus discordiis ab utraq; parte augescente, de Cõsistorii Regii consilio Carolus Lotharingus Cardinalis, cum novem Episcopis tribúsque Abbatibus Tridentum mense Novembri contendit, ut rogaret Patres, vera componendarum religionis controversiarum remedia quærat, atque seriò adhibeat. Sed Cardinale hoc ad Concilii nutum magis quã veritatis rationem sua studia accõmodante, Rex datis Reginaldo Ferrereo Curiæ Parisiensis Præsidi, Legato suo, peculiaribus mandatis, eum pleniùs rectiúsque regiam suam voluntatem Synodo aperire voluit. Ferrereus itaque, postquam Cardinalis dicendi finẽ fecisset, inter alia sic Patres affatus est: *Si Rex privatum suum, suorúmve subditorũ commodum venaretur, posse intra triduum eos, qui defecissent à Pontificis imperio, ad hujus obsequium ab illo reduci. Regem verò Galliamq; totam ea tantùm à Patribus petere, quæ nec possint, nec debeant denegari, quæque universus Christianus orbis expetat, & quæ jam olim Constantinus Magnus Imperator à Patribus Synodi Nicenæ I. impetraverit: Nempe ut religionis controversia ex libris sacris Bibliorum, & veteribus Conciliis canonibúsque Ecclesia dijudicentur. Regem quoque Ecclesia Catholica primogenitum postulare, ut ea in integrum restituatur, atque ut* Dei

Actio de reformatione Ecclesiæ Papisticæ per Ferrereum Curiæ Parisiensis præsidem instituta.

recuperet, sin secus planè actum est de nobis. Quæ quatuor capita ab hoc Doctore recitata ejusmodi sunt, ut si primum de inquisitione adimas, reliqua tria non sint respuenda. Nam ad errores Romanæ Ecclesiæ resciscendos, è tenebris producendos, redarguendosque, puritatem verò repurgatarum è verbo Dei Ecclesiarum conspiciendam, amandam, recipiendamque plurimum facerent. Tacita igitur approbatione & significatione, nostrorum remediis ad sananda Ecclesiæ ulcera propositis consentanea, ac ideo nec rejicienda esse ille Doctor innuit.

Oratio de tribus hæreses radicibus.

Sequutus eum sequenti anno 1563. Calendis Januarii, Robertus Fornerius, Canonicus Ambianus, maximè quidem aculeatam orationem adversus amplexos veram religionem habuit, sed tandem hac suosmet Pontificios pupugit. Nam eos, qui à Romana religione sunt alieni, Simoni Mago, ejusque discipulo Menandro, & Manichæis adæquabat, triaque illis criminina, videlicet *avaritiam, ambitionem & carnalem luxuriam* impingebat. Affirmabat autem ad extirpandam hæresim, inprimis tres istas radices, à quibus hæresis pullulasset tradicitus evelli oportere. Postea hæc ipsamet verba in suos (sive consultò, sive imprudens) regerebat, taliaque subjiciebat: *Hoc tamen Patres bona cum vestra venia dixero. Apostolorum successores, & Christi inter Deum & homines Mediatoris vicarios, jam tanta luxuria, tantaq; ambitione & avaritia flagrare, ut maximè timendum sit, ne illos diutiùs Dei vindicta, ejúsque longanimitas & patientia, sustinere non possit.*

Eo ipso die Caspar Cardillus Doctor Hispanus Segobiensis affirmabat prolixa oratione: *Eos, qui Concilio detrahunt, id facere ut suarum hæreseon confutationem, morúmque suorum emendationem effugiant. Concilium esse Dei, aciem formidabilem, ad convincendas blasphemias, impiorúmque mendacia, & si modò persuasissimum habuerimus, Christum in eo cum sancto Spiritu præsidere. Quæcunque decreta in eo sancirentur, non magis posse sine infamia perfidiaq; nota in dubium revocari, quàm firmissima sunt & rata, quæ ab ore Dei proficiscuntur, oracula, dummodò omnia legitimè & ordine fiant,* hoc est, *ex Pontificis consensu & authoritate, utpote summo Pastore & Christi vicario.* At tale certè Concilium Tridentinum fuisse compertissimum est. In eo enim omnia ex Romani pontificis authoritate & nutu decreta sunt.

Oratio in Concilii laudem.

Oratio de prælio ad Druidas Evangelicis adverso 19. Decemb 15. 62. gesto.

SEXTO ejusdem mensis Januarii die nuncio Tridentum perlato de victoria Druidēsi, quam Condæus princeps contra Caroli regis Galliæ IX. & Guisiorum copias initio obtinuit, postea vere rursus amisit, Franciscus Belcarus, Episcopus Metensis, apud patres Tridentinos concionem lætitiæ & exultationis plenum habuit, præsertim quòd repurgatæ religionis assertores eâ fusi fugatique essent.

Oratio Præsidis Ferrarii illam arguēs, & novam de errorib. è sacrorum librorum fonte emendandis admonitionē proponens.

Sed in eadem congregatione Reginaldus Ferrerius Majestatis Regiæ Legatus longè aliam concionem habuit. Docuit enim, *Patres nullam ex ea victoria lætitiæ occasionem jure arripere posse & debere. Ecclesia enim Romana adversarios nondū prostratos esse. Christianos hujusce nostri temporis non esse ejusdem seculi & ingenii, cujus ante quinquaginta annos homines fuerant. Eos, qui moderatâ quâdam & temperata ratione in religionis re, & in receptorum traditionum*

tionum mutatione utendum esse dicant, longè opinione falli, dum in re bona exequenda modum excedi posse putant. Meliorem jam Christianorum partem sacras Scripturas indagare » *& evolvere. Sibi ob hanc caussam mandato* » *Regis injunctum esse, ut à Patribus peteret, quò* » *ad hunc Lydium lapidem omnia Concilii de-* » *creta & statuta exigantur. Decreta enim huic fundamento innixa, ab adversariis nequaquam everti posse. Dominum tepidos istos moderatores respuere ac evomere. In rebus quidem profanis & civilibus huic moderationi rectè locum tribui posse: sed Deum hujusmodi frigidos mediocritatis laudatores aspernari, qui in rebus divinis ad cultum Dei spectantibus tepiditatem damnet ac rejiciat. Re-* » *formationes à Concilio Constantiensi, Basi-* » *liensi, Ferrariensi, Florentino & Lateranensi,* » *antea factas, nihil profuisse, quia eorum de-* » *creta ad hunc lapidem Lydium minimè fue-* » *rant accommodata. Quinimò post horum* » *Conciliorum celebrationem, plurima regna* » *& nationes ab Ecclesia Romana descivisse. I-* » *taque verendum esse, ne ab eadem etiam plu-* » *res deficiant, nî hoc Concilium sua reforma-* » *tionis decreta ex sanctarum Scripturarum præscripto sanciat.* Utilis sanè & gravis admonitio, sed quæ surdis auribus & cum contemtu prætterita explosaque est. Ferunt Ferrerium hoc à Rege præscriptis verbis in mandatis habuisse, *ut suo nomine protestaretur, se Concilium pro irrito & nullius momenti æstimaturum, nisi religionis capita, de quibus controvertebatur, ex sanctis Scripturis definirentur.* Sed ejusmodi protestatio in acta Concilii relata non est. Gentilletus eodem lib. 4. sessionis 24.

Pontifex pacem probat, dummodo integra maneat ipsius & eorum authoritas.

Decimo tertio Aprilis Cardinalis Moronus, Pontificis Legatus frequenti congregatione exposuit, *sibi & collegæ suo à Pontifice mandatum esse, ut inprimis paci cum adversariis transigendæ operam darent: dummodò tamen nihil contra pietatem & sedis Apostolicæ authoritatem concederetur.* Ac sanè ex omnib. Pontificis Legatorumque suorum gestis ad rem hujus Concilii pertinentib. perspicuum est, eos semper ad hunc scopum collimasse, nempe ut summam ejus potestatem assererent, ac proinde errores omnes abususq; Ecclesiæ Romanæ tuerentur. Pontificiam enim amplitudinem imminutam iri credebant, si quid eorum, quæ à Pontifice aut à suis majoribus instituta essent & approbata, aut ab Ecclesia Romana recepta, à Synodi patribus abrogaretur, vel mutaretur, licet quàm optimè emendaretur,

Approbationes decretorum Concilii Tridentini.

Decembris die 3. vicesima quinta & ultima sessio Concilii Tridentini habita est, in cuius decreto 21. Synodus superiora omnia decreta approbavit. Postremò etiam decrevit, ut eorũ omniũ, quæ acta terminataque sunt, confirmatio à Pontifice Pio postuletur.

Concilii Tridentini finis.

Quarto ejusdem mensis die eadem extrema sessio continuata est, quintòque hujus continuationis decreto, *Patres finem Concilio tandem imponendum esse censuerunt, nec diutiùs hæreticos* (Lutheranos, Zuinglianos ac Calvinistas, quos injuriâ hæreticos à papicolis dici, nulloque modo hæreseos ullius convinci posse libro primo docuimus & comprobavimus) *expectandos, utpote qui toties securitatibus oblatis vocati fuissent* (sed non justis nec legitimis, sed mancis, mutilis, insidiosis, fallacibusque tantum diplomatibus, sive fidei publicæ ac salvi cõductus literis & formulis, quasi decipulis & nassis) *diutissiméque expectati, nec dum tamen venissent.* Quod apertè fal-

sum

sum est, ut superius suo loco demõstravimus, ubi narravimus, eò Joh. Brentium & Virtenbergicos, ac aliquot alios Theologos Euangelicos Tridentũ venisse, Melanchthonemque & alios Theologos Tridentum iter dirigentes repertos fuisse: sed nequaquam illis ad certamen de suæ confessionis purioris articulis subeundum aditum à Tridẽtinis patribus patefactum esse. *Meritò itaque eos à Concilio damnatos, explososq́, anathemate illorum errores* (pios ritus, dogmataque pura, sana & salutaria, utpote sacris literis per omnia congrua) *veraq́, fidei Catholica* (Cacolicæ) *dogmata* (errata & somnia ac figmẽta) *sancita fuisse.* Itaque omnes Principes hortantur, *ut hujus Concilii decreta ab hæreticis* (orthodoxis) *violari aut corrumpi* (emendari) *patiantur, quin potiùs eos caterósque omnes ad eorum observationem adigant. Si qua autem in receptione hujus Concilii difficultates suboriantur, quæ interpretatione indigeant, ei rei à Romano Pontifice prospectum iri, evocatis aliquot è provinciis, unde ejusmodi difficultates nascentur, pro ut gloria Dei & Ecclesia paci expedire animadvertet.*

Oratio de bono Patrũ Tridentinorum consensu. Definitis autem peractisque omnibus, suggestum conscendit Hieronymus Ragazonus, Episcopus portativus Nazianzenus, qui orationem habuit, quâ Concilii summam exposuit. Deinde *illud absque ullis præsidiariis militibus habitum fuisse dicebat, in finibus eorum, quorum caussâ convocatum fuisset, ad quos fidei quoque publica diplomata, eâ quâ præscribere voluerunt formulâ* (falsum, ut suprà demonstravimus) *missa fuissent, eóque ut convenirent rogatos, & multum diúque expectatos.* Iterum falsum, uti dictum. *Adeò ut Concilium legitimè convocatum fuisse, & celebratum, negari non possit. Caterùm omnia à nobis* (inquit) *unanimiter definita sunt, quoniam ab iis disceptata, quorum idem est animus, mens eadem, quique ad eundem scopum omnes collimavimus.* Egregia sanè confessio incogitantis ac imprudentis ore elapsa. Nam ex hujus Oratoris testimonio, Patres Tridentini non in judicio legitimo, partibus adversis legitimè auditis, sed in tali conventu decreta ac statuta de doctrina sua & fidei religionisque suæ articulis sanxerunt & stabilierunt, in quo ipsi soli & rei & testes & judices, quod iniquissimum atq; absurdissimum est, fuerunt, sibiq; nullo repugnante, & meliora ac saniora in medium proferente, tam calidum quã frigidum subministrare in deterrimis, gravissimis, ac pestilentissimis erroribus hæresibusque (quibus suprà eos infectos esse docuimus ac probavimus) potuerunt.

Confirmatio Cõcilii. SESQUIMENSE ferè posteà, puta 24. Januarii die, Anno 1564. Papa Pius *Concilii hujus opiniones, sententias, dogmata, definitiones, determinationes, actaque omnia & singula, canonibus ac decretis ejus expressa confirmavit*, confirmatoriis Bullis per omnes Christianorum provincias, quæ ejus parent imperio emissis. Idem lib. 4. examinis Concilii Tridentini.

Jesuitæ pertinacissimi & expeditissimi Papatus defensores. Inde res & caussa religionis Pontificiæ ad JESUITAS, tanquam Triarios, rediit, qui in hunc potissimùm finem à Pontificibus Romanis ab Anno 1540. & 1563. sessione Con. Trident. ultima decreto 16. approbati confirmatique, & à Pontificiis omnis sexus, ordinis, generis, ac conditionis recepti & fortunis peramplis aucti sunt, ut ad ruinam inclinantem sustineant. Hi igitur sese

omnis generis disciplinis atque artibus ab ineunte ætate expoliunt, lectioni & meditationi sacrarum literarum, veterum Patrum, Conciliorum, juris Pontificii ac Cæsarei, Scholasticorumque totos addicunt & consecrant, promptique & exercitati quosvis in certamẽ de religione lacessunt. Sed quid efficiunt? Nulla est doctrinæ & religionis orthodoxæ atque Euangelicæ in reformatis Ecclesiis splendentis ac florentis pars, quam non sophismatibus, paralogismis, argutiis, figmentisque, aut rixis, clamoribus, conviciis, calumniisque obscurare, eludere, in dubiũ vocare, depravare, ac corrumpere possint: è diverso autem nullus error, abususque tam crassus, putidus, impurus, nulla hæresis tam manifesta, insulsa, perniciosa, atque impia, nihil denique tam anile, puerile, insolens, paradoxũ unoquoque verbo à sacrarum literarũ præscripto ac sensu alienum, quod non mirificè palliare, tegere, excusare, verborum lenociniis involvere, rhetoricis coloribus & orationis nitore pingere ac commendare, & tanquã Christianum, purum, orthodoxum, Catholicum, salutique promovendæ necessarium atque utile insinuare, vel obtrudere queant.

Verùm in ipsorum tanto támq; fervénti & expedito Pontificiæ doctrinæ ac religionis patrocinio per viros ab nostris partibus omnium doctrinarum peritissimos, laborum patientissimos, periculorum tolerantissimos, veritatis scientissimos, in commẽtis, sophismatis, strophis, paralogismis, elenchis, ac captiunculis cum animadvertendis solertissimos, tum confundendis, refutãdis, propulsandisque diligentissimos ac fortissimos, quotidie magis magisq; errorum, abusuum, hæresumq; rei convincuntur. Nec est quicquam eorum, quæ vel contra doctrinam nostram reformatam, vel pro doctrina sua ac religione depravata Jesuitæ scribunt, cõmentantur, concionantur, loquuntur, disputant, denique laborant & tentãt, quod non à nostris, ut necessariò, si liberè simul ac solidè redarguatur, & ita ad verum sacræ Scripturæ lapidem Lydium exigatur atque examinetur, ut quatenus bonum, pium, orthodoxum, Christianum, Catholicum, recipiendumque sit, clarè elucescat, vel quatenus malum, impium, falsum, blasphemum, à Catholica & Christiana veritate abhorrent, hæreticum, fugiendum denique atque execrandum sit, evidenter omnibus innotescat. Quod tam accuratè ac certò fieri solet, ut etiã doctissimi, acutissimi, eloquentissimi, exercitatissimi, invictissimique Jesuitarum ac pontificiorum, quales Ecclesia Romana nunquam habuit, nec habitura in posterũ est, ut Thom. Stapletonus, Nicol. Sãderus, Surius, Danæus, Harding. Gretserus, Bellarminus aliiq; hujusmodi, disputationes, conciones, tractatus, libresque suos nostrorum opera ac studio diligenti, dextrã, eruditã piã, solidaque vel responsione ac refutatione solvi & revinci, vel explicatione & institutione corrigi ac perpurgari vel commonefactione in viam rectam revocari sentiant. Et qui dominari in scholis controversiarum & suggestibus seu Cathedris Ecclesiarum apud pontificios visi sunt, existimatique quod tanquam machinis & tormentis bellicis

cis omnia nostræ reformatæ religionis ac doctrinæ fundamenta, suis scriptis uno ictu labefactare & disjicere possint, eos ita nostrorum libris oppositis reprimi ac prosterni omnes perspiciũt, ut ipsos pro Theologis tantùm Thrasones fuisse, ipsorum argumenta ac rationes ampullas extitisse, denique omnes suas gloriationes & minas in meras nugas & fumos evanuisse appareat atque constet.

Num verò quicquam his movētur? num emendantur? num cedunt? num amore sincerioris doctrinæ atque religionis inflammantur? num aliquos hujus eò magis studiosos reddi sinunt? Minimè omnium. Sed tanquam purissimè Catholici & Christiani, verissimeq; orthodoxi, imò quasi ipsi sint victores & superiores, non modò semet longissimè ab omni meliore institutione ac salubri emendatione removent, verùm etiam alios planè ab ea arcent. Quin omne suum ingenium, acumen, eruditionis copiosæ & admirabilis põdus, tempus, studium denique eò conferunt, ut homines vel in erroribus avitis detineant, vel ad abjectos revocant.

Axiomata Jesuitarũ. Acsi in argumentis & rationibus suis non satis è Scriptura sacra subsidii sese habere animadvertunt, quatuor illis sunt singularia axiomata, ad quæ tanquam propugnacula firmissima & tutissima, universæ religionis atque doctrinæ Pontificiæ authoritati exercitationique defendendæ ac conservandæ maximè idonea, confugere per se & cũ aliis solent. Primum est, quòd de TRADITIONIBUS folio 230. Censuræ Coloniensis disputant: *Ea, quæ sub titulo & prætextu traditionum Ecclesiæ obtruduntur, licet ex Scriptura probari non possint, habere tamen parem authoritatem, & eadem fide esse credenda, sicut illa, quæ manifesta habent in Scriptura testimonia.* *1. De traditionum authoritate.* Quia verò ex nullo scripto, cujus certa & indubitata sit authoritas, probari potest, quænam traditiones sint verè Apostolicæ, inventum est ab illis & eorũ similibus hoc artificium. *Nunc post tot Concilia non esse disputandum de traditionibus, sed simpliciter credendum sine ulla probatione, quòd sint verè Apostolica, quæ ab Ecclesia Romana sint receptæ, quamvis manifestè pugnent cum Scriptura.* Hoc est unum valdè bonum axioma & pontificiis percommodum, ut primùm tollatur regula sanctissimi Apostoli Pauli: *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Et illa *1. Thess. 5. 19. 21.* sancti Johannis Apostoli 1. epist. cap. 4. ꝟ. 1. *Dilecti, ne cuivis spiritui credatis: sed probate spiritus, an ex Deo sint. Nam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Sed quam inconveniens sit, probat Sibrandus Lubertus de Conciliis lib. 3. pag. 10.

Secundum axioma est fol. 127. *Romanorum Pontificum perpetuam successionem apertum indicium esse Ecclesiæ Catholicæ & fidei Apostolicæ.* *2. De Ecclesia authoritate.* Fol. 240. *Penes Ecclesiam*, inquiunt, *est, quædam etiam in sacris literis expressa commutandi authoritas, nonnulla restituendi par facultas. Ac proinde non minor illi, quàm expresso Dei verbo vindicanda est authoritas.* Quod alterum axioma prosternit ipsum fidei Christianæ caput atque Magistrum summum, sive Principem, nempe Christum, qui Johannis 10. ꝟ. 27. ait: OVES *meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequũtur me.* Ac versu 5. *Alienum autem nequaquam sequentur, sed fugient ab eo; quia non*

nôrunt vocem alienorum. Nec minus confundunt & abrogant hoc D. Pauli Apostoli dictum, imò mandatum disertum & divinum: *Sed etiam si nos, aut Angelus è cœlo euangelizet vobis præter id, quod euangelizavimus vobis, anathema sit. Ut ante diximus, etiam nunc iterum dico; Si quis vobis euangelizaverit præter id, quod accepistis* (scilicet ab Apostolis) *anathema sit.* Et quid tandem est tam paradoxum, crassum, insulsum, futile, putidum, ridiculum, inane, absurdum, ineptum, hæreticum, impium & blasphemum, quod duobus istis axiomatibus non possit absque omni negotio probari, si valere deberent? Nam quicquid est errorum & superstitionum, quicquid ullas ineptias, fabulas, somniaque continens, quicquid absurditatē, futilitatem, impietatem, hæresin blasphemiamque aliquam redolens, quod ex Scriptura divina nullo apice potest demonstrari ac probari, si objiciatur etiam, quod cum Scriptura pugnet: tamen his prætoriis & dictatoriis axiomatibus ratum fieri, ac fide dignum reddi potest, si respondeatur & dicatur: *Traditio est: Ecclesiæ institutum, decretum, definitio & determinatio est.* Et addatur Aristotelis regula: Contra negantem hæc principia, non est disputandum. Sed luculentissimè à Kimedōtio, Witakero & Luberto de sacræ Scripturæ authoritate contra Traditiones agentibus refutatur.

Gal. 1. 8. 9.

Tertium axioma Jesuiticum est: *Magistratus politicus planè non debet curare, qualis doctrina populo proponatur: sed hoc relegandum est ad solos Sacerdotes. Magistratus verò officium hoc tantùm est (quo ad religionis negotium) ut in eos, quos Pontifices pœna percellendos putant, animadvertat. Imò etsi magistratus sentiat, quosdam errores & abusus in rebus Ecclesiasticis irrepsisse, non tamen illi licet, nequidem per pios ministros veram reformationem juxta canonem verbi Dei instituere: sed Sacerdotes benignè admoneantur. Quod si admonitionibus nihil efficitur, summus est aliquis in Ecclesia Præsul, ei deferendum est id negotii.* Ita illi in articulo 12.

3. De secularium vel laicorum obedientia simplici.

Quartum & ultimum Jesuitarum axioma est: *Si quis doctrinam Pontificiam examinet ad regulam verbi Dei, & videns eā dissentire, si contradixerit, ferro aut igne è medio sustollatur. Ita enim pax & tranquillitas poterit conservari.* Et dicunt fol. 136. *Si Lutherus ante annos quadraginta ferro & igne sublatus fuisset, aut alii è medio sustollerentur, ita demum exoptata Ecclesiæ pax restitueretur.*

4. De perdendis illis qui obedientiam simplicem non præstant Ecclesiæ Romanæ.

Hoc autem verè hæreticum esse, illustri exemplo veteris Ecclesiæ comprobatur. Nam *Constantinus* Imp. auctoritate regia Arrianam hæresin stabilire conatus est, omnique vi ac severitate in eo usus. Sic etiam non modò Magistratus hinc inde politici, verùm inprimis Hispaniæ rex in hoc à Pontifice Romano & Concilio Tridentino designatus est. Isque vi adigit Christianos ad hæreses in Papatu inveteratas, omnique supplicio à vera fide purioris Euangelii Christi deterret. Constantinus verò & Arriani suam hæresin non agnoscebant, sed pro Catholicis & Orthodoxis videri volentes, verè Catholicos & Orthodoxos nominabant hæreticos & Homousianos. Ita rex Hispaniæ & Papistæ non agnoscunt suas hæreses à vetustis hæreticis profectas, sed pro verè Catholicis & Orthodoxis haberi studentes, Euangelicos verè Catholicos

Hispanus hæreses ut olim Constantius Imp. stabilit & obtrudit.

Socr. lib. 1. cap. 24. August. epist. fundament.

tholicos & Orthodoxos pro hæreticis habent, hæreticos appellāt, ac tanquam convictos hæreticos persequuntur, & à doctrina orthodoxa ad traditiones humanas ac hæreses compellere connituntur. Hinc si Athanasius nunc viveret, immensam Pontificis Romani tyrannidem verè velut *prodigiosam, Antichristianam, & ipsam desolationis abominationem* execraretur. In epist. ad solitariam vitam agentes.

Hæc tamen est fortis munitio contra gladium Spiritus, ut etiamsi totius mundi justissimæ querelæ testentur, & videant, errores hæresesque manifestas in Ecclesia non modò serpere, verumetiam grassari, & *Papam multa millia animarum ad infernum præcipitare: nemo tamen ausit dicere, quid facis?* juxta cap. si Papa, Extravagant. distinct. 40. Si autem ausit conqueri, erroribus contradicere, ac medelam quærere, statim ad obedientiam & subjectionem simpliciter adigatur, aut hac negata ferro flammisque è medio tollatur.

Ex quibus omnibus constat, quantâ & quàm præfractâ horrendâque pertinaciâ Pontificii nec ullos in sua doctrina, fide, religione Ecclesiaque errores & hæreses agnoscant, neque illarum se convictos unquam aut convinci posse fateri velint: sed etiamsi earum accusentur, arguantur atque convincantur: tamen omnes ac singulas sub Catholicæ & fidei & Ecclesiæ prætextu servent, propugnent, propugnareque studeant. Quis igitur dubitet, ipsos esse eos, de quibus ipsorummet charissimi & fidelissimi servi dicunt, ac scribunt: *Hæretici sunt, qui contra fidem Catholicam cum pertinacia errores tuentur?*

Ac multa certè de industria prætervecti sumus, quibus Pontificios verè hæreseos reos esse probare potuissemus, si ad examen disceptationemque revocassemus. Nec pauca ad manum fuêre, quibus eorum pertinaciam impudentissimam, audacissimam, confidentissimam, securissimam, dirissimam, projectissimamque, quæ nullis vel rationibus & argumentis sanis, vel divinæ iræ ostentis horribilibus frangi, expugnari, vincique potest, valuissemus ampliùs ob oculos ponere. Sed brevitati orationis, quantum potuit fieri, consultò studuimus. Si autem & hanc non ex omnium sententia assequuti sumus, considerent atque expendant æqui Lectores obsecramus, num non satius fuerit, ut paulò copiosiùs omnia, quæ ad hanc caussam pertinere visa sunt, annotaverimus, quàm ut è præcipuis ac necessariis aliquid prætermissum sit, quum hæc maximè in tanta caussa sectari, scrutari, enucleare, exponereq; pro virili nostra voluerimus. Conclusio.

DE

nôrunt vocem alienorum. Nec minus confundunt & abrogant hoc D. Pauli Apostoli dictum, imò mandatum disertum & divinum: *Sed etiam si nos, aut Angelus è cœlo euangelizet vobis præter id, quod euangelizavimus vobis, anathema sit. Ut ante diximus, etiam nunc iterum dico; Si quis vobis euangelizaverit præter id, quod accepistis* (scilicet ab Apostolis) *anathema sit.* Et quid tandem est tam paradoxum, crassum, insulsum, futile, putidum, ridiculum, inane, absurdum, ineptum, hæreticum, impium & blasphemum, quod duobus istis axiomatibus non possit absque omni negotio probari, si valere deberent? Nam quicquid est errorum & supestitionum, quicquid ullas ineptias, fabulas, somniaque continens, quicquid absurditaté, futilitatem, impietatem, hæresin blasphemiamque aliquam redolens, quod ex Scriptura divina nullo apice potest demonstrari ac probari, si objiciatur etiam, quod cum Scriptura pugnet: tamen his prætoriis & dictatoriis axiomatibus ratum fieri, ac fide dignum reddi potest, si respondeatur & dicatur: *Traditio est: Ecclesia institutum, decretum, definitio & determinatio est.* Et addatur Aristotelis regula: Contra negantem hæc principia, non est disputandum. Sed luculentissimè à Kimedôtio, Witakero & Luberto de sacræ Scripturæ authoritate contra Traditiones agentibus refutatur.

Gal. 1. 8 9.

Tertium axioma Jesuiticum est: *Magistratus politicus planè non debet curare, qualis doctrina populo proponatur: sed hoc relegandum est ad solos Sacerdotes. Magistratus verò officium hoc tantùm est (quo ad religionis negotium) ut in eos, quos Pontifices pœna percellendos putant, animadvertat. Imò etsi magistratus sentiat, quosdam errores & abusus in rebus Ecclesiasticis irrepsisse, non tamen illi licet, nequidem per pios ministros veram reformationem juxta canonem verbi Dei instituere: sed Sacerdotes benignè admoneantur. Quod si admonitionibus nihil efficitur, summus est aliquis in Ecclesia Præsul, ei deferendum est id negotii:* Ita illi in articulo 12.

3. De secularium vel laicorum obedientia simplici.

Quartum & ultimum Jesuitarum axioma est: *Si quis doctrinam Pontificiam examinet ad regulam verbi Dei, & videns eã dissentire, si contradixerit, ferro aut igne è medio sustollatur. Ita enim pax & tranquillitas poterit conservari.* Et dicunt fol. 136. *Si Lutherus ante annos quadraginta ferro & igne sublatus fuisset, aut alii è medio sustollerentur, ita demum exoptata Ecclesia pax restitueretur.*

4. De perdendis illis qui obedientiam simplicem non præstant Ecclesiæ Romanæ.

Hoc autem verè hæreticum esse, illustri exemplo veteris Ecclesiæ comprobatur. Nam *Constantinus* Imp. auctoritate regia Arrianam hæresin stabilire conatus est, omnique vi ac severitate in eo usus. Sic etiam non modò Magistratus hinc inde politici, verùm inprimis Hispaniæ rex in hoc à Pontifice Romano & Concilio Tridentino designatus est. Isque vi adigit Christianos ad hæreses in Papatu inveteratas, omnique supplicio à vera fide purioris Euangelii Christi deterret. Constantinus verò & Arriani suam hæresin non agnoscebant, sed pro Catholicis & Orthodoxis videri volentes, verè Catholicos & Orthodoxos nominabant hæreticos & Homousianos. Ita rex Hispaniæ & Papistæ non agnoscunt suas hæreses à vetustis hæreticis profectas, sed pro verè Catholicis & Orthodoxis haberi studentes, Euangelicos verè Catholicos

Hispanus hæreses ut olim Constantius Imp. stabilit & obtrudit.

Socr. lib. 1. cap. 24. August. epist fundament.

th olicos & Orthodoxos pro hæreticis habent, hæreticos appellāt, ac tanquam convictos hæreticos persequuntur, & à doctrina orthodoxa ad traditiones humanas ac hæreses compellere conniruntur. Hinc si Athanasius nunc viveret, immensam Pontificis Romani tyrannidem verè velut *prodigiosam, Antichristianam, & ipsam desolationis abominationem* execraretur. In epist. ad solitariam vitam agentes.

Hæc tamen est fortis munitio contra gladium Spiritus, ut etiamsi totius mundi justissimæ querelæ testentur, & videant, errores hæresesque manifestas in Ecclesia non modò serpere, verumetiam grassari, & *Papam multa millia animarum ad infernum præcipitare: nemo tamen ausit dicere, quid facis?* juxta cap. si Papa, Extravagant. distinct. 40. Si autem ausit conqueri, erroribus contradicere, ac medelam quærere, statim ad obedientiam & subjectionem simpliciter adigatur, aut hac negata ferro flammisque è medio tollatur.

Ex quibus omnibus constat, quantâ & quàm præfractâ horrendâque pertinaciâ Pontificii nec ullos in sua doctrina, fide, religione Ecclesiaque errores & hæreses agnoscant, neque illarum se convictos unquam aut convinci posse fateri velint: sed etiamsi earum accusentur, arguantur atque convincantur: tamen omnes ac singulas sub Catholicæ & fidei & Ecclesiæ prętextu servent, propugnent, propugnareque studeant. Quis igitur dubitet, ipsos esse eos, de quibus ipsorummet charissimi & fidelissimi servi dicunt, ac scribunt: *Hæretici sunt, qui contra fidem Catholicam cum pertinacia errores tuentur?*

Ac multa certè de industria prætervecti sumus, quibus Pontificios verè hæreseos reos esse probare potuissemus, si ad examen disceptationemque revocassemus. Nec pauca ad manum fuêre, quibus eorum pertinaciam impudentissimam, audacissimam, confidentissimam, securissimam, dirissimam, projectissimamque, quæ nullis vel rationibus & argumentis sanis, vel divinæ iræ ostentis horribilibus frangi, expugnari, vincique potest, valuissemus ampliùs ob oculos ponere. Sed brevitati orationis, quantum potuit fieri, consultò studuimus. Si autem & hanc non ex omnium sententia assequuti sumus, considerent atque expendant æqui Lectores obsecramus, num non satius fuerit, ut paulò copiosiùs omnia, quæ ad hanc caussam pertinere visa sunt, annotaverimus, quàm ut è præcipuis ac necessariis aliquid prætermissum sit, quum hæc maximè in tanta caussa sectari, scrutari, enucleare, exponereq; pro virili nostra voluerimus. Conclusio.

DE



DE HODIERNIS HÆRESIBUS ET HÆRETICIS,

PARTIS SECUNDÆ,

LIBER QUINTUS.

HARTMANNO SPRINGLIO Auctore.

CAP. I.

De argumento, methodo & usu hujus libri.

A capite in corpus hæreses defluxisse.

NON est autem mirum, totum corpus Papatus, sive regni Pontificii, esse hæresib. adeò inquinatum: nam ipsum caput ejus visibile, quo gloriantur, nempe Papa Romanus, non rarò fuit manifestè Hæreticus, aut saltem Hæreticis favens, eorumque dogmata sua auctoritate confirmans: aut fidei Christianæ abnegator, quod gravius & teterius est hæretico: aut à suismet asseclis & subditis hæreseos accusatus, Hæreticusque vocatus & convictus: aut etiam nunc hæresibus prima & secunda parte hujus operis recitatis deditus. Unde à capite tali, in corpus ipsum etiam tale malum defluxit, quod præsenti libro declarare institui, divinâ gratiâ adspirante.

Ut autem aptè utiliterq́, hoc ostendam & comprobem, nõ ingrediar magnum illud pelagus disputationum de capitibus doctr. nç hodie controversis, ne quæstiones & demõstrationes multiplicentur in infinitum, néve superioribus libris acta & demonstrata cum nausea & molestia repetam: sed historiarum & veterum Scriptorum testimonia accersam, atque in medio sistã, quos negare nemo à corrupta mente alienus poterit, aut si negaverit, rationibus se convinci omnino pati debet. Quare negantium quoque ullo modo argumentis productis, ea non tam cuique ponderanda proponam, quàm solidè, ut spero, nostrâ curâ & operâ examinata redarguam, & è septis Ecclesiæ verè Catholicæ, cujus est veritatem sophisticâ explosâ unicè sectari, longissimè expellam. Postremò, præcipuum usum & finem totius hujus tractationis, ad quem singula referri debeant,

nempe

nempe Papam tum errare, ac proinde non summum doctrinę & fidei esse Judicem, tum caput Ecclesiæ minimè visibile ac certum esse, ac per consequens omnes Christianos ab ejus imperio discedere posse & debere, breviter strictimque subjiciam.

CAP. II.

Dissensio Pontificiorum de eo, utrum Papa possit esse Hæreticus & Hæresin docere?

EXpedire autem videtur, antequam hanc rem aggrediar, caput ipsum Romanæ Ecclesiæ, nempe Papam esse hæreticum, ut paucis exponam bellum Papisticum, inter summos regni Pontificii vindices exortum propter hanc ipsam quæstionem, an Papa possit esse hæreticus & hæresin docere? quod etiamnum ęstuantibus animis inter ipsos geritur.

Papistæ accusando nos hæreseos ob nostras dissensiones de doctrina, se ipsos ejus reos faciunt contradictionibus suis de Papa.

Nam inter cæteras veræ & Catholicæ Ecclesiæ notas, quibus & se Catholicos & suam Ecclesiam Catholicam esse Pontificii probare conantur, hoc minimè postremo loco ponunt, quòd omnes ipsi, licet toto orbe dispersi, de omnibus tamē fidei dogmatibus idem sentiant. Vicissim verò nos hæreticos esse, & ad veræ atq; Catholicę Ecclesiæ societatem non pertinere, vel hoc uno argumento ostendere se posse dicunt, quòd de quæstionibus fidei gravissimis multæ ac variæ inter nos dissensiones gliscant. Quocirca non est quidem instituti nostri, hoc loco pluribus tum disputare, an concordia sit veræ Ecclesiæ Christi nota, ac qualis ea esse, qi ó ve fundamento niti debeat, quæ veram Ecclesiæ Christianæ ac Catholicæ notam exhibeat: tum demonstrare, nunquam tam felicem fuisse Ecclesiæ militantis statum, qui multis controversiis exerceretur. Sed istud tantùm in præsenti ostendere lubet, prorsus verum non esse, quod de sua consensione & concordia in doctrina ac fide adversarii tantopere gloriantur. Nam fovet quidem inter illos aliquam consensionis speciem Satan, quia hanc suo regno utilem esse videt. Sed ea prorsus perversa ac pręposterа est, in eo consistens; ut primùm nō alium consensum, quàm unitatem in erroribus & superstitionibus multum inter se pugnantibus, hæresibusque veterum Hæreticorum receptis & consuetudine longo usu confirmatâ suffultis colant. Deinde, ut sub consensus nomine diversis viis ingrediantur, ac per diversas semitas ad cœlos contendant, dum alius Benedicti, alius Bernardi, alius Augustini sectam observat: hi facti osa Franciscanorum, Dominicanorum, Jacobitarum, Johannitarum, Paulinorum, aliorumque nomina ac studia ferunt, illi aliâs vestitu, sacris & ceremoniis inter se differūt: quidam istos Divos invocant, aliqui alios adorant & pro patronis habēt. Adhęc, ut oppresso Christo & fide in hunc extinctâ, Papa Romanus in Ecclesia regnet, Romanæq; traditiones per orbem Christianum primas teneant, quę incautos ad interitum abripiunt. Præterea, ut collusione in diversis adversisque opinionibus factâ, sub concordiæ & consensus velo plurimas & difficilimas controversias mirificis intra se contradictionibus & dissensionibus agitent, dummodo se Ecclesiæ, id est,

Papæ judicio submittant, sicque seipsos inter se magis ac certiùs hæreseos reos faciant, ac totam suam religionem evertant. Etsi autem hoc postremum ex variis ipsorum Pontificiorum scriptis evidenter demonstrare possem, quin tribus libris ad editionem publicam in procinctu positis planissimum (ut spero) faciam: tamen hac una ratione satis demonstrari & evinci à me potest, quòd de eo, utrum Papa hæreticus esse, & hæresin tradere queat, per quam hostiliter quatuor sententiis inter se penitus dissentientibus digladiantur & pugnant.

1. *Pontificem etiam cum generali Concilio posse esse hæreticum.*

Cæterùm, ut hoc ipsis nequaquam falsò effingi certiùs cõstet, testem producam ROBERTUM BELLARMINUM Politianum, acerrimum ipsius Romani Pontificis defensorem, qui libro 4. controversiæ tertiæ generalis de Romano Pontifice id bellum talibus verbis describit post alia multa: *His ita cõstitutis, quatuor tantùm* (sed annon hoc nimis est?) *remanent diversæ opiniones.* Prima *est, Pontificem etiam ut Pontificem, etiamsi cum generali Concilio definiret aliquid, posse esse hæreticum in se, & docere alios hæresin, & de facto aliquando ita accidisse. Hæc est hæreticorum omnium* (bona verba quæso: nam sic vocas orthodoxos, ut priori libro ostendimus) *hujus temporis, & præcipuè Lutheri, qui in libro de Conciliis notavit errores eorum etiam Conciliorum generalium, quæ summus Pontifex approbavit, & Calvini, qui lib. 4 Institut. cap. 7. §. 28. asserit, aliquando Pontificem cum toto Cardinalium collegio manifestißimam hæresin docuisse, nimirum animam hominis cum corpore exstingui, quod tamen manifestum mendacium esse, posteà ostendemus.* Imò ad Calendas Græcas & futilibus prorsum rationibus, ut nos ibi contrà probabimus. *Deinde in eodem libro cap 9. § 9. docet, etiam cum generali Concilio Papam errare posse.*

Hæc sententia hæresis videtur Bellarmino.

2. *Pontificem ut Pontificem posse esse hæreticũ, si absq; generali Concilio definiat.*

Secunda opinio est, *Pontificem etiam ut Pontificem posse esse hæreticum, & docere hæresin, si absque generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidisse. Hanc opinionem sequitur & tuetur* NILUS *in suo libro adversus Primatum Papæ. Eandem sequuti sunt aliquot Parisienses, ut* GERSON *&* ALMAYN *in libris de potestate Ecclesiæ, nec non* ALPHONSUS *de* CASTRO *lib. 1. cap. 2. contra hæreses, &* ADRIANUS VI. *Papa in quæstione de Cõfirmatione: qui omnes non in Pontifice, sed in Ecclesia, sive in Concilio generali tantùm constituunt infallibilitatem judicii de rebus fidei.*

3. *Papam non posse esse hæreticum, etiamsi solus rem aliquam definiat.*

Tertia opinio *est in alio extremo, Pontificem non posse ullo modo esse hæreticum, nec docere publicè hæresin, etiamsi solus rem aliquam definiat.* Ita ALBERTUS PIGHIUS *libro quarto Hierarchiæ Ecclesiasticæ, cap. 8.*

4. *Pontificem non posse ullo modo definire quippiam hæreticum à tota Ecclesia credendum.*

Quarta opinio est *quodammodo in medio, Pontificem sive hæreticus esse possit, sive non, non posse ullo modo definire aliquid hæreticum à tota Ecclesia credẽdum. Hæc est communissima opinio ferè omnium Catholicorum (Pontificulorum) ut* B. THOMÆ *22. quæst. 1. artic. 10.* THOMÆ WALDENSIS *lib 2 doctr fidei, cap. 47. & 48.* JOHANNIS *de* TURRECREMATA *lib. 2. summæ, cap. 109. & seq.* JOHANNIS DRIEDONIS *lib. 4 de Ecclesiast. dogmat. cap. 3. part. 3* CAJETANI *in opusculo de potestate Papæ & Concilii, cap. 9.* HOSII *lib. 2. contra Brentium, qui est de legitimis judicibus.* JOHANNIS ECCII *lib. 1. de Primatu Petri, cap. 18.* JOHANNIS *à* LOVANIO *libro de perpetua cathedra Petri protectione*

protectione & firmitate, cap. 11. Petri à Soto *in Apologia sua part.* 1. *cap.* 83 84. & 85. & Melchioris Cani *lib.* 6. *cap.* 7. *de locis*.

Conciliat Bellarminus Pontificios suos dissentientes.

Videntur quidem hi auctores aliquo modo inter se dissentire: quia quidam eorum dicunt, Pontificem non posse errare, si maturè procedat & consilium audiat aliorum Pastorum: alii dicunt, Pontificem etiam solum nullo modo errare posse; sed revera non dissident inter se. Nam posteriores non volunt negare, quin teneatur Pontifex maturè procedere & consulere viros doctos: sed solùm dicere volunt, ipsam infallibilitatem non esse in cœtu consiliariorum, vel in concilio Episcoporum, sed in solo Pontifice: sicut è contrario priores non volunt ponere infallibilitatem in consiliariis, sed in solo Pontifice. Verùm explicare volunt, Pontificem debere facere, quod in se est, consulendo viros doctos & peritos rei de qua agitur. Si quis autem peteret, an Pontifex erraret, si temerè definiret? sine dubio prædicti authores omnes responderent: Non posse fieri, ut Pontifex temerè definiat. *Qui enim promisit finem, sine dubio promisit & media, quæ ad eum finem obtinendum necessaria sunt. Parum autem prodesset scire, Pontificem non erraturum, quando non temerè definit; nisi etiam sciremus non permissuram Dei providentiam, ut ille temerè definiat.*

Judicium tamen grave fert de illis 4. opinionibus Bellarminus.

Ex his quatuor opinionibus prima est hæretica: secunda non est propriè hæretica; Nam *adhuc videmus ab Ecclesia tolerari, qui illam sententiam sequuntur: tamen videtur omnino erronea & hæresi proxima. Tertia probabilis est, non tamen certa: Quarta certissima & asserenda.* Hactenus ille Jesuita lib. 4. controversiæ 3. generalis de Pontifice Romano, cap. 2. pag. 472. 19.

Verùm gravissimè & perniciosissimè ipsemet Bellarminus in istis errat. Primò enim, si hæretica est prior sententia, quæ est orthodoxorum, statuentium Pontificem etiam Pontificem, etiamsi cum generali Concilio definiat aliquid, posse esse hæreticum & hæresin tradere, tum certè multi etiam ex orthodoxæ antiquitatis Patribus & Scriptoribus veræ piis, atque ex ipsis quoque Pontificiis non pauci hæretici hoc nomine & hac de caussa erunt. Nam hîc agitur de generalibus Conciliis, quorum errores etiam præsentibus Episcopis Romanis sparsi vel commissi, ostendi possunt. Gregorius quippe Nazianzenus in epistola ad Procopium, quæ est 42. ait: *Se omnes Episcoporum conventus fugisse, quòd nullius Concilii bonum & felicem exitum unquam vidisset.* Sed forsan respondebunt adversarii, eum non de Conciliis legitimis loqui. Imò de legitimis. Quis enim non probet Nicænum primum Concilium & Constantinopolitanum primum, quæ ante illius tempora habita sunt, & quibus Romanos Episcopos non modò interfuisse, sed etiam præfuisse ipsi Pontificii gloriantur? Sed quo jure, hîc non disputo. Refutat hoc satis Guilielmus Witakerus controvers. 3. de Conciliis, quæst. 4. cap. 3. Ego tantùm hîc assero etiam duo illa Concilia generalia, Nicænum & Constantinopolitanum, præsentibus quoque Romanis Papis aut ipsorum Legatis erravisse in nonnullis, quod infelix ipsorum exitus teste Nazianzeno arguit. At post illa tamen multò pejus cum Ecclesia actum est, quàm priùs. Possem hîc innumera Arrianorum Concilia proferre, sed illa dicent non fuisse legitima. Proferam ergo unum ex illis

Refutatio Bellarmini de ejus excusatione & judicio super 4. opiniones, an Papa possit errare ac hæresin docere?

Conciliis, quæ ipsi negare non possunt legitima fuisse, nempe Chalcedonense: atque hoc Concilium vel illorum judicio & confessione errasse docebo hac ratione. Si illud Concilium Episcopum Constantinopolitanum Romano Pontifici exæquavit, tum erravit: at verum primum: nam in aliis rebus omnibus exæquavit, præterquam in hac: quòd quum ambo ad Concilium convenirent, Romanus Pontifex primum locum & sedem (in quo immanis Pontificis superbia & planè Antichristiana appatet) fastuosè atque insolenter occuparet, omnia alia authoritatis, honoris, dignitatisq; ac privilegia æqualiter illis concessit, & æqualia illis esse voluit: verum ergo est secundum, nempe Concilium hoc erravisse. Acta res hæc est in Concilio acerrimè, tandem lata sententia est, cap. 28. Ubi decretum alterius generalis Concilii, videlicet Constantinopolitani primi, renovatur (quod etiam Concilium à Papistis probatur) nempe ut Episcopus Constantinopolitanus τὰ ἴσα πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, *æqualia honoris privilegia* habeat cum Episcopo Romano, & ut nova Roma, hoc est, Constantinopolis ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι πράγμασι *in Ecclesiasticis, sicut illa, majestatem habeat negotiis*. Sed hîc disputo ex Adversariorum sententia. Non enim ego existimo, hæc Concilia hac in re errasse, sed Adversarii existimant: qui & non pro simplici errore, sed pro hæresi habent, Pontifici suo Romano sedem in Conciliis primariam denegare. Jam venio ad Concilia recentiora. Atque hîc profero Concilium Constantiense, ubi in sess. 4 & 5. decretum est, *Concilium esse supra Papam*, etsi Pontifex ipse vehementer resistebat. Hunc verò errorem, imò hæresin esse affirmant Adversarii. Ergo Concilia generalia, quæ Ecclesiam Catholicam repræsentant, præsente etiam Pontifice possunt errare & hæresin committere.

Sed quid multa? Augustini de hac re manifesta sententia est in libro 2. de Baptis. contra Donatistas, cap. 3. Concilia etiã plenaria errare posse. Quum enim pressus esset authoritate Concilii Africani, cui Cyprianus interfuit, provocat à Conciliis ad Scripturas, & Scripturis omnia subjicit. De Scripturis ait, non licere dubitare, de aliis omnibus licere. Sic enim scribit: *Quis nesciat sanctam Scripturam Canonicam, tam veteris, quàm novi Testamẽti, certis suis terminis contineri, eamq; omnibus posterioribus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit, utrum verum, vel utrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit. Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum Canonem vel scripta sunt, vel scribuntur, reprehendi licere, & per sermonem fortè sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem authoritatem, doctiorumq; prudentiam & per Concilia, si quid in eis fortè à veritate deviatum est?* Et subjungit præterea, provincialia Concilia posse emendari per plenaria seu generalia & œcumenica, & plenaria priora per posteriora. Verba ejus hæc sunt: *Quis nesciat* (inquit) *ipsa Concilia quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere, ipsáque plenaria sæpè priora à posterioribus emendari: quum aliquo experimento rerum aperitur,*

Augustin.

ritur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat, sine ullo typho sacrilega superbia, sine ulla inflata cervice arrogantia, sine ulla contentione livida invidia, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana? Hæc Augustinus. Et loquitur de rebus fidei, non de facto, sed de jure.

At quis inficias ire poterit, jam per annos plus sexcentos ea fuisse Concilia œcumenica, quibus præfuêre Romani Pontifices, celebrata, in quibus omnino à Conciliis ad Scripturas fuerit provocandum, & Scripturis divinis omnia subjicienda? Atqui licet multi in illis ad Scripturas provocârint, hisque omnia subjicere voluerint, ut præcipuè à Berengario Andegavẽsi Ecclesiæ Diacono in Concilio Romano, sub Papa Nicolao II. anno Domini 1059. & posteà ab Johanne Husso ac Hieronymo Pragensi in Constantiensi Concilio factitatum legitur: tamen hæc Concilia neque illis, neque Scripturis cesserunt. Quod apertè ipsum jus Pontificium Hæreticum esse definit ex S. Hieronymo c. hæresis 24. quæst. 3. ubi scriptum est: *Quicunque aliter Scripturam intelligit, quàm sensus Spiritus sancti flagitat, licet ab Ecclesia non recesserit, tamẽ hæreticus appellari potest*: ut lib. 1. fusè explicavimus.

Adhæc quis ignorat, sæpè intra hos annos & superiores necesse fuisse, ut Concilia plenaria priora à posteriorib. emẽdarentur? Ne longior sim, Constantiẽse sess. 13. excõmunicavit omnes sub utraque specie cõmunicantes, Basiliense verò ses. 30. cõmunicationem sub utraque specie omnibus fidelibus, qui voluerint, concedit. Et talia plura possent exempla cumulari, sed hoc sufficit. Imò qui historiam & acta horum & antecedentium Conciliorum scrutatur, inveniet alterum ab altero, quin & ipsorummet Pontificum alium ab alio non rarò nec obscurè hæreseos fuisse insimulatum, nedum erroris, qua de re copiosiora apud Guil. Witakerum controvers. 3. de Conciliis, quæst. 6. capitibus omnibus invenire licet, ac deinceps etiam in nostra hac tractatione exempla ac testimonia de quibusdam sequentur.

Deinde verò utut Bellarminus istam pugnam Pontificiorum Doctorum, Johannis Gersonis, Jacobi Almayn, Alphonsi dẽ Castro & Adriani VI. Papæ excusare annitatur, sunt tamen eorum opiniones ac sententiæ reverà discordes, & à se invicem peracriter dissidentes. *Excusatio Bellarmini, qua Pontificios quosdam Doctores conciliare studet, frivola.* Quis enim negat, contradictorias has esse sententias, quarum alteram omnino erroneam & hęresi proximam esse indicat: alteram certissimam & asserendam affirmat, Pontificem videlicet, sive hæreticus esse possit, sive non, minimè posse ullo modo definire aliquid hęreticum à tota Ecclesia credendum? Aut cujusmodi rursus hæc est Ecclesia, quę opiniones tam erroneas, hęresique proximas tolerat?

Imò quid, si vel invito Bellarm. demonstretur, Concilia aliquid statuisse, cujus contrarium Papa sentiendum & defendendum putet? Excusat ille iterum hoc tali modo: *Lib. 3. controv. 4. generalis de Conciliis & Eccles. militãt. c. 11.* *Non esse recipienda Conciliorum, licet generalium, decreta ante confirmationem Pontificis: antequam errare illa posse, non diffitetur.* In quo, quod dat, accipimus. Erunt igitur hoc etiam casu veræ contradictiones: Concilii, quod à Papa non confirmatur, & Papæ

non confirmãtis Conciliũ. Verbi caussa, Concilii Basiliensis, statuẽtis Concilium esse supra Papam, & Põtificum id improbantium, ut ipse Je-suita loco in margine annotato commemorat, &c.

Quantam verò hac in parte non libertatem, sed licentiam Pontifices Romani sibi sumant, vel ex eodem loco intelligitur, ubi magnum nobis mysterium Robertus pandit, *ne id quidem ad firmitatem Concilii sufficere docens, si Legati nomine Pontificis ei præsint*. Et additur ratio, apud istos certè homines minimè contemnenda. *Quia tales Legati & Præsides Conciliorum, non sunt revera Pontifices, nec sciunt, quæ sit mens Pontificis*, &c. Cur autem Põtifex suam ipsis mentem non tempestivè aperit, ne propter hanc, quod Concilium ejuscemodi repræsentare dicitur, labantur & errent?

Sed & ipsi summi Pontifices contraria interdum sensisse & docuisse, possunt demõstrari. Cœlestinus enim III. de quo planiora cap. 8. habebimus, docuit, fatẽte ipso Bell. l. b. 4. de sum. Pontif. c. 14. pag. 543. *per hæresin ita matrimonium solvi, ut liceat ei conjugium aliud inire, cujus prior conjũx in hæresin lapsus sit*. Innocentius autẽ III. c. quanto, de divortiis, planè contrarium docuit. Quid igitur hîc erit remedii, ut contradictionem nullam inter ipsos admittere sit necesse? Quid dicemus, ut eos sibi contradicere non appareat. Nam quia contraria docent, alterum falsum alterum verum dixisse oportet, ut fieri nequeat, quin alter errorem aut hæresin docuerit. Liberat eos Bellarminus hoc cavillo, quod ait: *Neutrum aliquid de ea re certi statuisse, sed utrumque, quod sibi probabilius videbatur, respondisse: nec à Cœlestino factum esse decretum planè Apostolicum, & ex cathedra*. Quo ipso loco, ut longissimè latissimèq; hanc excusationem patere non ignoraremus, hæc etiam addit sequentia: *Multa esse in ipsis etiam Pontificum Romanorum Epistolis decretalibus, quæ non faciant rem aliquam esse de fide, sed solùm opiniones Pontificum de ea re nobis declarent*. Quod annon est simplicibus illudere? At bene habet, quoad cordatos. Beavit enim hos Bellarminus, & caussam iis præbuit, de Decretalium Pontificiorum dogmatibus dubitandi tamdiu, donec eos certò doceat, quænam ex illis de fide sint, & quas opiniones tantummodo Pontificum, quas sine animæ & corporis periculo in medio nobis relinquere liceat, declarent.

Pontifices ipsi contraria sibi ipsis docent.

Quæ quum ita sint, firmum certúmque inde efficitur, Ecclesiæ Romanæ doctores hac in re, utrum Papa sit hæreticus, & hæresin docere queat, necne, non leviter inter se dissidere & dimicare. Unde alterutrum horum quoque consequatur necesse est: Aut non esse ex contradictionibus doctorum de Ecclesiæ veritate simpliciter pronunciandum: Aut non propterea hæreticos statim nos Euangelicos & à vera Ecclesiæ communione alienos censendos esse, quia inter nos quoque controversiæ & dissensiones reperiantur. Idque tantò minus, quod nos minimè eas, ut Papistæ solent, fucosis conciliationibus aut frivolis ac putidis excusationibus incrustare & tegere, sed ex una certissima quæstionum omnium de Christiana fide norma, verbo videlicet scripto æterni DEI, judicare, & ab ipsa veritate discernere solemus. Aut sequitur, Papistas esse maximos & verissimos

ſimos hæreticos, utpote qui tanto ob hanc unam quæſtionem de Pontifice Romano, utrum Hæreticus ſit & hæreſin docere poſſit, necne, diſſidio inter ſe ſunt diſtracti.

CAP. III.

Marcellinum Papam fide Chriſti abnegata graviùs peccaſſe, quàm ſi hæreticus fuiſſet.

HOc autem planius fiet, ſi & ipſa nonnullorum Pontificum facinora ſpectabimus, doctrinamq; perſcrutabimur, ac ampliores tam ipſorum quoque Pontificiorum de iiſdem concertationes ac diſſenſiones, quàm ipſorummet aliorumque de iiſdem opiniones & judicia examinabimus atq; percipiemus.

Marcellini PP. abnegatio fidei. MARCELLINUM certè & civitatis jure & Pontificatus dignitate Romanum literis memoriæque proditum eſt, decima perſequutione poſt Neronem, ſub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, quum à tortoribus ſeu carnificibus urgeretur, pœnarum metu correptum, thuris granum idolis adoleviſſe, ſicque fidem in Chriſtum abnegaſſe, ut vitam corporisque incolumitatem redimeret. Sunt tamen, qui tradant, in ſe ſtatim reverſum, agnito errore, Diocletianum ipſum redarguiſſe, & ad necem pro Chriſti veritate ſeipſum libenter obtuliſſe, fortiſſimeque pugnantem viciſſe, acceptâ anno Domini 303. martyrii coronâ. Quibus adſtipulatur Baptiſta Mantuanus in ſuo Blaſio canens: *Remiſſe ad mentem dicitur.*

At ſcelus id mox erubuit, ſenſuq; recepto,
Incepit damnare Deos, extollere Chriſtum:
Nec mors horribilis viſa eſt, ſed ſponte cucurrit
In medios hoſtes jugulumq; tendit ad enſem:
Fortior ad pugnam poſt ſigna amiſſa reverſus
Victor, & ornatus viridi diſceſſit olivâ.

Quod ſi verum eſt, pudefacit & confutat cæterorum Pontificum idololatriam, eosq; ad ſimilem reſipiſcentiam invitat. Nec non docet, eam Chriſti abnegationem, quæ ex infirmitate aut ignorantia proficiſcitur, neque ex animo abjiciendi Chriſtum, ſed ſicut aliquem ad ſalutem ſibi aditum per veram pœnitentiam patefaciat, non eſſe peccatum in Spiritum ſanctum, quod nunquam remittatur, etſi nihil propiùs ad hoc peccatum accedit, quàm hujuſmodi abnegatio. *Abnegatio Chriſti per infirmitatem.* Idem ergo ei tum uſuvenit, quod S. Petro Apoſtolo, qui reclamante conſcientia & quidem cum execratione Chriſtum ter abnegavit: *Math. 16. v. 68. &c.* ſed ex periculi circumſtantiis horrore, nec judicio mentis cum lingua conſentiente, nec fide illa, pro qua rogarat Dominum, ne deficeret, planè extincta, ſed intus æſtuante, amarè flens ſeſe forâs proripuit, & collegio Apoſtolorũ adjunxit, alioquin ſeſe perſequutoribus Chriſti conſociaſſet. *Luc. 22. 23.* Imò quid de Petro dico, eum poſt abnegatũ quoque ter Chriſtum per reſipiſcentiam fuiſſe ad regnum Dei renovatum? Fatetur S. Paulus Apoſtolus de ſeipſo, ſe blaſphemum fuiſſe in Chriſtum, perſequutoremque violentum ac ſævum, ſed tamen miſericordiam conſequutum, quod ignorans hoc fecerit in incredulitate. *1. Tim. 3. 13.* Ex quo colligimus, etiam ne blaſphemiam quidem & perſequutionem Chriſti, ejusque Euangelii, quę ex ignorantia in infidelitate deſignatur, peccatum in Spiritum ſanctum eſſe, *Mat. 12. 31.*

se, sed remissionem per resipiscentiam & fidem Christo recepto adipisci.

Ab aliis perrexisse in abnegatione traditur. Sed MARCELLINUS Papa ab aliis perseverasse in abnegatione Christi traditur. Etenim eo nomine damnatus est à Synodo Sinuessana: & hoc narrat testis non levis DAMASUS in Pontificali: eiq; e subscribit vir apud Pontificios primarius, NICOLAUS Papa hujus nominis primus, in epistola ad Michaëlem Imperatorem, aliique graves autores.

Abnegatio Christi voluntaria. At minus est in hæresin labi, quàm sic Christum abnegare. Aut quis oculis sanis non videt, Christum ejusque fidem volente & sciente animo abnegare, periculi præsentis vitæ evitandi, aut jacturæ opum declinandæ caussâ, multò gravius & atrocius esse, quàm in hæresin incidere? Hoc enim Math. 10. ỽ. 33. Christus ipse disertissimè affirmat, & certis ex locis sacræ Scripturæ patet, hanc esse peccati in Spiritum sanctum evidentem speciem. Ad Hebræos namque 6. ỽ. 4. *Impossibile est*, inquit Apostolus, *qui semel fuerunt illuminati* (id est, per Baptismum Ecclesiæ adjuncti & Christianismum professi) *gustaveruntq; donum cœleste, atque participes fuerunt Spiritus sancti, gustaveruntq; bonum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi: si prolabantur, ut denuò renoventur per resipiscentiam, ut qui rursum crucifigant sibimetipsis Filium Dei, & ludibrio exponant.* Ac capite 10. ỽ. 26. ait: *Voluntariè*, id est, pleno assensu ac destinato consilio *peccantibus post acceptam cognitionem veritatis, non relinqui pro peccato hostiam.*

Objectio. Adhæc valdè rationi repugnat, ut qui abnegando Christum à Christo excidere possunt, non etiam possint hæresin amplecti & docere. Respondet Bellarminus lib. 4. de Pontifice Romano, cap. 8. col. 976. *eum actu tantùm externo Deum abnegasse.* *Responsio.* Quasi verò hoc non sit apostatæ & abnegantis, ac non sit verisimile, eum velle & posse malè docere, qui pessimè facere non veretur.

Nostri temporis abnegatores Marcellini similes. Non minor igitur culpa reliquorum Pontificum & omnium eorum esse potest, qui in Papatu thus imaginibus consecrant & incendunt, altaribus Sanctorum continuè imponunt, infinitaque alia abnegationis Christi genera sub plausibili Sanctorum & Christi cultu perpetrant, utque vel unicus thuris abusus in idolomaniam conversus rectè perspiciatur inter Christianum nomen profitentes, ecce virtutes Christi & officia manifestè thuri in consecratione tribui. Dicit enim: *Dignare respicere, benedicere & sanctificare hanc creaturam incensi, ut omnes languores, omnesq; infirmitates, cunctaq; insidiæ inimici, odorem ejus sentientes effugiant, & separentur à plasmate tuo, ut nunquam lædatur à morsu antiqui serpentis,* &c. Quibus abnegari meritum Christi & proprium ipsius munus, quis sacrarum literarum peritus & veritatis studiosus inficias ibit? Idem verò judicium de aliis, quî non esset ferendum?

CAP. IV.

Liberii Pontificis hæresis.

Liberius PP. Arianus factus. TRanseamus ad LIBERIUM Romanum civem atque Episcopum, quem hodie Papam sive Pontificem maximum dicere malunt. De eo testes locupletissimos exhibeo, quod circa annum

annum Domini 357. ambitionis gratiâ Arianam hæresin amplexus sit. Hieronymus enim in catalogo virorum illustrium scribit: *Fortunatianus in hoc habetur detestabilis, quòd Liberium Romanæ urbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem, primus solicitavit ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.*

Athanasius ad solitariam vitam agentes: *Liberius, ait, post exactum in exilio biennium, inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus.* Idem Damasus in vita Liberii testatur.

Et Hilarius in libro adversus Constantium inquit: *Vertisti dein usque ad Romam bellum tuum, eripuisti illinc Episcopum. Et ô te miserum! Qui nescio, an virum majore impietate relegâris quàm remiseris.*

Quò verò majoris hæc testimonia æstimentur, sunt in promptu non parvi nominis quoque Pontificii, qui iis omnino suffragantur. Platina enim in ejus vita: *Constantius*, inquit, *Liberium ab exilio revocat, qui Imperatoris beneficio motus, cum hæreticis in rebus omnibus (ut quidem volunt) sentiens, illud tamen cum Catholicis tenebat, hæreticos ad fidem redeuntes non esse baptizandos.*

Wernerus non negat *ipsum favisse Arrianis*, & ideò *tanquam Hæreticum à Catholicis ejectum fuisse* scribit. Fasciculus temporum.

Sabellicus Ennead. 7. lib. 8. *eum ex cōfesso Arrianum factum fuisse* scribit, commotum beneficio reditus concessi.

Denique Bellarminus testatur, se ex Vaticana Bibliotheca literas Liberii legisse manuscriptas, partim ad Imperatorem, partim ad Episcopos Orientales, in quibus satis apertè significaret, se tandem Imperatoris voluntati acquievisse. *Lib. 4. de Pontif. Romano, c. 9.*

Idem tamen Liberium excusare & defendere audet, ac *ante exsilium*, inquit, *certum est, eum acerrimum fuisse Catholicæ religionis defensorem.* Sed nihil hoc ad rem præsentem. Nam in exilio constat, eum à Fortunatiano persuasum hæresin illam amplexum esse. Dicit ergo ulteriùs: *Eum etiam post exilium orthodoxum fuisse. Eum enim Macedonianos ad Ecclesiam recipere noluisse.* Quasi verò verisimile sit, illud Constantium Imperatorem Arrianum laturum fuisse, aut non soleant hæretici alios hæreticos aliarum hæresum excludere. Dicit prætereà: *Post mortem habitum pro Sancto & laudatum fuisse.* Sed ut aliqua de re laudatus sit, non tamen sequitur, eum non fuisse hæreticum: viros enim optimos deceptos fuisse legimus. Posteà dicit: *Eum nec hæreticum fuisse, nec hæresin docuisse, sed tantùm peccasse actu externo.* Respondeo *primùm*, quasi verò magis potuerit hæresin docere, quàm consentiendo Constantio Imperatori Arianismo infecto, & in Synodo Syrmiensi conveniendo cum Ursacio & Valente Arianis, & subscribendo damnationi Athanasii. Primum enim Hilarius in libro adversus Constantium, & Hieronymus in catalogo virorum illustrium, secundum Sozomenus lib. 4. hist. Eccles. cap. 14. & Nicephorus lib. hist. 9. c. 37. tertium ipse Athanasius in epistola ad solitariam vitam agentes scribit. *Secundò* dico, etsi solo externo actu peccasset, tamen eo actu favisse hæreticis, & confirmasse hæresin: quod sufficiat, ut ostendatur posse ab hujusmodi Pontificibus labefactari fidem in magnum *Excusat Bellarminus Liberium.* L *Col. 977.*

Ecclesiæ malum. *Tertiò* ajo, non satis Bellarminum docere, Liberium neque hæreticum fuisse, neque hæresin do cuisse. Et sanè eo ipso censendus est is hæresin docuisse, quum hæresi subscripsit, etsi nō hoc duntaxat fecit, ut posteà docebimus. Si autem docuit hæresin, quî possit dici non hæreticus, exspecto, ut aliquis doceat.

2. Objectio. Sed videamus tamen, quid Bellarminus proferat. Non fuisse hæreticum probat ex Athanasii epistolâ ad solitariam vitam agentes, asserentis *Liberium invitum & coactum vi tormentorum fecisse, quod fecisset: nec esse censendam ejus sententiam, quam mina & terrores extorserant.*

Respondeo. Respondeo nullam esse hanc purgationem, sed tantùm excusationem humanam, & amicam fortasse. Sic enim solemus omnes excusare, qui aut incogitātes, aut inviti in errorem lapsi sunt. Sed nemo unquam tam tenui excusatione habitus est innocens: minimè verò omnium in religionis negotio, ubi etiam ad sanguinis effusionem sibi fides constare debet.

Argumenta Bellarmini. Præterea verò, Liberium non docuisse hæresin, sic Bellarminus conatur ostendere. *Colligi igitur,* ait, *ex Athanasii verbis & Liberii epistolis, duo mala Liberium commisisse. Unum, quod subscripsit in damnationem Athanasii: alterum, quòd cum hæreticis communicârit. In neutro autem fidem expreßè esse violatam. Nam etsi Athanasium hæretici persequerentur caußâ fidei: tamen non caussam fidei sed crimina & mores prætexebant: Liberius q; consensit in ejus damnationem propter crimina, non propter fidem. Hæreticis autem communicavit, quia se Catholicos simulabant.*

Solutio. Respondemus multa peccari his. *Primùm* enim non audet Bellarminus negare, à Liberio fidem esse violatam, sed duntaxat expresè violatam negat. Atqui etiam hoc indignum est eo, qui se dicat caput Ecclesiæ. Et quid prodest, quæso, quod disertis verbis non fuerit fides violata, quum disertis factis fuerit impugnata? *Secundò,* non prætexi fidem in damnationem Athanasii, sed tantùm crimina falsò asseritur: atque adeò contrarium constat ex Dialogo Liberii cum Constantio Imperatore, qui apud Theodoretum historiæ lib. 2. cap. 16. exstat, ubi non tantùm sæpius Athanasius vocatur impius, sed etiam Eusebius Eunuchus dixit, *Athanasius à fide Catholica alienus in Concilio Nicano declaratus est.* Et Epictetus Episcopus: *Non fidei caussa hodie,* inquit, *neque judiciorum Ecclesiasticorum faciendorum studio adductus Liberius hunc instituit sermonem: sed quo possit apud Senatores Romanos gloriari, se rationibus Imperatorem superâsse.* Et ipse denique Liberius: *Esto, quòd ego solus sim: non tamen propterea caussa fidei sit inferior,* inquit. Ergo etiam fides prætexebatur in Athanasio condemnando, & idipsum videbat ac sciebat Liberius. *Tertiò,* non ea tantùm dogmata Liberius commisisse convincitur, sed etiam tertium & quartum. Nam & subscripsit ipse confessioni sibi ab hæreticis exhibitæ: & etiam Confessionem exhibuit, quâ eos omnes excommunicaret, qui negarent Filium Patri esse substantiâ similem: quæ verba pura puta sunt Africana. Hæc autem constant ex 14. cap. lib. 4. Sozomeni, his verbis scribentis: *Quum Liberium Imperator vocavisset præsentibus Legatis Occidentis,* ἐβιάζετο αὐτὸν ὁμολογεῖν μὴ εἶναι τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν ὁμοούσιον, id est, coëgit

coëgit tum confiteri, Patri Filium non esse similem, vel consubstantialem. **Deinde**, *Basilius, Eustathius & Eleusius, quum decreta de Paulo Samosateno & Photino Sirmiano, quin etiam formulam fidei in Ecclesia Antiochena consecratione editam in unum libellum congessissent, caussâ confictâ, nimirum quòd quidam occasione hujus verbi consubstantialis, hæresim privatim stabilire molirentur, perficiũt, ut ei cõsentiat Liberius, Athanasius, Alexãder, Severianus, & Crescẽs, qui in Africa Sacerdotii munere fungebantur. Consenserunt etiam Ursacius, Germanius Episcopus Sirmii, Valens Mursorum, & quotquot Orientis Episcopi ibi fortè aderant. Vicissim autem confessionis fidei formulam à Liberio retulerunt, quæ illis qui Filium Patri non substantiâ & cæteris rebus omnibus similem asseverarent, interdixit Ecclesiâ.* Hæc Liberius peccavit; in his fidem violavit: & violavit expressè, frustraque excusatur.

3. Objectio. Respondet tamen Bellarminus, *eas confessiones, quibus Liberius subscripsit, etsi nõ haberent vocabulum ὁμόυσιος, tamen Catholicas esse, & ita exponi ab Hilario in libro de Synodis.* Ego contrà, eo ipso eas fuisse hæreticas, quia vocem ὁμοούσιον non habebant, quâ tum tanquam peculiari nota Catholici discernebantur ab hæreticis. Propterea Sozomenus lib. 3. c. 5. ex ipso eventu dicit apparuisse, eos Episcopos, qui Antiochiæ Synodum fecerunt, convenisse, ut abrogarent decreta Synodi Nicænæ. Et cap. 5. lib. 4. Sirmii contra ea, quæ ante in Conciliis fuerant decreta, tres fidei formulas editas fuisse. Ad Hilarium quod attinet, respondeo eum excusare potiùs, quàm interpretari eas confessiones, quę conceptæ erant stylo ambiguo, ut Sozomenus iisdem testatur locis. Qui verò rem attendet, diligenter observabit, eum non parum suadere, ut ex iis commodum & non hæreticum sensum eliciat.

Bellarminus denique dum hæreseos maculam à Liberio abstergere nititur, pugnantia loquitur. *Pugnat secum Bellarminus.* Nam *primò* dicit; *eum hæreticis favisse, & cum eis convenisse.* Posteà *negat eum hæreticis favisse. Secundò,* dicit ipsum *subscripsisse hæresi, & consensisse damnationi Athanasii, & Sirmiensis Synodi Arianæ actis:* & tamen *negat ipsum fuisse hæreticum.* Quasi verò non plus credendum sit ejus subscriptioni, quàm Bellarmini negationi. *Tertiò*, conciliare conatur, Arrianorum decreta cum Catholica fide. Quod multò gravius est peccatum, quàm Liberium hæreticum fuisse fateri. *Postremò*, minuit peccatum Liberii, dicens, *eum tantùm actu externo peccasse.* Quasi verò non sit illud gravissimum peccatum, & non existimentur hæretici ex subscriptione, & denique non consensus internus actibus externis prodatur.

Jam quid reliqui faciunt hodie Pontificii pro aut contra hanc hæresin. Suntne ab ea alieni, aut imitantur hunc suum Pontificem Liberium? Satis id lib. 2. explicavimus, ubi doctrinam illorum sacrosanctæ Trinitati adversam recensuimus, quò Lectores remitto. Tantùm animadvertas hîc, quæ ibi commemorentur illos circa dogma de Trinitate perperam & scribere, & loqui, & sentire, hujus Liberii esse fortassis propaginem.

CAP. V.

Felicem II. Leonem II. Anastasium II. & Vigilium Papas Romanos, fuisse hæreticos.

Felix II. Arrianus.

NEc cessavit cum Liberio ista hæresis in ipsis Pontificibus: sed eâdem certè *Felix* hujus nominis secundus infectus fuit. Hieronymus enim in catalogo virorum illustrium de Acacio disserens, eum apertè affirmat *Arrianum* fuisse. Et illud etiam ex Socratis Ecclesiastici scriptoris verbis colligitur, quibus inquit: FELIX *Romana Ecclesia Diaconus, Arrianaq; secta addictus, per vim & violentiam ab eodem Ursaceo ad eundem dignitatis gradum delectus.* Intelligit autem Episcopatum vel Pontificatum (ut hodie loquuntur) Romanum. Hunc & ab Arrianis ordinatum, & cum eis communicâsse scribunt Ruffinus lib. histor. 10. cap. 22. & Theodoretus lib. histor. 2. c. 17. Ac summa horum est, Felicem II. Romanum, pulso Liberio, ab Arrianis præfectum Episcopatui, sperantibus imò non ignorantibus ipsum cum illis in doctrina sentire. Qui secundo sui Pontificatus anno, Liberio restituto, sede sua sit depulsus, & anno Domini 359. cum quibusdam Presbyteris in quodam tumultu occisus.

Lib. 2. hist. cap. 29.

Negat Bellarminus.

Negat id quidem Bellarminus lib. 4. de Pontifice Romano, cap. 9. Sed videndum, utrum potiùs Hieronymo, Ruffino, Socrati, Theodoreto, aliisque testibus gravissimis eum hæreseos accusantibus, an Pontificis Romani parasito & mancipio credendum sit. *At*, inquit Bellarminus, *Martyrologia Romana eum pro Martyre celebrant.* Majus ergo peccatum habent, qui hæreticum pro martyre habent, & intrusum vivente Liberio, quem Catholicum præter rationem esse volunt, Episcopum fuisse contendunt. Sed non est hoc novum in synagoga Romana, ut hæreticos & homines nefarios pro martyribus colat. Georgius enim Cappadox hæreticus erat Arrianus, & Thomas Bekettus Regi refractarius & rebellis, & Jacobus Clemens homicida, & aliquot Jebusitæ patriæ hostes & proditores, qui tamen apud Papistas nunc pro martyribus habentur & coluntur.

Leo I. Arrianus.

Successor etiam Felicis LEO I. *Arrianus*, & proinde hæreticus fuit, ut testes sunt authores fide digni Vincentius Beluacensis in speculo historiæ libro 15. cap. 23. Conradus Halberstatensis, Chronici Chronicorum author, in iisdem, & Theodoricus Niemensis in labyrintho nemoris unionis. Respondet Bellarminus: *Nullum unquam in mundo talem fuisse Pontificem*, & ad historicos appellat. Sed duobus aut tribus affirmantibus potiùs fides habenda est, quàm multis negantibus. Neque enim solent omnes historici, in catalogo Pontificum texendo & recensendo consentire. Verùm ut authores de hac re dissentiunt, ex ista tamen successione, in qua nihil est certi, pendet synagogæ Romanæ fides: ex successione nempe incertissima, incertior fides.

Anno Domini 460.

Anastasius II. Eutychianus, &c.

Athanasius II. Romanus, *Eutychianis & Nestorianis favit, hæreticis communicavit*: atque anno Domini 499. dum ventrem exoneraret, ut Volateranus habet, intestina in latrinam emittens, obiit. Photinum hæreticum communioni restituit, & Acacium occultè revocare

vocare

vocare voluit. Nam ita narrat author Pontificalis Wernerus in vita ipsius: *Anastasius seductus ab Acacio communicavit ei, & quia voluit occultè restituere Acacium, divino nutu percussus est intestina ejiciendo. Et hic videtur secundus infamis Papa.* Hoc etiam scripsit Gratianus cap. Anastasius, distin. 19. & inter decreta retulit: eisque alii complures suffragantur.

Objectio. *At*, inquit Bellarminus lib. 4. de Pontifice Romano, cap. 10 *Acacius ante Anastasii tempora mortuus erat.* Quasi verò cum mortuis hæreticis successores ejus pravitatis non communicent. Glossæ author ibidem dicit: *Anastasium voluisse Acacium in hæresin defunctum occultè revocare, ut orationes pro eo in Ecclesia fierent.* Et hæreticis mortuis non rarò anathemate dici solet. Præterea non adeò certum est, Acacium ante tempora Anastasii II. è vita excessisse: neque hoc ita disertè affirmat Euagrius lib. 3. c. 23. Nicephorus lib. 15. cap. 17. & Liberatus in Breviario cap. 19. ut Bellarminus affirmat. Verùm ut de Acacio & Anastasio malè distincta sint tempora, de *Photino* quid respondebit Bellarminus? Dicit *hoc fortè mendacium esse.* Quasi verò non plus asseveranti Pontificalis authori credendum sit, quàm Bellarmino dubitanti. Respondet ergo, *præterea liberè Pontifici excommunicatum absolvere, etiam sine Concilio.* Sed quid illi liceat, hoc loco non quæritur. Hoc sanè certum est, hæreticum esse, qui cum hæreticis communicat, & hoc in Anastasio II. Deus ipse declaravit: eum enim mortis extraordinariæ genere percussit. Negat hoc quidem Bellarminus, & hoc etiam ante ipsum negavit in Resolutionum lib. 4. cap. 13. Covarruvias. Sed nullus

Mors Anastasii II. fœda.

non videt historicis vetustis potiùs credendum, quàm Adversariis recentibus, qui caussæ servientes, adversus clarissimam lucem oculos occludunt. Quod autem asserunt Gratianum deceptum similitudine nominis, illud Anastasio Pontifici Romano tribuisse, quod Anastasio Græcorum Imperatori accidit, in eo ipsi decepti videntur. Nam Pontifex Anastasius ejectis intestinis, Imperator Anastasius fulmine interiit, admodum diverso ab illo mortis genere.

Vigilius Papa hæreticus. VIGILIUM adhæc Romanum circa annum salutiferi partus 537. docuisse hæresin, arguit ipsiusmet confessio. *Nos*, inquit Vigilius, *non duas in Christo naturas confitemur, sed ex duabus naturis compositum unum Filium.* Idem etiam affirmat Liberatus in Breviar. cap. 22. & Paulus Diaconus in vita Justiniani Imperatoris. Præterea apertè emit Papatum, & Sylverio adhuc vivente in ejus est suffectus locū à mulierculis Theodora Augusta & Antonina Belisarii ducis uxore, eique mortis caussam attulit. Dicit Liberatus: *Promisisse Vigilium Belisario duo auri centenaria, si Sylverio remoto ordinaretur ab eo.*

Lib. 4. de Pontif. Romano, c. 10. Respondet Bellarminus: *Vivente Sylverio fuisse illum illegitimum Pontificem & hæreticum, sed illo defuncto verum & sanctum fuisse Episcopum.* Verùm ridicula sunt ista, putare Pontificatum Romanum eluere hæreseos maculam. Præterea Bellarmini assertioni repugnant Vigilii ipsius literæ, post mortem Sylverii scriptæ, & verba Liberati: quæ ipsum promissa implesse de hæresi Eutychis confirmanda ostendunt. Respondet ergo ulteriùs: *Literas Vigilii ab*

 hæreticis

hæreticis fuisse confictas. Sed multò veriùs affirmaret, Decretales Pontificum Romanorum epistolas confictas fuisse: has enim in archivis suis asservant. At quomodo hæretici Vigilii literas corrumperent, quas non habuerunt in potestate sua, ratio reddi non potest. Nunquam sanè imperatrix Theodora creditura fuit, nisi ipsius chirographo.

CAP. VI.

De Honorio I. utrum fuerit hæreticus?

Honorius I. Monotheli-ta.

HONORIUM I. circa annos recuperatæ salutis 623. fuisse Monothelitam, & hæresin eam docuisse, quæ unam duntaxat voluntatem in Christo fingit, ex ipsius ad Sergium literis inter acta synodalia 6. actu 12. constat. Dicit enim disertè: *Se fateri unam esse voluntatem Domini nostri Jesu Christi.* Hoc etiam Synodi sextæ Patres testantur, & aliquot Pontifices Romani fatentur, ut Agatho ad finem sextæ Synodi & Leo, & Adrianus II. 8. synod. act. 7. Author denique libri Pontificalis, & Beda de sex ætatibus mundi, idem affirmant. Ideo etiam à synod. 6. damnatus est, quia, ut loquuntur Patres ejus synodi, *in omnibus Sergii mentem sequutus est, & impia dogmata confirmavit.* Neque sanè dubium est, quin falsum de fide docuerit, & decreverit. Hoc enim ex verbis istis, & epistolis Honorii, & multorum testium dictis probatur.

Pugna Pontificiorum de Honorii I. hæresi.

Ex Pontificiis verò doctoribus posterioris nostræ ætatis sunt, qui bello propterea concitato intestino, in aciem contra seipsos prodière, ut alteri Honorium fuisse hæreticum, alteri non fuisse evincere conentur. Hoc ipsum Bellarminum summum posteriorum ducem narrare sinam, qui sic lib. 4. de Pontifice Romano, cap. 11. pag. 516. de eo scribit: *Nec solùm hæretici* (sic vocat orthodoxos, Euangelium in reformatis Ecclesiis amplexos) *sed etiam nonnulli ex Catholicis Honorium hæreticum fuisse contendunt: ut* MELCHIOR CANUS *lib. 6. de locis cap. ult. Argumenta ipsorum hæc sunt. Primum ex epistolis ipsius Honorii. Extant enim duæ epistolæ Honorii ad Sergium, una in 6. synodo act. 12. altera ibidem act. 13. In utraque autem Honorius approbat doctrinam Sergii Principis Monothelitarum, & jubet non debere dici, Christum habere duas voluntates aut operationes.* 1. *Affirmantes eum fuisse hæreticum.*

Secundum, *ex 6. synodo, act. 13. ubi damnatur Honorius tanquam hæreticus, & comburuntur ejus epistolæ, & in sequentibus actionibus omnibus repetitur ejus damnatio.*

Tertium, *ex 7. synodo act. ult. ubi totum Concilium dicit anathema Honorio, Sergio, Cyro & cæteris Monothelitis. Et idem repetit in epistola, quam scribit ad clericos universos.*

Quartum, *ex 8 synodo, act. 7. ubi legitur & probatur epistola Concilii Romani sub Adriano II. ubi Pontifex cum Concilio asserit, fuisse Honorium judicatum post mortem à Concilio 6. quia de hæresi accusatus fuerat.*

Quintum, *ex epistola Agathonis Papæ, qui in epistola ad Constantinum Imperatorem, quæ habetur in 4. act. sexti Concilii generalis, anathema dicit Honorio, tanquam Monothelitæ.*

Sextum, *ex Leone II. qui in epistola ad eundem Imperatorem, quæ habetur ad finem Concilii, eundem Honorium execratur, tanquam qui sedem Apostolicam sua hæresi contaminaverit.*

Septimum, *ex variis scriptoribus Græcis &*

& Latinis, qui Honorium hæreticum fuisse testantur. Idem enim asserit THARASIUS *Episcopus Constantinopolitanus, in epistola ad Patriarchas, quæ habetur in 7. synodo, act. 3. Item* THEODORUS *Episcopus Hierosolyma, in epistola synodica, quæ habetur in eadem 7. synodo, act. 3. Itē Epiphanius Diaconus Catholicus, in disputatione cum Gregorio hæretico, quæ habetur in 6. act. 7. synod.* BEDA *de sex ætatibus, in vita Constantini IV. Imperatoris, & liber Pontificalis in vita Leonis II.*

2. Negantes. *At pro Honorio scripserunt* ALBERTUS PIGHIUS *lib. 4. Hierarchiæ Ecclesiasticæ, cap. 8.* HOSIUS *lib. 2. contra Brentium, &* JOHANNES À LOVANIO *in libro de perpetua Cathedra Petri protectione & firmitate, cap. 11. &* ONUPHRIUS *in annotatione ad Platinam in vita Honorii, quorum rationes multò sunt efficaciores, quam adversariorum, ut patebit in solutione argumentorum.* Hactenus congressus Papistarum de eo contra se invicem, an Honorius I. fuerit hæreticus, exponente Bellarmino.

Rationes Bellarmini pro Honorio. Hic autem audacior omnibus, tandem longam texit Honorii apologiam, quâ affirmantes eum fuisse hæresi Monothelitarum cōspurcatum opprimere aut in suas pertrahere nititur partes, negantium illum hæreticum non fuisse. Cujus Apologiæ duo sunt capita. Primo contendit, non fuisse hæreticum: altero ab æmulis Ecclesiæ Romanæ nomen ejus falsò insertum esse act. 2 synodi inter eos, qui damnantur. De primo disputat his argumentis. Dicit *Lib. 4. de Pontif. Romano, c. 11.* primò: *Fortasse epistolas illas confictas fuisse nomine Honorii.* Quasi verò Agatho, & Leo, & tot Patres non fuerint ii, qui melius intellexerint, quàm Bellarminus, quid Honorius scripserit, & quid non. *Anathemizamus* (inquit Leo epist. ad Constantinum in 6. synodo, act. 18.) *novi erroris inventores Theodorum, &c. nec non & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrinâ lustravit, sed profana proditione immaculatam fidem subvertere conatus est.* Neq; sanè credibile est has epistolas confictas fuisse & nullum illud ante nostram ætatem animadvertisse: aut tot hoc dicturos fuisse contra tantum virum, & jam mortuum, nisi verum esset.

Subjicit autem Bellarminus rationem: scilicet confictas fuisse ab hæreticis, & insertas Concilio generali, *Quia in eodem Concilio deprehensi sint tres quaterniones ab hæreticis inserti actis quintæ synodi.* Verùm respondemus, *primum argumentum* esse ineptum. Nō enim sequi, si inserti sunt quatuor quaterniones quintæ synodi actis, de huic falsò insertum esse Honorii nomen & epistolas: debuit hoc priùs nonnullis aut argumentis aut indiciis saltem effici probabile: alioqui quam mihi Bellarminus caussam reddet, quominùs ipsum Sergium ita liceat ab hereseos suspicione defendere? *Secundò*, ipsam synodum act. 12. testari, non esse eas supposititias epistolas, his verbis: *Collata sunt rescripta hæc cum exemplaribus authenticis, quæ producta sunt ex Patriarchio regia urbis, & consistebant exemplaria. Tertiò,* ipse Bellarminus postea profert sancti Maximi verba, qui dicat: *Honorii secretarium testatum esse, has epistolas ab Honorio scriptas ea mente, ut assereret unicam voluntatem.* Quare eæ epistolæ non possunt esse supposititiæ: & si non sunt, sunt autem judicatæ à synodo hæreticæ, profectò nec nomen Honorii actis falsò fuerit insertum.

Dicit

Dicit *secundò* pro secundo argumento: *In epistolis Honorii non contineri errorem, nam quod ad rem ipsam attinet, Honorius duas confitetur volũtates & operationes, tantumq; prohibet nomina unius vel duarum voluntatum, quæ tunc erant inaudita: idq; prudentissimo consilio, quia sine iis fides poterat esse salva, & periculum erat, ne in grave schisma contentio illa evaderet.* Respondemus, primùm etsi Honorius orthodoxè sensisset, non fuisse tamen ejus prudens consilium, quo prohiberetur aut unam aut duas voluntates dici in Christo. Nã & olim Arriani, quum viderent odiosum esse suum ὁμοιούσιον, consentiebant, ut simul id verbum cum ὁμοουσίῳ aboleretur: quod orthodoxi nunquam concesserunt. Videbant enim per cuniculos id Arrianos tentare, quod vi aperta non potuissent perficere, ut abolito nomine, sensim res ipsa quæ non solet concipi aliter, in desuetudinem veniret. Et sanè, nunquam ea fuit legitima ratio constituendæ unitatis in Ecclesia, quum veritas dissimulatur, quãtumlibet ejus professione offendantur hæretici. Quocirca in Concilio Romano sub Martino rectè pronunciatum est adversus typum Constantini Augusti, qui similiter prohibebat aut unam aut duas dici voluntates. Illum typum sanè bonum intentum habere, sed virtutum intentui contrarium. Nam dissensiones & altercationes pro caussa fidei cohibere, omnibus timentibus Deum esse desiderabile: sed non esse utile orthodoxorum Patrum dogmata & verba cum malo destruere, hoc est, vera & falsa dogmata simul damnare: sed oportere vera probari, falsa atque impia reprobari & damnari. *Secundò* dicimus, etsi Bellarminus asserat, in epistolis Honorii non contineri errorem: tamen aliter synodus universa sensit, & aliter Põtifices Romani intellexerunt. Et sanè si dixerit Bellarminus, unam tantùm esse voluntatem Domini nostri Jesu Christi, quod dixit Honorius; non ille Honorium purgabit, sed seipsum eodem crimine adstringet. Atq; ut tantùm *prohibuerit nomina unius, aut duarum operationum*, ut dicit Bellarminus, cur non ille æquè censeatur hæreticus, ut illi, qui vocabulum ὁμοούσιος sustulerunt. *Tertiò* dicimus frustrà Honorium defendi à Bellarmino: Revera enim eas epistolas esse hæreticas. Nam quum verba tollat duarum voluntatum, tum nunquam rem ipsam ponit. Nam quod hæc ejus verba, utrasq; naturas in Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus: & divinam quidem, quæ Dei sunt operantem, & humanam, quę carnis sunt exsequentem: quod, inquam, hæc verba Bellarminus ait Monothelitarum hæresin penitus destruere, oblitus videtur status ejus controversiæ. Etsi enim verum sit, his concessis necessariò ruere eam hæresin, quæ unicam tantùm in Christo voluntatem ponit, quia antecedente necessario non potest consequens non legitimè concludi: nihilominus tamen Monothelitæ utrumque asserebant, nimirum & esse duas in Christo naturas proprietatibus distinctas (nam viderant ob id Eutychen damnatũ) & non esse tamen duas voluntates earum naturarum, sed unicam. Nam aliter quàm hodie Papistæ, etsi concedant Christi verum esse corpus

Status ejus controversiæ obliviscitur Bellarminus.

Monothelitarum sententia.

pus humanum, unde necesse esse tantùm uno loco; tamen pertinaciter asserunt, simul id esse in pluribus atque adeò infinitis locis. Sic Zonaras in Heraclio testatur, quum ab Imperatore accusaretur Patriarcha Jacobitarũ, quod nollet obtemperare Concilio Chalcedonensi & confiteri duarum naturarum unionem absque confusione, eum respondisse: *Se probare Concilium, & credere duas naturas unitas: noluisse tamen confiteri duas voluntates.* Sed hæc deinceps erunt fortasse disertiora testimonia. Damascenus in libro de hæresibus: *Monothelitæ,* inquit, *à Cyro Alexandrino originem duxerunt: à Sergio autem Constantinopolitano confirmati sunt & corroborati.* Ii duas naturas, unamque personam in Christo illi quidem prędicant, sed unam voluntatem, unamq; actionem in eodem ponunt. HARMENOPOLUS: Οἱ περὶ Σέργιον καὶ Πύῤῥον μίαν θέλησιν καὶ μίαν ἐνέργειαν ἐπὶ Χριστοῦ ἔλεγον τὸ ἐκ δύο φύσεων πεφυκότος. Sed disertius edictum Constantini Imperatoris Monothelitarum errorem describentis. *Illis,* inquit, *in satisfactione propter unam personam esse Dominum nostrum Jesum Christum in duabus naturis inconfusè & indivisè volentem & operantem divina & humana.* Quare, quæ Bellarminus verba recitavit Honorii, ea non possunt Honorium vindicare ab hæresi. *Quartò,* hæc nimis quàm diserta sunt ex eadem Honorii epistola: *Unde & unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi:* quæ certè aut frustrà sunt & extra oleas dicta: aut Monothelitica esse negari non potest. *Imò,* inquit Bellarminus, *ea dicta sunt de humana natura, & significant non esse in homine Christo duas pugnantes voluntates, unam carnis, alteram Spiritus.* Atqui, inquam, primùm sic essent aliena à quæstione: nec enim id controvertebatur inter Catholicos & Monothelitas. Deinde ea verba explicantur in sequentibus his: *Est scriptum,* (inquit Honorius) *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me Patris. Et, non quod ego volo, sed quod tu vis Pater:* & alia hujusmodi. Non sunt hæc diversæ voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptæ. Ita enim propter nos dicta sunt, quibus dedit exemplum, ut sequamur vestigia ejus, pius magister discipulos imbuens, ut non suam unusquisque nostrûm, sed potiùs Domini in omnibus præferat voluntatem. Respondet enim Catholicorum objectioni, ex iis locis inferentium, humanitati Christi suam esse propriam & distinctam à divinitate voluntatem, secundùm quam ea essent dicta. Ille igitur asserebat, ea non verè dicta, sed per dispensationem tantùm, hoc est, artificiosè, ut exemplum nobis relinqueretur nostræ voluntati divinam præferédi: propterea negabat disertè ea verba esse diversæ voluntatis, non ut Bellarminus contrariæ in eadem natura. Atque erat hoc non solius Honorii, sed & omnium Monothelitarum argumétum, si duæ dicantur voluntates, sequi contrarias in Christo poni: ut discere licet ex actis synodi Romanæ sub Martino, in cujus act. 5. idipsum à Maximo Aquilejensi refutatur.

Monothelitarum origo.

Joh. 5. 30. & 6. v. 38.

Math. 26. 39.

Sumit *tertiò* argumentum à testimonio sancti Maximi, qui tempore Honorii vixit, & asseruit *ipsius Honorii secretarium negare eam fuisse Honorii mentem in scribendis illis epistolis, ut assereret unã voluntatem utriusq; naturæ, sed tantùm humanæ.*

 Respon-

Respondemus. *primùm* produci testem obscurum & incognitum, cujus nō extent scripta, sed asserventur tantùm defossa in Bibliotheca Vaticana. At cur non potiùs bona fide publicantur? *Deinde*, facilè potuisse secretarium, quum videret & hæresin ipsam damnatam, & cum ea suum Magistrum, excusare, quę antè sive ipse scripserat, ut plerunque secretarii solent, sive à Magistro dictata acceperat. *Tertiò*, magis esse credendum ipsi literarum contextui.

Dicit loco *quarti argumenti, quum in tota epistola Honorius contendat, non esse dicendam in Christo Deo & Homine unam, nec duas voluntates, quomodo ipse sui oblitus tam apertè unam faceret?* Respondemus, quomodo Arriani, concedentes ut neque ὁμοούσιος diceretur Filius, neque ὁμοιούσιος, tamen hoc posterius reipsa retinebant. Porrò in synodo Romana sub Martino, Episcopo Romano, damnata est Heraclii ecthesis, sive edictum, quo fides exponebatur, eadem prorsus ratione concepta, qua hæc Honorii epistola: atque etiam propemodum dixerim iisdem verbis. Nam quum priùs dixisset, *Nullo modo concedendum alicui, ex omnibus unam vel duas dicere sive docere operationes in divina Domini incarnatione*: ad extremum tamen, quum dixisset *duarum voluntatum vocem multos scandalizare*, quia videtur contrarietatem ponere in Christo, concludit in hæc verba: *Unde Sanctos Patres in omnib. & in hoc sequentes unam voluntatē Domini nostri* Jesu *Christi verissimi Dei confitemur*. Frustrà igitur excusatur ab hæresi Honorius.

II. *An ab æmulis Honorii nomen ejus falsò sit inter damnatos relatū, col. 991.*

Jam ergo sequuntur secundi capitis argumenta, quibus Bellarminus relationem nominis Honorii inter damnatos in æmulos ejus transfert. Decimò enim dicit: *Nomen Honorii inter eos, qui damnantur à sexta synodo ab æmulis Romanæ Ecclesiæ falsò relatum fuisse.* Sed hoc non tantùm Græci & æmuli alii testantur, sed etiam Pontifices Romani. Adhæc à Pōtificibus Romanis recepta est synodus sexta: quod nunquam factum esset, si acta ejus corrupta fuissent.

Elabi autem conatur, *undecimò* dicens: *Septima synodi Patres sequutos fuisse synodum sextam, & illud repetivisse, quod in ea legerant.* Sed non est verisimile, tot simul synodos deceptos fuisse. Quin potius credibile, aliam post aliam magis magisque verum à falso discernere potuisse, ac illud cognitum ingenuè quoque confessam esse.

Duodecimò profert *testimonium Anastasii Bibliothecarii.* Atqui constat, Anastasium vixisse annis ferè ducentis post sextam synodum: atque adeò etiam post septimam, quæ tamen Honorium itidem numeravit inter damnatos hæreticos. Deinde quicquid ille Anastasius dixerit, tamen constat ex epistolis Honorii eum hæretica sensisse. Adhæc, præferendum est duplicis synodi testimonium & ipsa Honorii confessio, testimonio unius privati hominis.

Decimotertiò ait, ab æmulis falsò judicatum esse Honorii nomen, *quia consuetudo fuerit Græcorum ferè ordinaria corrumpendi libros.* Sciendum igitur, Latinorum tandem non fuisse minus ordinariam, ut patet tū ex libris Decretalibus, quarum maxima pars est supposititius, tum ex Zozimo falsante Concilium Nicænum, tum ex integris etiam Conciliis suppositis, ut Romano sub Sylvestro. Prætereа argumentum est nimis longè petitum,

petitum, nec validum nisi aliis fulciatur certioribus. Alioqui quid possit esse tam certum, quod non hoc prætextu possit infirmari? Accedit, quòd etsi priùs epistolas ipsas Honorii conatus sit falsitatis convincere Bellarminus, tamen paulò post imprudentē testimonio uti Maximini, eoque confirmare eas scriptas ab Honorio. Unde duo eruuntur: primum, hoc quicquid est de falsatione actorum sextæ synodi, esse tantùm ex præjudicio, quia Pontificios malè habet, quum vident authentico testimonio unum ex iis damnatum, quos ἀναμαρτήτους, id est, peccati expertes vel ejus minimè convincendos esse defendũt: secundum, etsi nullum extaret synodi authentica Honorii condemnatio, tamen sufficere literas ab eo scriptas, ad nostri argumenti confirmationem.

Col. 992. Decimoquartò dicit: *Non poterat Concilium damnare Honorium tanquam hæreticum, nisi pugnaret cum epistola Agathonis, imò etiam secum. Agatho enim in epistola ad Imperatorem, asseruit Ecclesiam Romanam ab omni errore semper illibatam mansisse, & nunquam hæresin prævaluisse in sede Apostolica, & suos præcessores semper confirmasse fratres, quemadmodum Petrum Dominus jusserat. Est autem ea epistola à toto Concilio probata actione octava & decimaoctava* At *primùm* non pugnant hæc: Honorium fuisse hæreticum, & Ecclesiam Romanam illibatam mansisse. Ejus enim hæresi Ecclesia Romana fortasse non est assensa. Præterea pluſculum ille fortasse tribuit Ecclesiæ, cui ipse pręfuit. *Secundò* respondemus, Agathonis epistolam prius fuisse scriptam, quàm Honorii literæ fuissent prolatæ ex Patriarchio Constantinopolitano, secundùm quas ille judicatus sit hæreticus: potuisse igitur Agathonem verisimiliter ignorare, aut certè etiam dissimulare. *Tertiò*, ipsum Agathonem primò per Legatos, secundò scriptis literis cōsensisse actis synodi, ac proinde Honorii damnationi. *Quartò*, Agathonis epistolam fuisse probatam, sed secundùm quid, nempe in iis, quæ pertinerent ad doctrinam: de reliquis, atque adeò de sedis Romanæ laudibus ne cogitatũ quidē. Sic enim habetur in actione ult. *Respōdit Georgorius Arch' episcopus, suscipio & sequor directas suggestiones à sanctissimo Agathone Papa Romæ, & credo, & sic p̄fiteor, in uno sanctæ Trinitatis Domino nostro Jesu Christo vero Deo nostro duas naturales voluntates, & duas operationes.* Cæteri etiam dixerunt: *Sic credimus & sequimur, & omnes qui docuerunt & dicunt unam voluntatē & unam operationē in duabus naturis unius Domini nostri Jesu Christi veri Dei nostri, anathematizamus.* Probātur ergo Agathonis suggestiones, sed quatenus definiunt negotium fidei: quas autem laudes suæ sedis prædicaret non est animadversum.

Decimoquintò dicit: *Nicolaum I. ab omni hæreseos suspicione liberare Pontifices Romanos in epistola ad Michaëlem Imperatorem.* Et sic argumentum petit ex epistola Nicolai ad Michaëlem, ubi de Romanis Pontificibus ait: *Hos enim nec tenuis saltem rumor aspersit aliquando cum prava sapientibus sapere, quantò minus concertare?* At *primùm* nec epistola hæc indubitatę est fidei, nec levissimo ejus authori in propria caussa testanti credendum est. *Secundò* respondemus, Nicolaum nō posse excusari ab insigni mendacio, Col. 994.

dacio, aut saltem ignoratione rerum præteritarum: quum vel *tenuem rumorem* nominat. Vixit enim longè post synodum septimam, hoc est, paulò minus centum annis post eam, in qua ipse Bellarminus fatetur Honorium inter hæreticos nominatum, nec quæ itur acta esse falsata: At is certè non tenuis rumor dici potest, sed grave præjudicium, etiamsi res ipsa posset negari. Quid Marcellinum? quid Liberium? quid Felicem II. Leonem I. Anastasium II. & Vigilium I. dicam? Anne tenuis quidem rumor fuit, qui confirmaretur testimonio gravissimorum virorum Athanasii, Hieronymi, Hilarii, Damasi, Socratis, Sozomeni, Nicephori, Theodoreti & aliorum? Quum igitur adeò sit mentitus impudenter Nicolaus, vident omnes quãtum ejus tribuendum sit auctoritati.

Decimosextò dicit, primùm, *Concilium sextum, quando Honorium damnavit, in facto errasse.* Quasi verò verisimile sit, tot Patres, re non intellecta, anathema Honorio dicturos: aut non possit Sergius, Pyrrhus, & reliqui hæretici eadem excusatione uti. Præterea epistolæ Honorii ostendunt, illos rectè decrevisse. Secundò dicit: *Si non est Concilium falsatum, ergo ipsum Concilium oporteret intollerabili errore & impudentia laborasse: quia nullum habuit judicium hæresis Honorii, nisi ex epistolis ejus ad Sergium, in quibus tamen duas voluntates Christi confitetur, etsi verba prohibeat usurpari.* Respondemus, non Concilium fuisse impudens, sed Jesuitas esse ad quidlibet audaces, dum adulentur œcumenicæ tyrannidi: has autem epistolas paulò ante nos evicisse puram putam hæresin spirare. Unde sequitur, ex iis & sine errore & sine impudentia Honorium potuisse damnari. Quòve magis perspicias, synodum illam neque facto neque verbo errasse in Honorio damnando, perpende, quæso, ipsius verba, quibus illa solenne judicium actione 13. alloquente synodo præsentem atq; adeò præsidentem Imperatorem, de Honorio hunc in modum tulit: *Secundùm promissionem quæ à nobis ad vestram gloriam facta est, retractantes dogmaticas epistolas, quæ à Sergio Patriarcha hujus regiæ urbis scriptæ sunt, tam ad Cyrum, (qui tum fuerat) Episcopum Phasidis, quàm ad Honorium Papam antiquæ Romæ, similiter autem & epistolam ab illo, id est, Honorii rescriptam ad eundem Sergium, hasq; invenientes omnino alienas exsistere ab Apostolicis dogmatibus, & à definitionibus sanctorum Conciliornm, & cunctorum probabilium Patrum sequi verò falsas doctrinas hæreticorum, eas omnino abjicimus, & tanquam animæ noxias exsecramur. Quorum autem impia dogmata exsecramur, horum & nomina à sancta Dei Ecclesia projici debere judicamus.* Item canon primus ejusdem synodi Græcè editus, inter damnatos à synodo Honorii nomẽ numerat his verbis: Τοῖς τὸ ὀρθὸν τῆς ἀληθείας δόγμα παραχαράζοντας, καὶ ἓν θέλημα καὶ μίαν ἐνέργειαν ἐπὶ τοῦ ἑνὸς κυρίου τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πολλοῖς ἐκδιδάζοντας. Rursus septima synodus hunc eundem nominat inter impiè sentientes, actione ultima.

Synodi 6. judicium & decretum de Honorio.

Sed *decimoseptimò*, inquit Bellarminus: *In Concilio Romano frequentissimo sub Martino contra Monothelitas, damnati quidem sunt Sergius, Cyrus, Pyrrhus & Paulus: at Honorii nulla mentio.* Sed nihil hoc ad propositum facit. Non enim necesse est in omnibus Conciliis omnes hæreticos

ticos nominatim recenseri, nec omnes quidem Pontifices Romani in omnibus catalogis nominantur. Nunc verò inprimis Johannem VIII. seu potiùs Johannam Anglicam, ex libris suis deleverunt. Præterea, si nomen Honorii disertè quæratur in synodo Romana, reperietur facilè sub Adriano II. cujus acta recensentur in synodo 8. act. 7. Adhæc respondemus, illam synodum celebratā esse annis triginta ante sextam, in qua damnatus est Honorius: convocatam à Martino Episcopo tum ex Episcopis suæ ditionis, ac proinde particularem: tum Romæ, absentibus Græcis maximè Constantinopolitanis. Potuisse igitur & post annos triginta alia innotescere, quæ non fuissent cognita, & Romæ facilè dissimulari Romanorum Pontificum crimina. Synodum autem sextam fuisse œcumenicam, ab Imperatore coactam in ipsa urbe Constantinopolitana, ubi produci potuerit Honorii autographa, ut etiam producta sunt. Proinde in eadem synodo Honorium numerari tanquam recens additum, act. 15. in hæc verba: *Quorum autem impia exsecramur dogmata, horum & nomina à sancta Dei Ecclesia projici debere judicavimus.* Tū nominatis Sergio, Cyro, Pyrrho, Petro, Paulo, Theodoro, quorum mentionem fecisset Agatho, denique additur: *Cum his verò simul projici à sancta Dei Catholica Ecclesia simulq; anathematizari providimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per scripta quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem sequutus est, & impia dogmata confirmavit.*

Col. 995. synod. 8. act. 7. Sed decimooctavò respondet Bellarminus: *Adrianum non apertè dicere, Honorium fuisse hæreticum.* Verùm satis est, si eis assensus sit, qui ei anathema dixerunt., Damnatum fuisse dicit consentientibus legatis Agathonis.

Decimononò dicit: *Et Canum deceptum fuisse & Caranzam, ubi ajunt, Agathonem anathema dixisse Honorio.* Sed ipse potius Bellarminus mentitur. Ipsi enim sequuta sunt exemplaria Græcorum: nec caussa erat, cur Honorio injuriam facerent.

Vigesimoprimò dicit: *Literas Leonis ubi nomen Honorii inter hæreticos ponitur, corruptas esse.* Corrupta scilicet sunt omnia rerum gestarum monumēta, quæ contra Pontificem Romanum faciunt. sed neque authorem, nec caussam, nec probationes hujus corruptionis proferre potest.

Vigesimosecundò respondet: *Se testibus testes opponere.* Sed ipsius testes aut negativam probant, aut tacent, aut sunt homines levissimi. Præterea non valet à testibus argumemetum negativè: nec valent cujusquam laudes de aliquo, ubi antea testes gravissimi crimina gravissima ipsi objecta probarunt. Nulla igitur est satis legitima caussa, quā ostēdātur falsata esse acta sextæ synodi.

Propterea vicesimotertiò ac postremò tandem Bellarminus in hæc erumpit verba: *Quòd si aliquis adhuc non possit adduci, ut credat corruptam esse sextam synodum, is accipiat alteram solutionem. Patres sextæ synodi damnasse Honorium ex falsa informatione.* Respondeo hoc ante eum & Turrianū dixisse, at non probasse. Nihil enim dicit, ꝙ non anteà sit dictū. Et hoc ejus dictū ex literis Honorii & actis synodi 6. facilè refellitur. Deinde hac solutione nihil aliud arguitur præter sum-

mam caussæ Bellarminianæ desperationem, atq; ejus advocatorum impudentiam, qui in quælibet præcipitia sedent potiùs, quàm ut veritatē ingenui agnoscant. Euge verò sic triumphabit Papistica tyrannis. At quomodo dici potest ea falsa informatio, quæ est ex prolatis ipsius Honorii autographis, semel atq; iterum, térve lectis, relectis & consideratis? *Eas literas*, inquit, *non intellexerunt*. Ridiculum, inquam, nisi fortè præstet omnes homines insaniæ accusare, ut unus homuncio vindicetur ab errore: hæc verò pręclara sunt scilicet œcumenici Pontificis privilegia. Extant etiamnunc eędem literæ, quas sola impudentia excusare possit. Deinde, si malè fuerunt intellectæ, ideoque damnatæ, cur non accusatur Martinus, & tota synodus Romana, ob damnatum Heraclii edictum, quod tamen iisdem ferè verbis erat conceptum cum his literis, fortasse etiam editum ex occasione harum literarum, quū videret Imperator conspirare Honorium cum Sergio? Certè hæresin nusquam manifestiùs docebat. Adhæc si tum non intellexerunt ii Patres, quis intellexit? Respondet Bellarminus: *Johannem IV. Martinum I. Agathonem, Nicolaum I. & totum Concilium Romanum sub Martino*. At nos excipimus, primùm eos omnes esse Romanos Pōtifices, qui si suorum vitia dissimulārunt, sicut mutuo scabunt muli, humanum quid passi sunt. Secundò, quo jure Johannes IV. citetur, non exprimit Bellarminus, nec mihi sanè constat. Reliquos autem, quo argumento evincet has literas vidisse? Nicolai verò quantū sit aut cujusmodi testimonium, paulò antè est ostensum. Quare jam tandē cōstat nihil posse proferri, quo minus Honorium credamus hæreticum fuisse.

Istis ergo non perfunctoriè à Nicolao Sandero proculdubio expensis, nō nihil dscedens à perpetua sua audacia, quâ solet etiam manifestissima aut negare aut pervertere, non negat (etsi se non definire testetur) Honorium fuisse Monothelitam. Sed *primò* negat propterea Romanam Ecclesiam errorem docuisse, aut Honorium ut Papam hæresin confirmasse, sed tantùm ut hominem. *Deinde*, negat id dogma de duabus Christi voluntatibus fuisse adhuc in aliquo Ecclesiæ consessu expresiè definitum. *Respondemus* ad primum de Ecclesia Romana, inutiliter eam nominari, quia nobis hîc quæstio sit de capite Ecclesiæ, hoc est, Papa, cui ipsa subest Romana Ecclesia. Ad secundum de homine & Papa, respondemus distinctionem esse ridiculam, quia ea sint duo non re, sed ratione tantùm distincta. Nam functiones Papæ, non sunt nisi hominis: nec possit esse hæreticus homo, & idem Papa, quin sit hæreticus Papa: ut non potest esse obtusum ferrum, quod idem sit gladius, quin sit obtusus gladius. Et si ratione distinguantur ferrum & gladius: quia non omne ferrum sit gladius; sed gladius est ferrum ita formatum. Ad eundem modum Papa sit homo sic electus. Non potest esse Petrus doctus & idem vir, quum sit vir doctus. Itaque ea mera est sophistica.

Sanderi rationes pro Honorio.

Addit tamen: *Tum demum Episcopum Romanum publicam, hoc est, Papa personam sustinere, quum ex proposito hoc agitur, ut sedes Petri, convocatis Episcopis & fratribus qui pro tempore adsunt, & magna conquisitione facta,*

facta, videat, deliberet ac decernat de re in controversiam vocata. Sed hoc miramur equidem, si aliunde profectum sit, quàm à mera pertinacia. Quis enim hactenus unquam docuit, nullas esse Pōtificis partes nisi in Concilio? Doceat igitur Sanderus, tum Stephanum congregasse aliquod Concilium, quum sunt ab eo Basilides & Martialis injustè restituti. Aut Victorem, quum Orientales contradicentibus Episcopis plurimis tentavit excommunicare: aut Innocentium, quum conatus est Chrysostomi caussam tueri. Quas ille actiones enumeravit, non ut hominum, sed ut Paparum. Itaque ne hoc quidem effugium utile est, quo minus securè concludamus, HONORIUM hæreticum fuisse, & Papam; Ergo Papam fuisse hæreticum.

Postremò exceptionem infert Sanderus, *de nondum definito dogmate.* Ad quam facilis est responsio, non obstare id, quo minus erraverit in fide, hoc est, doctrinam falsam crediderit, & quę hęreticum propriè facere possit. Sed de hoc argumēto plura in Johanne XXII.

CAP. VII.

De Gregorio III. Nicolao I. & Zacharia I.

I. Gregorius III. divortium ob infirmitatem conjugis suadet.

PErparum etiam ab hæresi Gregorius III. & Nicolaus I. abfuêre. Gregorius enim III. propter uxoris infirmitatem supervenientem matrimonium dissolvi posse docet. *Nam si mulier,* inquit *infirmitate correpta non valuerit viro debitum reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset si sic maneret, ut abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille, qui se continere non poterit nubat magis, & non tamen subsidiis opem subtrahat.* In epistola ad Bonifacium Moguntinum I. Archiepiscopum, sub Caroli Martelli, avi Caroli Magni & Carolomanni patrui ejus tempora, circa annum Domini 696. in Conciliorum tomo secundo.

Mat. 19. 8. 9.

Disertè autem hoc adversatur primo Christi precepto Math. 5. ỽ 23. quo pronunciat: *Quicunq; dimiserit uxorem suam, nisi ob scortationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Deinde & juri Pontificio repugnat cap. quoniam, de conjugio leprosorum, *ubi negatur, conjugium dissolvi propter lepram:* ergo multò magis non dirimendum est ob aliam quamvis infirmitatem. Non simpliciter itaque hæc doctrina à Christi dogmatibus declinat, sed & hæresin planè sapit. Siquidem hæretici tantùm, ut Montanistæ, Tatiani, Saturnini, Manichæi, Marcionitæ, Priscillianistæ, Encratitæ, ut libro 2. exposuimus, ac Turcæ hujusmodi probant polygamiam.

Excusat Bellarminus Gregorium lib. 4. de Pontif. col. 995.

Sed ad hæc multa respondet Bellarminus, verùm nihil ad rem. *Primò* dicit; *Mirandum esse hoc haberi pro errore, quum hoc docuerit Lutherus, teste* Johanne *Cochlæo.* Sed Luthero injuria fit, & Cochlæus hîc testis est nec cochleâ nec cassâ nuce dignus. Scripsit enim de Matrimonio libellum Lutherus, cujus in 2. part. caussas tres commemorat, quibus dissolvi conjugium arbitratur. Prima est impotentia: altera, adulterium: postrema desertio. Desertionem autem interpretatur etiam, quando uxor pertinax & obstinata induci nullo modo potest, ut debitum benevolentiæ officium viro persolvat. Aliquas enim tam importunas uxores reperiri, ut quanquam maritus

Lutherus de matrim. & divort.

tus decies in libidinem prolaberetur, id tamen minimè curarent. Quare Lutherus id viro opportunum esse putat, ut uxorem verbis terreat, eiq; isto modo minitetur: *Si tu nolueris, alia volet: si domina nolit, adveniat ancilla.* Dictum, ut videtur, turpe, impudicum & ad divortia seu adulteria leviter facienda accommodatum. At non ea fuit Lutheri mens atq; sententia: sed addit, hæ minæ si parum valēt, apud alios ipsam accuset, & rem ad Ecclesiam deferat. Jam verò si nec privatis comminationibus, nec publicis Ecclesiæ reprehensionibus commonetur: tum (inquit Lutherus) *repudia eam, & in vicem Vasti, Ester surroga.* Hæc isto modo proposuisse, annō est calumniam tam Cochlei & Bellarmini in Lutherum lucul entissimè diluisse? Quis enim non animadvertit, quid consilii marito Lutherus dederit? Nimirum non ut mox ancillam sumeret, sed ut uxori pervicaci minas divortii proponeret, ejusq; spiritum illo modo frangeret. Lutheri autem ista de hoc divortii genere sententia, etsi minimè aut vix est defendēda: tamen quomodo audent vel possunt eam Pontificii accusare? Nam apud eos caussæ sunt divortii infinitæ, ut in tanta divortiorum licentia mirum sit conjugium ullum valuisse. Si quid unquam Lutherus ejusmodi scripsisset, quale Gregorius ille III. expressissimè & docuit & scripsit, quas demum tragœdias egissent? Imò quas excitassent, si Lutherus tradidisset quicquam simile ei, quod de Clemente scriptum legimus, quem Pontificii Pōtificem fuisse Romanum jactant? Hic enim scortationem publicè approbavit, & mulieres quoq; communes esse voluit hoc decreto: **Com**-*munis usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit: sed per iniquitatem alius hoc suum esse dixit, & alius istud, & sic inter mortales facta divisio est. Denique Græcorum quidam sapientissimus, hæc ita sciens esse, ait, communia debere esse amicorum omnia, & in omnibus autem sunt sine dubio* CONJUGES. *Ut quemadmodum aëris & luminis solaris, ita* REI *omnino* NULLIUS *proprius cuipiam debeat esse usus, sed omnibus communis.* Hæc annon non solùm ad divortiorum levitatem instituendam, quàm ad effusam & impudicam libidinis licentiam impunè ac publicè excitandam & permittendam spectant? Proferant Pontificii Lutheri aliquod simile dictum, & omnibus sanè viribus in tanto conatu destituentur, & sese illum in convitiis adversus honorabile matrimonium eructandis millies mille parasangis præcedere seipsos prodent.

Clemens epist. 5.

Pythagoras & Plato.

Tuetur *secundò* Bellarminus Gregorium hac ratione, quòd dicit *eum loqui non de quavis infirmitate, sed de impotentia perpetua & naturali.* Quasi verò ob hujusmodi infirmitatem supravenientem dirimi possit conjugium, aut hoc unquam Patres probârint, sive Scriptura divina innuat. Disputant quidem nonnulli de impotentia, quæ ad matrimonium ineptos facit, & judicant alii, non posse verum conjugium inter eos esse, quos Deus tales fecit, ut propter impotentiam & naturæ defectum ejus usu non opus ipsis sit, neq; eo frui possent. Si enim matrimonium contrahāt, rem illos sibi impossibilem aggredi, & à Deo præscriptos limites confidenter nimis, aut saltem stoliditate inexcusabili

Impotentia an sit justa divortii caussa?

bili

bili transilire, neq; debere illorum stultitia sive dolus iis fraudi esse, quas sibi sub conjugii prætextu copulârunt. Eóque tandem his tendunt, ergo separare potens & validum ab impotenti fas esse. Alii contrà, nô solùm hunc finem matrimonii divinitus constitutum dicunt, ut sit côtra libidinem remedium, sed etiam ut vel aliàs sine usu rei venereæ honestè ac bene conjuges unà vitam transigant, & si alter conjunx potens ac habilis sit operi conjugali, alter impotés & inhabilis, illum suæ patientiæ & castitatis seu pudicitiæ oportere specimen edere, ferendo nihilominus impotentiâ laborâtem conjugé. Quin disputationem hujusmodi non modò esse supervacaneam, sed curiosam etiam potiùs quàm necessariam, quum Christus Matth. 5. 32. & 19. 8. 9. disertè extra adulterium nullam prorsus divertendi à conjuge, aut hunc repudiandi caussam admittat. Adhæc qui impotentiæ infirmitate affectum conjugem deserat, inhumanum atque immanem esse, quum eum potiùs tolerare & sublevare deberet ex charitatis lege æquè ac conjugii jure, cujus vinculo fide invicem publicè data sint constricti.

Lepra an sit bona divortii caussa?

Eadem disputatio agitatur de lepra. Quoad enim leprosos, dicunt quidam, se nescire, quæ ratio jubeat aliquem leproso obstrictum manere, quem ipse Deus ab omni sanorum consortio exclusum esse velit. Quod si dicatur, adulterum sive adulteram vinculum matrimonii abrumpere, & proinde nefas esse, ut insons eo ampliùs teneatur: sese respondere, idem in lepra fieri per occultum Dei judicium, qui, ne quis leprosis cohabitet, disertè prohibeat. Nimis itaque iniquos eos posse existimari, qui fidei conjugalis nodo aliquem ei obligent, quem Deus ita mulctârit, ut nihil eorum possit præstare, propter quæ conjugium est institutum. E diverso quidam statuunt, probari nô posse discrimen illud inter sanabiles & insanabiles morbos, quum quicunque sit morbus, planè sit crudele & inhumanum, partem divinitus afflictam, & alterius consolatione & subsidio egentem, divortii etiam pœnâ mulctare, nedum ut Christiana charitas, accedente præsertim conjugii vinculo, id ferre posse videatur. Quid si igitur, inquit aliquis, parti illi afflictæ consulatur? Respondent quod anteà probatum, nempe matrimonii inter cæteros contractus hanc esse naturam, ut nô sola contrahentium voluntate, sed in primis Dei ipsius interventu & auctoritate sanciatur: ac proinde nisi de Dei voluntate constiterit (constat autem ex ipsius verbo) dirimi jure non possit. Sed objiciat rursus aliquis, ex insanabilis morbi supervenientis immissione meritò posse colligi, hanc esse Dei voluntatem, ut ejusmodi matrimonium dirimatur, cui insanabile impedimentum objicit. Respondét, colligi quidem meritò posse ex ejusmodi impedimento superveniente, non placere Deo, ut alter alterius corpore fruatur, velle autem matrimonium dirimi non item, quoniam potiùs, si hæc fuisset ejus voluntas, quo minùs matrimonium ab initio consummaretur, impedivisset. Itaq; statuere debere, quibus hoc evenit, sive temporarium sive insanabile sit impedimentum, sese divinitus ad continentiam vocari, quamdiu impedimentum

dimentum illud permanebit. Jam verò quum illud sit certissimum, fidelem esse Dominum, qui suos supra vires tentari non sinat, cui tandem dubium est, ei quem Dominus ad continentiam sic vocat, continentiæ quoq; donum promitti? Confugiat igitur ad Dominum potiùs, quàm ad novũ matrimonium, sobrietati studeat, occasiones omnes devitet, & certum adversus ustionem remediũ proculdubio impetrabit. Sic in summa hi definiunt & profitentur, nullas alias justi divortii caussas esse agnoscendas, quàm quæ sunt verbo Dei expressæ. Stare enim illud Domini dictum: *Quod Deus conjunxit, homo ne separet.* Homo autem tum separare videtur, quum absq; Dei verbo divortium concedit. Tunc autem sine Dei verbo permittit, quando separationem absq; caussa adulterii aut desertionis (ut sanctus Paulus 1. Corinth. 7. 15. statuit) facere audet. Etenim adulterium sua natura & tota ratione ex diametro cum conjugii natura, substantia & fide conjugali pugnat, quia per conjugium duo sunt caro una, quæ unitas adulterio rumpitur & dissolvitur. Deinde separationem vel divortium admittit, quia fieri non potest, ut unus cum duabus sit una caro. At qui relicta conjuge adhæret scorto, ille, inquit Paulus 1. Cor. 6. 16 una caro cum scorto fit. Desertioni verò justam repudii caussam tribuit Apostolus 1. Corinth. 7. ℣ 15. quia infidelis, id est, alienus à cognitione Christi veræ religionis odio discedit à fideli conjuge, nolens cohabitare. Nec tamen ipsam deserentis aut discedentis infidelitatem statuit esse divortii caussam, ut tamẽ sub lege fuit. Quod ex Esdra colligitur, qui quum Israëlitas videret sese Moabitis copulasse & alienigenis diversi cultus, ea conjugia dissolvit, nondum videlicet pariete per Euangelium dirupto. Sic non statuit Apostolus: sed præcipit, ut si infidelis habitare velit cum fideli, hæc illam ferat, injustum verò duntaxat ipsius infidelis discessum, caussam divortii facit. Hinc est, quòd magni nominis Theologi (inter quos & Lutherus) infidelitatem seu desertionem illam (de qua loquitur Paulus) revocant ad genus, videlicet ad quamlibet malitiosam, injustam & pertinacem discessionem & desertionem. Juxta illud 1. Timoth 5. 3. *Qui suorum, maximè autem domesticorum curam non habet, fidem abnegavit, & infideli deterior est.* Et videtur idem Apostolus, quum dicit: *Non est servituti subjectus frater aut soror in ejusmodi:* paria peccata intelligere.

Divortii caussa vera.

Esdra 9. 11. & 10. 17.

1. Cor. 7. 15.

Defendit tertiò Bellarminus Gregorium III. hoc argumento: *Secundum matrimonium concedi, non ut justum, sed ut minus malum.* Sed hoc nostram caussam statuit. Ostendit enim Pontificem per Decretalem suam malum jubere posse.

Dicit ergo postremò: *Pontificem ignorantia lapsum esse.* Quasi verò, quum nos dicimus, Pontificem per Decretalem suam hæresin docere posse, hoc ex scientia fieri velimus. Sive scienter, sive ignorãter polygamiam induxerit, certum est, ipsius judicium in rebus fidei & morum certum non esse.

NIHIL à Gregorio III. distat NICOLAUS I. qui circa annum salutiferi partus 862 *Baptismum probavit in nomine tantùm Christi factum*, sine expressa mentione trium personarum, ut legitur Canone

II. Nicolaus I. Baptismum in unius tantùm personæ nomine probas.

none, A quodam Judæo, de consecrat. distinct. 4. Neq; exigua hæc res est, sed inde ortum, ut acri Doctorum utriusque partis certamine agitetur, aliis idē affirmātibus, aliis contrarium sentientibus, præsertim verè Pontificiis, ut Bellarminus controvers. 2. generali de Baptismo & confirmatione, tom. 3. cap. 3. lib. 1. pag. 11. refert. Disceptatio autem sive quæstio est, utrum ad Baptismum sufficiat invocatio unius personæ divinæ tantùm, ac præsertim Christi? De hac igitur sic scribit ille: *Præter hos errores est opinio quædam incommoda multorum Catholicorum, qui putarunt sufficere ad Baptismum, invocationem unius personæ divinæ tantùm, ac præsertim Christi. Ita videntur sentire* S. AMBROSIUS *lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 3.* BEDA *in cap. 10. Act. qui ipsa verba Ambrosii citat.* BERNHARDUS *epistola 340. ad Henricum, qui docet, ratum sibi videri Baptismum, quem quidem contu- „ lit ex imperitia: In nomine Dei, ac sanctæ & „ veræ crucis. Item* HUGO *de* S. VICTORE *lib. 2. de Sacramentis, part. 6. cap. 2. &* MAGISTER *lib. 4. sentent. distinct. 3 & denique* NICOLAUS PAPA *in epist. ad Bulgaros, ut habetur can. A quodam Judæo, de „ consecrat. distinct. 4. qui nihil quidem definit, „ sed profert Ambrosii auctoritatem, & eam „ approbare videtur*

Quidam cum Nicolao idem affirmant.

Fundamenta horum auctorum sunt duo. Primum, auctoritas Apostolorum, qui baptizant in nomine Christi, ut habetur Act. 8. & 10. & 19. Secundum, quia in qualibet persona divina implicitè continentur omnes tres. Qui enim dicit Patrem simul dicit Filium & Spiritum oris ejus. Qui dicit Christum, dicit ungentem, id est, Patrem: unctum, id est, Filium: & unctionem, id est Spiritum sanctum. Qui dicit Spiritum sanctum, dicit Patrem & Filium, à quibus ille spiratur. Sed fundamentum præcipuum omnium auctorum post Ambrosium, id est, ipsius Ambrosii auctoritas. Quare si fortè Ambrosius non illud voluerit dicere, quod verba ejus sonare videntur, ruit fundamentum præcipuum illius opinionis.

Fundamenta hujus sententiæ.

Sed quicquid de hoc sit, certum est, Baptismum aut absolutè, aut sub conditione repetendum, si detur in nomine CHRISTI, *aut alterius cujusvis personæ, sine expreßione aliarum, ut rectè docent Theologi omnes graviores.*

Bellarminus cum plerisq; contrarium sentit.

Ex his Bellarmini verbis duo animadvertimus Romanæ Ecclesiæ circa Baptismum certæ hæreseos indicia. Primùm enim apparet, Nicolaum illum Papam haud solum ita sentire atq; docere, sed & alios cōplures summâ tum doctrina tum auctoritate viros. Verùm id nō tantùm formæ Baptismi à Christo expressè institutæ, sed etiā totius Ecclesiæ traditioni & consuetudini adversatur. Zacharias etiam Papa definit C. In synodo, ibidem de consecrat. distinct. 4. *Non esse legitimum Baptismum, si vel una persona Trinitatis non nominetur.* Cui etiam PELAGIUS Papa suffragatur C. Multi, ibidem.

1. Hæresin redolet illa doctrina.

Respondet Bellarminus, sed ridiculè. Dicit enim *Nicolaum I. hæc docuisse non ut Papam, sed ut particularem Doctorem.* Quasi verò Decretales Pontificum, præsertim quæ inter leges referuntur Pōtificias, sint tantùm hominum particularium opiniones, & hac responsione non omnium legum Pontificiarum authoritas evertatur.

Excusat Nicolaum Bellarminus.

Dicit secundò, PELAGIUM *non definire quicquam, sed ut particularem Doctorem explicare opinionem suam.* Quasi verò majorem habeant authoritatem, quæ in

in Gregorii IX. libris habentur Decretales, quàm istæ explicationes. Præterea, nisi vel Nicolaus vel Pelagius aliquid de hac re definierit, nihil certi continent Decretales, neque certò sciunt Adversarii, quid sit credendum de Christi Baptismo.

Dicit tertiò, *Canonem Zachariæ suspectum esse.* Sed si ipsi suspecti sunt canones, quos in archivis suis custodiunt Pontifices, nihil mirum est, si nobis sint suspecti, adversus quos illi ex adversariorum scriniis depromuntur.

Col. 999. Dicit quartò, AMBROSIUM & BEDAM *ratum habere Baptismum in Christi nomine administratum.* Cur ergo Nicolaum I. ipse reprehendit ita docentem? Cur hanc ejus sententiam suo judicio falsam esse ait?

Respondet postremò, *Zachariam non definivisse, Baptismum esse invalidum in nomine tantùm Christi administratum, sed tantùm laudasse, & citasse ad propositum suum Concilium Anglicanum, quod ita definierat.* Ubi etiam destruit, quod antè posuerat. Anteà enim dixit, suo judicio invalidum esse Baptismum in nomine Christi tantùm administratum: hîc autem reprehendit Concilium Anglicanum & Zachariam, quia invalidum esse senserunt: mirificamq; suam ostendit inconstantiam & stultitiam. Nam licet omnia Pontificum Romanorum decreta defendenda susceperit: hîc tamen duo contraria eorum decreta de Baptismo reprehendit, & tamen neutrum eorum vult in fide errasse. Quæ hæc vertigo?

Præterea, apertè mentitur, ubi dicit Zachariam nihil definivisse. Cur enim non definiat illud, quod scripsit, & probavit, & promulgavit? An ita respondet, ut nihil asserat, nihil statuat, nihil definiat?

Deinde, è verbis Bellarmini colligimus, non rarò teterrimâ & absurdissimâ verborum formâ nonnullos Pontificios inter baptizandum, impunè usos, & etiamnunc uti. Nam de S. Bernardo fatetur Bellarminus ipse, eum probasse Baptismum administratum à quodam, *in nomine* DEI, *ac sancta & vera crucis.* Hinc non magnopere mirandum est, quòd nos alibi retulimus, lib. nimirum 2. cap. 4. Pontificios in novo Sacerdotali tradere, legitimum Baptismum esse, si quis baptizet *in nomine Patris, Filii, Spiritus sancti, & B. Virginis Mariæ.* Sed & de BONIFACIO illo Papæ Zachariæ in Germania Legato, ac primo Moguntino Archiepiscopo, (cujus suprà meminimus) accepimus è Conciliorum tomo 2. in epistola Zachariæ, illum hominem ab indocto & rudi Sacerdote sermone corrupto *in nomine Patria, & Filia, & Spiritu sancta* baptizatum rebaptizasse. Qua de caussa etiam arguitur à Zacharia Pontifice Romano, & accusatur contra majorum doctrinam fecisse, ut ibi habetur. Quibus baptizandi formulis, quid à Christi institutione alienius? quid absurdius? quid superstitiosius, imò idololatriâ & blasphemiâ certiùs laborans? Ut interim omittam, utriusque & Bonifacii & Zachariæ communem errorem, quo in Sacramẽti hujus administratione ignotam auditoribus linguam, contra Apostolorum præscriptum & antiquæ Ecclesiæ usum adhibuerunt. Ac licèt Zacharias reprehenderit Bonifacium: tamen vulgatiorem tunc usum hujusmodi

2. Absurda Papicolarum quorundam forma verborum in Baptismo administrando.

Part 1. pag. 15.

Circa Annum Domini 745.

1. Cor. 12. & 14.

di

di formularum ineptarum fuisse apud rudes apparet.

Imò quanta in ipsis, nempe Bonifacio & Zacharia Pontifice tunc fuerit superstitio & divinarum rerum imperitia, patet ampliùs ex duobus (ut alia sileam) exemplis epistolę Zachariæ Papæ ad Bonifacium, tomo 2. Conciliorum extantis. Quorum prius totidem verbis continetur: *Flagitâsti à nobis, qua recipienda, qua respuenda sint; Imprimis de volatilibus, id est, graculis & corniculis atque ciconiis? qua omnino cavenda sunt ab usu Christianorum: etiam & fibri, atque lepores, & equi sylvatici multò ampliùs. Attamen sanctissime frater, de omnibus Scripturis sacris maximè compertus es.* Annon id est judaïzare, & abrogatas à Christo ceremonias in usum revocare, adversus disertum sacrarum literarum præscriptum? Nec sanctius aut doctius est alterum ex iisdem literis exemplum hoc: *Et hoc inquisisti, post quantum temporis debet lardum comedi? Nobis à Patribus constitutum hoc non est. Tibi autem petenti consilium prabemus, quod non oporteat illud mandi priusquam sub fumo siccetur aut igne coquatur. Si verò libet, ut incoctum manducetur, post Paschalem festivitatem erit manducandum.* Quid hac quæstione & responsione ineptius dici aut fingi potest? Quare ex hisce pauculis, sed tamen perspicuis exemplis constat, quanta in Bonifacio sacrarum literarum & officii fuerit imperitia: quanta in Pontifice Romano superstitio & stultitia, quâ Scripturæ sacræ peritiam Bonifacio adscribit, qui adeò doctrinæ Christianæ fuit ignarus, ut quãdo lardum comedi posset, ignorârit: quanta deniq; in utroque à Christi doctrina dissensio. Quæ vitæ improbitate se ampliùs prodidit ac patefecit. Quam ad rem unicum suffecerit exemplum, quod MARIANI SCOTI Monachi antiqui verbis proponam: *Zacharias*, inquit, *Papa ex auctoritate S. Petri Apostoli mandat populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate regia utebatur, etiam nominis dignitate frueretur. Ita Hildericus Rex, qui ultimus Merovingorum Francis imperabat, depositus & in monasterium missus est. Pipinus verò in civitate Suessonum à sancto Bonifacio Archiepiscopo in regem unctus, regni honore sublimatus est. Et deinde ob id post Papam habetur Mogũtinus Episcopus usq; in hodiernum diem.* Quare ex hoc improbissimo Zachariæ Papæ & Bonifacii facinore, quamvis id juris humani & divini fucare studeant Marianus, sicut & Gelasius Papa Decretorum causâ 15. can. 6. §. Alius: pii tamen & prudentiores non obscurè vident summam Pipini in legitimum Dominum suum perfidiam, & Papæ ac Bonifacii arrogantiam & injustitiam singularem. Quis enim ignorat ista oracula Christi: *Reddite, qua sunt Casaris, Casari, & qua Dei sunt, Deo.* Et Pauli: *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit.* Et Petri hoc: *Subjecti igitur estote omni humana creatura propter Deum, sive Regi, quasi pracellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Quæ sancta Dei præcepta, ut alia multa, quũ profanè Bonifacius violârit, immeritò à Pontifice in Sanctorum relatus est album, & iniquè ex illius doctrina Ecclesiæ Pontificiæ veritatem Papistæ stabilire contendunt, ut Costerus in Enchiridio cap. 5. de Ecclesia facit.

Utut verò tam Nicolaus I. quàm alii hac vel illa formula verborum in Baptismo

Zacharia Papa ruditas.

Coloss. 2. 16. 17. & c.

In Chronico.

Mat. 22. 21.

Rom. 13. 1.

1. Pet. 2. 13.

Formula verborum vera in Baptismo administrãdo.

ptismo administrando sint usi, nobis vera & sacrosancta est formula verbum illud Euangelii, cujus summam institutio Domini nostri Jesu Christi, conjuncta cum promissione vitæ æternæ, his verbis complectitur: *Baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quicunque crediderit & baptizatus fuerit, servabitur.* Ideò Didymus ait: *Imperfectũ esse Baptismum, si aliqua trium personarum omittatur.* Nam quòd in Actis c.2.38. & alibi Apostoli legũtur baptizasse in nomine vel in nomẽ Domini & Christi, id vel Synecdochicè dicitur, ut vult Ambrosius, & eandẽ sensum habet cum superiore formulâ, quia in Christo est Pater & Spiritus sanctus, & qui crediderit in Filium, credit in Patrem & Spiritum sanctum: vel in nomine Christi, hoc est, ex nomine & jussu Christi, id est, sicut ille præceperat: Ut nomen sæpè pro mandato accipitur: Vel est terminus ad quem, id est, finis & scopus, vel effectum Baptismi, non autẽ forma baptizãdi significatur: ut sit sensus, baptizasse eos in nomẽ & professionem, seu etiã mortẽ Christi, & inseruisse ac quodãmodo incorporasse Christo per Baptismum. Imò huic tanquam Mediatori Christianos consecrasse vel obsignavisse, sed formulâ Baptismi consuetâ & à Christo traditâ Math.28 ℣.19.

Mat 28.19. Mar.16.16. Joh.12.44. & 14. 9.10. 11.

CAP. VIII.

De Formoso I. Johanne IX. Stephano VI. Sergio III. Johanne XIII. Sylvestro II. Gregorio VII. aliisq; Pontificibus Romanis.

TAm acta etiã quàm doctrina nonnullorum aliorum Põtificum Romanorum satis arguunt, eos terra errorum & hæresum monstra in sinu suo fovisse. Ut & *Formosi & Johannis IX.* acta irrita & nulla esse, pronunciarunt *Stephanus VI. & Sergius III.* Iidem Formosum non fuisse legitimum Pontificem declarârunt. *Romanus* autem *I. Theodorus II.* & *Johannes IX.* acta Formosi confirmarunt. Unde sequitur, vel nihil omnino istos de fide decrevisse, vel contraria fidei decreta, atque ideò hæretica edidisse. Imò partim ambitionem, partim ignorantiam cunctis Christianis, nedum pro capitibus Ecclesiæ haberi volentibus, indignissimam, tam ad acta ista sua statuenda & proponẽda, quàm rescindenda, Patres illos scilicet sanctissimos impulisse sentiet, quicunque Platinam & supplementum Chronicorum de illis exactè evolvet.

Formosi I. Johãnis IX. Stephani VI. Sergii III. Romani I. Theodori II. acta hæresin redolentiã.

Quid Pontificii? Ex his audet Bellarminus quosdam illorum defendere lib.4. de Pontif. Rom. cap.11. col.1000. Ait *errasse Stephanum & Sergium, sed in facto tantùm.* Quæ hæc impudentia est? Quasi verò Concilio à se indicto nihil de fide statuissent, aut non esset error, legitimè ordinatos pro laicis habere, & iterum ordinare: quod Stephanus & Sergius fecerunt, teste Platina & Chronicorum supplemento.

Defendit illorũ quosdam Bellarminus.

Pergimus ad Johannem XII. sive ut alii numerant XIII. *Is non modò Diabolum invocavit alea ludens, sed etiam bibens vinum ei propinavit,* auctore & teste Luitprando lib.6. ferè per totum. Scribit enim Cæsare OTHONE I. *hæc ei crimina objecta fuerunt, quòd matutinas & horas non dixerit, quòd Missam celebrans non communicârit, quòd cum duabus sororibus incestum commiserit, quòd in alearum ludo Dæmones in auxilia vocaverit, quòd pueros pro nummis aureis*

Johannes XIII. Diabolum invocavit.

aureis in Episcopos constituerit, virgines & peregrinas mulieres violaverit, Lateranense palatium sacrum lupanar ac prostibulum fecerit, Stephanam patris sui concubinam, Raineram viduam & Annam aliam adhuc viduam cum sua nepte constupraverit, Benedictum patrem spiritualem luminibus privaverit, venationes publicas exercuerit, arma portaverit, incendia procuraverit, fores & fenestras noctu fregerit, Diabolóque vinum prabiberit, &c. Nec mirum. Testantur enim & alii Scriptores veteres, eum Pontificatus gradu patris sui partim muneribus partim minis occupato, in eo officio quod sanctissimum ab infirmis in fide & vocatur & existimatur, non sanctè & Apostolicè, sed planè Papaliter, id est, ganealiter & histrionicè vixisse, ut omni voluptatũ generi, scilicet stupris, adulteriis, incestis, libidinibus, venationibus, ludicris, ludis, rapinis, incēdiis, homicidiis, perjuriis, aleis, armis, sacrilegiis, aliisque flagitiis ab ipsa adolescentia assuetis totus incubuerit. Annon autem hæresis funesta est, si vel vulgaris homo Christianus, nedũ sanctitatis præcipuæ existimatione nobilis Papa, cōempta Christi redēptione à Diabolo, spretaq; invocatione ipsius Christi Salvatoris, sese rursus Diabolo mancipat ejusque opem implorat? Imò auxilium Diaboli invocando, sese ejus mancipium factum esse declarat? Si enim *Collyridiani* olim hæretici nuncupati sunt & fuerunt, quia B. Mariam virginem & matrem Salvatoris nostri colebant & adorabant, ac *Angelici & Caini* propterea, quòd Angelos venerabantur & implorabant, cur non Johannes XIII. Papa hæreticus diceretur & esset, qui Diabolum invocavit?

Vide lib. 2.

Respice deinceps ad SYLVESTRUM II. & considera quidnam ab hæresi abfuerit simili? Etenim *se Diabolo ex pacto tradidit*, totusq; magus Diabolicus fuit, nulli nisi profanarum artium studio ex animo fervens ac favens, quippe earum perdiscendarum causâ in adolescentia ad Philosophum Saracenum, magiæ peritum, Hispalim profectus. Apud quē nō eruditione solùm, sed & ambitione crevit, cogitavitq; quo pacto sibi viam inveniret, qua ad altiora honoris & opum fastigia ascenderet. Re igitur hac diu anxiè secum deliberata, putavit nihil ad eam esse conducibilius, quàm si magicis artibus se totum addiceret. Vidit autem apud Magum hospitem librũ necromãticum, eumq; quomodo illi surripere posset, operam dedit. Quum verò codicem ille religiosiùs servaret, quàm ut à Sylvestro (qui tunc Gilbertus appellabatur) surripi posset, persuasit filiæ, quam domi habebat magus magister, ut patris librum secretò tolleret, sibique perlegendum daret. Puella, cum qua ei domestica intercedebat familiaritas, morem ei gessit, eumque voti comporem fecit. Libro accepto, clam parat abitionem; metuens tamen ne ex furto illo vitæ sibi periculum immineret, Satanæ jurejurādo sese tradidit, ea lege, ut ejus præsidio tutus in Galliam veniret, & non vulgares dignitatum gradus consequeretur. Venit igitur ejus auxilio in Galliam, Scholas cum quibusdam aliis aperuit, liberalesque artes non sine auditorum admiratione docuit. Unde plures in prædicta arte discipulos nactus, Constantinum scilicet Abbatem S. Maximini propè Aurelianum, Lotharium

Sylvester II.

tharium Archiepiscopum Senonensem, Adelboldum Episcopum Wirceburgensem, Othonem Imperatoris filium, Robertum Franciæ Regem, Theophilactum, Laurentium, Malfitanum, Brazutum, Johannem Gratianum, Sacerdotes Romanos, atq; alios multos. Horum opera & largitionibus fiebat primùm Episcopus Rhemensis, deinde malis artibus adeptus est Archiepiscopatum Ravennæ, postremò Diaboli ope adjutus, Romani Papatus sedem Sylvestri nomine ascito, accepit, ejus vicarius factus, quem è puteo suo tartareo suis præstigiis ac necromantiis solvit. Nam & Petrus Præmonstratensis cum quibusdam aliis scriptoribus refert, illum anno à natali Christi 1000. Papali cathedræ præfectum esse, terræmotu magno divinitus excitato & cometa horribili, teste Massæo, die 14. Decembris viso. Magicas verò artes ille in Papatu celabat, & necessitudinem eam, quam cum ipso Diabolo habuit, dissimulabat. Capite autem æneo in abdito quodam loco servato, ab eo, cum quid peteret à maligno spiritu, responsa semper accepit. Tandem sibi pulchrè in tanto dignitatis culmine placens, ex suo congerrone Diabolo sciscitabatur, quamdiu Pontificatu esset potiturus? Diabolus ambiguè respondit: Non moriturum illum, priusquam in Hierusalem Missam celebrasset. De vitæ ergo diuturnitate bona spe accepta, omnino cœpit esse securus, quòd putaret se posse cavere, ne Hierosolymam (Palestinæ urbem intelligens) proficisceretur. Mos verò fuit, ut Pontifex in quadam quadragesimalis stationis die Romæ sacra faceret in basilica sanctæ crucis, quæ Hierusalem vocabatur. Unde Sylvester nihil periculi suę vitę impēdere ratus, nec latentes Diaboli insidias in vocis Hierusalem ambiguitate animadvertens, basilicam Hierusalem ingreditur, ac Missam ex more in ea peragit. Sed statim gravi febre correptus, ex strepitu Dæmonum sentit sibi mortem adesse, pensumque Satanæ reddendum. Scelus magici erroris publicè deplorans, inde confitebatur, miserabili & horrendo hoc interitu præventus. Et inter ipsas mortis angustias supplicat (inquit Benno) manus & linguam abscindi (sunt, qui addant genitalia) per quas in ipso cœlibatu sacrificando Dæmonibus Deum ipsum blasphemasset. Atque ita anno Domini 1003. dignum suis meritis exitum invenit, discipulos ejus, nihil teterrimæ ipsius mortis atrocitate ab idololatriæ magiæque Diabolicæ studiis absterrente.

Apoc. 20.

Respondet Bellarminus: *Fabulas esse, quæ de morte & magia Sylvestri narrantur.* Sunt ergo fabulę historię Papales, quas narrat Platina, Petrus Præmonstratensis, Benno, Martinus Polonus, Supplementum Chronicorum, Fasciculus temporum, & alii scriptores non ignobiles. Præterea cur non & reliquæ historiæ Papales æquè in dubium revocentur? *Sylvester II.* inquit Wernerus, *factus est Papa auxilio Diaboli, cui & homagium præstitit.* Hæc communis est historicorum narratio, cui potius fides adhibenda est, quàm hæc absque ulla ratione negantibus.

Pugnat pro Sylvestro Bellarminus.

In Fasciculo temporum.

Objicitur *inscriptio sepulchri, quæ honorifica admodum sit.* At primò inscriptiones ejusmodi ut plurimum falsas continent

tinent laudationes. Deinde iidem illi auctores paulò antè nominati perhibent, Sylvestri sepulchrum, ossium collisione & sudore emisso, à tempore obitus ipsius semper Pontificum mortem prænunciasse. Ecquid ita? Dubio procul ideò, ut tum minùs de horrendo hoc mortis ipsius genere dubitemus, tum ea denuntiatione à Diabolo significari intelligeremus, cum Pontificibus Sylvestri successoribus eandem necessitudinem sibi esse, quæ cum Sylvestro fuit, quem etiam suæ mortis ante obitum admonuit.

Johannes 19. JOHANNES XIX. adjutore Diabolo successit Sylvestro II. mago ac Satanico monstro, ut auctor est Blondus, Benno, & alii, anno Domini 1004. ac tandem venenata potione sublatus est.

Johannes 20. Nec minus JOHANNES XX. ejus successor famosus fuit (ut auctor est Benno) propter magiæ peritiam.

Sergius 4. SERGIUS IV. Johanni illi succedens, non aliis mediis Pontificale fastigium quàm ille ascendit.

Benedictus 8. Sic & BENEDICTUS VIII. per magicas operationes Theophilacti nepotis sui ministerio, qui Sylvestri II. discipulus fuerat Papalē sedem obtinuit.

Johannes 21. Post hunc frater ejus JOHANNES XXI. de quo infrà plura, ejusdem Theophilacti nepotis arte nefaria, nullis adhuc initiatus sacris Pontificatum est assequutus. Nam etsi Theophilacti, Johannis Gratiani, Laurentii, Malfitani, Brazuti, & aliorum Pseudosacrificulorum maleficiis, incantamentis atque operationibus geomanticis omnia tunc Romæ ad Satanæ nutum regebātur: tamen Theophilactus cæteros omnes his artibus elegantissimis scilicet superabat.

Benedictus 9. Qua de caussa etiam Joh. XXI. mortuo ipse Theophilactus cathedrā Pontificiam solitis artibus Satanicis ac magicis præstigiis conscendit, se Benedictum IX. vocari curavit, ac Laurentium & Gratianum tunc Archipresbyteros vel Cardinales, suos condiscipulos atque incantatores Diabolicos præ cæteris omnibus intimos & secretorum cōscios semper habuit. In quibusdā nemorib. ac sylvis ante Pontificatū his complicibus sociatus, per nefariæ curiositatis ritus atque ceremonias *spiritus malignos invocare*, & fœminas quascunque volebat necromanticis operationibus in fœdos amplexus trahere solebat. Dum verò semel de sylvarum secretis ad Ecclesiam cum his sociis rediret, convenientibus multis, subitò audita est avicula, quæ vulgo passer dicitur, dulces voces iterare. Et interrogatus Laurentius maleficiorum princeps, qui & augur erat, quæ avis illa caneret? Statim respondit: Avicula jubet, inquit, alias aves ad portam majorem convenire, ubi nunc fractus est cujusdam rustici currus, & effusum milium, quod super illo ferebatur. Invitat autem frequenti cantu, ut illuc citò veniant ac saturentur. Quo audito, adstantium plures concito cursu ad eam portam alius alium certatim prævenerunt, & sicut dixerat, invenerunt. Augurii s illi sciebant, quid esset factum in Oriente & Occidente, in Meridie & Septentrione, aut in extremis terrarum partibus, sive de bellis, sive de morte Principum. Et multi studiosè eorum ministerio adhærebant, atque imbuebantur illorum artibus, præsertim Hildebrandus, postea Gregorius VII. di-

X ctus.

ctus. Quo monasterio relicto, in schola tantæ perversitatis arte & usu edoctus, tantorum maleficiorum fidus minister & pessimis magistris pejor est factus discipulus. Quod ex fructibus perfidiæ ipsius postmodùm percepit Ecclesia. Hæc Benno. Sed Benedictus IX. hujus magister & antecessor, tandem in sylvis est circa annum à nato Servatore 1056. meritum sortitus finem, à quodam Dæmone suffocatus. Referunt etiam historici istum prope molendinum à quodam eremita horrenda imagine visum. Erat enim corpore urso, cauda atque capite asino similis. & cum interrogaretur ab ipso, unde incidisset in eam metamorphosin, respōdisse fertur: Hac specie oberro, quia in Pontificatu sine ratione, sine lege, sine Deo vixi, & omnibus probris Romanam sedem inquinavi.

Gregorius 6. GREGORIUS VI à Sylvestro II. magicas artes edoctus, & Johannes Gratianus vocatus, Papatum à Benedicto IX. suo propinquo emit, ac tandem accepit. Hujus perfidiæ (ait Benno) simul & pecuniæ Hildebrandus hæres extitit, Romam post ejus mortem reversus.

Gregorius 7. GREGORIUS VII. anteà Hildebrandus dictus, impostor, magus, incantator ac præstigiator diabolicus, inaudita tyrannide Pontificatum invasit. Unde palàm pro HÆRETICO & necromantico in synodo Brixinensi damnatus est, teste Urspergensi, Bennone Cardinale & aliis multis. At si hic ob magiæ studium fuit pro hæretico damnatus, annon cæteri hactenus recitati eodem crimine tenentur, quum ejusdem artis nefandæ ac diabolicæ studiosi fuerint, ut exposuimus, & Bennonem aliosque fide dignissimos testes sistere possumus?

Sed unum Gregorium sibi defendendum sumit Bellarminus, dicens libro 4. de Pontifice Romano, cap. 13. *Bennonis hunc librum aut à Lutherano aliquo fuisse confictum, aut pessimi Pontificis ideam descriptam habere, dum narrantur, non quæ erant, sed quæ cogitari potuêre pessima.* Verùm mendaciū & impudentiam hominis redarguit, *primò* [a] ORTHUINUS GRATIUS, qui librum hunc alioqui Pontifici amicissimus, edidit: *Deinde* URSPERGENSIS, scriptor in amorem & caussam Pontificiam propensissimus, qui eadem crimina narrat. Istis etiam assentiuntur SCHAFNABURGENSIS, qui ait: *Clerici clamant, Hildebrandum esse hominem planè* HÆRETICUM *& vesani dogmatis.* Ac Nauclerus, qui generat. 37. dicit: *Clerus dixit Hildebrandū Papā sedē Apostolicam per simoniā,* HÆRESIM, *homicidia atq; adulteria polluisse, apostatam fuisse, & Christianæ fidei desertorem, & proinde justis de caussis ab omnibus Italiæ Episcopis excommunicatum.* Adhæc SIGEBERTUS GEMBLACENSIS, & [b] is, qui vitam scripsit HENRICI IV. Imperatoris, adversus quos nequicquam Bellarminus testes quærit, & Gregorii laudatores. Valdè enim iniquum esse oportet, qui Pontificis mancipiis & asseclis potiùs credat, quàm historicis, qui vel vitæ periculo verum dixerunt. Neque enim tutum erat advesus Pontificem mutire. HELMOLDUS significat lib. 1. *paucos ausos fuisse de Pontificis actis disputare.* Et auctor vitæ HENRICI IV. dicit apud Orthuinum Gratium in fasciculo: *Ventum est, inquit, ad factiones, ad fraudes, ad*

Protegit Gregorium 7. Bellarminus.

a *In Fascic. rerum expetendarum & fugiendarum.*

b *Ibidem.*

ad scelera, de quibus vera scribere periculum est. At contrà mentientibus in Pontificis rem, magna proposita sunt præmia & mitræ Pontificales. BENNO certè ait; *Brazuto ac Judæo cuidam familiaribus suis* HILDEBRANDUS *pecuniam suam atque consilia communicavit, & per eos venales multorum linguas sibi comparavit.*

Occurrent autem pervolventi Pontificum Romanorum acta alii quoque Papæ, qui vel ipsi magi fuerunt, vel magis faventes, ut ALEXANDER II. & VI. qui dæmonibus ipsis ex fœdere jũctus fuit, ut tandem in Pontificé crearetur. CLEMENS II. & VIII. DAMASUS II. SILVESTER III. LEO IX. VICTOR II. STEPHANUS IX. NICOLAUS II. BENEDICTUS X. PAULUS III. qui in Astrologia & divinatione ea præcipuè, quæ malorum dæmonum adjutorio fit, primas obtinuit, ac Necromanticos socios ac familiares habuit, qui sua & filiorum suorũ fata in aspectibus & siderum domiciliis inquirerent, ita diaboli artes & technæ Ecclesiã per Pontifices Romanos semper exercuerunt. Qui autem Diabolicis artibus & magicis studiis dediti fuêre, an possunt in fide esse sani & incorrupti? Annon falsis de Deo, de Christo, de ejus redemptione, de ultimo judicio, de resurrectione, deq; vita æterna opinionibus imbutos esse, ac infelicia hæresum lolia zizaniaque, quibus fidei Christianæ veritas oppugnatur, tenere aut spargere necesse est? Horum certè acta, qui evolvit, nunquam plures & majores errores in Ecclesiam invectos esse inveniet, quàm magicorum istorum Pontificum temporibus, unde tot morbis jam nemo mederi, tot vulnera nemo ampliùs quantumvis summâ industriâ sanare potest. DEUM igitur precemur assiduè, ut is medicam iis manum adhibeat, cui effectus quàm maximè & certissimè conjunctus fuerit.

CAP. IX.

De Johanne XIV. Alexandro III. Celestino III. Innocentio III. Nicolao IV. & Johanne XXII.

MYsterio iniquitatis juxta S. Pauli vaticinium sic magis magisq; sese exerente, accidit sub annum Domini 966. ut JOHANNES XIV. Papa *campanas Baptismo initiandas & consecrandas docuerit, nominibus iis etiam hominum impositis.* Ipseq; re majori Lateranensis Ecclesiæ campanæ in coronatione Othonis suum nomen communicavit, Anno 973. Balæus centur. 2. Scriptorum Britanniæ fol. 133. *2. Thess. 2.* *Johannes 14. Campanarũ baptizatio.*

Stephanus Zegedinus in speculo Romanorum Pontificum hoc BENEDICTO V. tribuit. *Benedictus 5.*

Etsi autem ritus baptizandi campanas ab Alberto Castellano anno 1520. in Pontificali & à Petro Messia Hispalensi fusè describitur, sicut etiam in canone synodi Coloniensis anno 1536. habitæ, oneraque hinc Ecclesiæ imposita gravi querela in gravaminibus Germaniæ cap. 51. enumerantur: tamen non minùs luculenter quàm breviter omnia ea in compendium redigit Johannes Schleidanus, lib. historiar. 21. dicens: *Primùm quidem,* inquit, *sic eas pendere oportet, ut circumire possit Episcopus. Qui, quum Psalmos aliquot demurmuravit, aquam & salem consecrat, simulq; miscet,*

etiā foris & intus campanam diligenter lavat, pòst extergit, & oleo sacro formam crucis in ea describit, Deúmque precatur, ut quum impellitur & insonat campana fides & charitas in animis hominum augeatur, facessant omnes insidiæ Diaboli, grando fulmina, venti, tempestates, & omnis intemperies mitigetur. Ubi crucem illam oleatam linteo detersit, septem alias cruces in ea format, intus verò solùm unam: posteà Psalmos aliquot recitans, campanæ thuribulum subdit, & suffitum facit, eiq; beneprecatur.

Campanas baptizare esse hæreticum.

Atqui si MARCOSII olim pro hæreticis sunt habiti, quòd verba quædam peregrina, ad stupefaciendos auditores in Baptismo adhibebant, & MESSALIANI ideo, quia Baptismū ad præcedentia tantùm peccata valere dicebant, ut lib. 2. demonstratum est: quāto magis erunt ii hæretici, qui contra institutum Christi campanas sancti Baptismi aquâ tingunt, oleatis crucibus inungunt, hisque & tantas superstitiones addunt, quòd baptizati & cōsecrati hoc modo æris sonitu fugetur Diabolus, præveniantur fulminū ictus, ac omnis generis calamitates, quæ ventorum turbine infligi possint, avertantur, teste etiam Durando in Rationali divinorum officiorum lib. 1.

Objectio.

Illud autem dici, nimirum baptizari campanas, non modò indignissimè fert Bellarminus, sicut ante eum Hosius, verumetiam perstrenuè lib. 4. de Pontifice Romano, cap. 12. col. 1025. negat, & *campanas à suis symmystis non baptizari, sed consecrari* affirmat. At quū si testib. destitueremur, cum campanis omnia ea fieri cōstet, quæ ad Baptismū pertinent, nempe quòd aqua super eas fundi, & nomen eis dari, & precationes ac susceptores adhiberi cernitur, non injuria eæ baptizari ab illis dicuntur, sicque imprudenter illum adversus veritatem pugnare, nemini dubium redditur. Ad hoc probandum *primò* verba ipsa Bellarmini audiemus: *deinde* ea cum praxi Papistarum conferemus: *tertiò* rem ipsam multis modis à sacra Scriptura alienam, absurdam, atque adeò hæreticam esse comprobabimus.

Versutia tegendi campanarū Baptismum.

Hæretici (denotans Euangelicos inquit Bellarminus) *vel rem ipsam, vel nomen Baptismi campanarum reprehendunt. Si rem; apertè decipiuntur, vel mentiuntur. Non enim campanæ reverâ baptizantur, sed solùm benedicuntur & dedicantur divino cultui, eo modo, quo Templa, Altaria, Cruces, & alia sacra vasa, ut patet ex Pontificali, ubi habetur benedictio campanæ, & nulla fit mentio usquiam Baptismi,* &c. Hæc ille.

Pontificale de campanarum Baptismo.

Quum ergo ad Pontificale nos rejiciat Bellarminus, obsequemur ei, & quam nobis liber ille exhibet Cæremoniam, paululùm bona Lectoris cum venia monebimus. In ea hæc verba lib. 2. *de Benedictione signi vel campanæ leguntur,* ut est Venetiis anno 1520. auctoritate Pontificia impressum: *Campana debet benedici, antequam ponatur in campanili. Paranda sunt ideò vas aquæ benedicendæ, aspersorium, vas cum sale, lintea munda, oleum sanctum, sanctum Chrisma, thymiama, thus, myrrha, thuribulum cum igne, Pontifex & Diaconus, &c. sint in suis vestimentis. Precibus peractis Pontifex lavat campanam cum dicta aqua, & cum pollice dextra manu facit crucem supra campanam ab extra cum oleo infirmorum, & intus cum chrismate, & profert interim hæc verba: Sanctificetur & consecretur (Domine) signum illud, in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ sancti. In honorem Sancti talis: Pax tibi, &c.*

At

At quia liber in paucorũ manib. versatur, preces, quas in hac actione fundũt, ex parte aspergã: *Benedic Domine hãc aquam benedictione cœlesti, & assistat super eam virtus Spiritus sancti, ut quum hoc vasculum,* &c. *in ea fuerit tinctum, ubicunque sonuerit hoc tintinabulum, procul recedat virtus insistantium, umbra phantasmatum: incursio turbinum, percussio fulminum, læsio tonitruorum, calamitas tempestatum,* &c. Et postea: *Præsta, quæsumus, ut hoc vasculum sanctificetur à Spiritu sancto,* &c. *ut quum melodia illius auribus insonuerit populorum, crescat in eis devotio fidei, procul pellantur omnes insidiæ inimici, fragor grandinum,* &c. *aëreæ potestates hoc tintinabulum audientes contremiscant,* &c. Et postea: *Omnipotens Deus, qui,* &c. *tu hoc tintinnabulum cœlesti benedictione perfunde, ut ante sonitum ejus longiùs effugentur ignita jacula Diaboli percussio fulminnm,* &c *Et quicunque ad sonitum ejus convenerint, ab omnibus inimici tentationib. liberi sint.* Et paulò post: *Omnipotens Christe, qui,* &c. *tu hoc tintinnabulum Spiritus sancti rore perfunde, ut ante sonitum ejus semper fugiat bonorum inimicus,* &c.

Collatio Baptismi infantum & campanarum.

Atque ita Bellarmino obsequuti Pontificale inspeximus: quid autem boni in eo deprehenderimus, æquus Lector judicet. Mendacii nos insimulat, quòd à suis symmystis campanas baptizari asserimus, fideique faciendæ caussa ad Pontificale nos remittit. Verùm si illud haberi à nobis posse existimasset, eò nos minimè rejecisset. Inde enim patet, Baptismum campanarum in Ecclesia Romana magis solennem esse, quàm infantum. Nam longiorem apparatum, ambitiosiorem pompam, ceremonias plures, majoris momenti precationes, & honoratiores ministros ad illum requirunt, quàm ad hunc. Atque omnia, quæ ad horum Baptismum pertinent, in benedictione, quam vocant, campanarũ ita cõcurrunt, ut Bellarminus ipse fateatur. *nomen Baptismi non quidem à Pontificibus, sed à vulgo campanarum benedictioni accommodari, quia vident eas aspergi, eis nomina imponi, eas ablui, ungi, exorcizari,* &c. *Tom 1. de Rom Pont. lib. 4. c. 12.*

Atqui nos non de nomine, sed de reipsa contendimus. Fatere, quæsumus, Bellarmine, quũ precamini, *ut ante sonitũ tintinnabuli semper fugiat bonorum inimicus, & procul effugentur ignita Diaboli jacula,* &c. Jocóne id dicitur, an seriò? Num pro forma tantùm, an in fide? Imprecationísne duntaxat verba sunt, an precatio sancta? Si sciatis, precationem hanc impossibilem esse, nulla authoritate divina niti, sed meram esse ceremoniam, ad populum percellendum inventam, &c. DECEPTORES estis ac ATHEI, qui ex Religione omnium impietatum ac superstitionum operculum efficitis. Sin autem persuasum vobis est, precationem istam fidei esse, effectum suum sortiri posse, verbi divini authoritate niti, tum Diabolum, omnesque ipsius tentationes, insidias, & jacula ignita; tempestates item, turbines, procellas, grandines, tonitrua, ex integra aliqua regione pellere valeret. Tot enim campanæ sanctificari, aquâ benedictâ tingi, ac in locis adeò vicinis suspẽdi promptum esset, ut earum melodia omnium auribus facilè insonare, atque ita vi orationis supra campanam factæ, totam aliquam regionem tutam præstare posset. Ac certè dignissima foret insectatione Cacodæmonum tempestatumq; regio illa, quæ tot sibi cam-

panas vel ex auro purissimo conficere, & aquâ etiam etiam pretiosissimâ abluere, minùs parata esset.

Ridet quidem nos Bellarminus, ac dicit: *Objiciunt nobis Haeretici, quòd baptizamus campanas. Mirum verò est, quòd non etiam dicunt, campanas anteà à nobis catechizari, & instrui, ut possint fidei symbolum resonare.* Ibidem. Sed verosimile est, Jesuitam vel non inspexisse, vel non attentè considerasse Pontificale, alioqui animadvertisset, in ea precationem fieri ad Deum, *ut tintinnabulum Spiritu sancto sanctificare, coelesti benedictione & Spiritus sancti rore perfundere dignetur.* Si haec legitima sit ac idonea pro campanis precatio, quid distat à catechizatione? quidni catechizari quoq; possint? Absque dubio enim aequè capaces sunt instructionis ab hominibus, quàm spirituali ac coelestis alicujus benedictionis à Deo.

Ex his liquet, tantam esse benedictionis campanarum & Baptismi apud Romanenses similitudinem, ut vix ovum ovo similius esse queat.

1.	1.
Infans baptizari debet, antequam pro membro Ecclesiae haberi possit.	Campana benedici debet, antequam in campanili poni possit.
2.	2.
Infans baptizari debet à Sacerdote aliquo.	Campana verò benedici debet â Pontifice, Episcopo vel Suffraganeo.
3.	3.
Ad infantis Baptismum adhiberi debet aqua benedicta, chrisma, sal, oleũ, sputum, exorcismus, & hujus generis alia.	Ad campanae benedictionem adhiberi debet aqua benedicta, chrisma, sal, oleum, thymiama, thus, myrrha, thuribulum, &c.
4.	4.
Infanti in Baptipsmo nomen imponitur.	Similiter & campanae.
5.	5.
Infans suos patrimos & susceptores habere debet.	Idem munus in campanarum benedictione, hominibus summae authoritatis demandatur.
6.	6.
Infans aqua lavatur, vel aspergitur.	Pariter & campana, & quidem vel à Pontifice, vel ab Episcopo, &c.
7.	7.
Infans cruce signatur.	Sic quoque cum pollice dextrae manus, crucem supra campanam faciunt.

8. In-

8.

Infans chrismate inungitur.

8.

Sic etiam campana, extra quidem oleo infirmorum, intus autē chrismate.

9.

Infans in nomine sacrosanctæ Trinitatis baptizatur.

9.

Ita & campana consecratur in nomine Patris, Filii, & Spiritus sanct.

10.

Infans Deo precibus commendatur.

10.

Similiter & campana.

11.

In Baptismo infantis Scriptura legitur, & publicæ preces fiunt.

11.

Sic & in benedictione campanę plures Psal. & Euangelia leguntur, quàm in Baptismo: Plures insuper preces fiunt, & excepta salute æterna, majora dona campanæ expetuntur, quàm infanti.

His omnibus satis, ni fallor, superq; confirmatur, Romanam Ecclesiam quadantenus, quoad nomen, præcipuè verò quoad rem ipsam, campanas baptizare.

Progressus campanilis Baptismi.

Sed estne hoc vulnus hactenus curatum? Nihil minùs. Non enim antiquitus tantùm, in diebus ignorantiæ superstitiosa hæc impietas Ecclesiam Romanam pervasit, sed his ipsis quoq; nostris temporibus perseverat. Haud enim ita pridem Clementis VIII. Pontificis Maximi jussu *Pontificale Romanum* restitutum, & pulcherrimo charactere ac elegantissimis picturis Romæ anno 1595. editum est, cum præfixa ejusdem Clementis constitutione, quâ hujus libri authoritas & approbatio stabilitur. Ac licet in nova hac editione multa sint omissa, quæ contra Pontificem facere videbantur: hæc tamen, quæ de campanarum benedictione in priori editione habentur, intacta prætereuntur, & pro bona atque Catholica doctrina Ecclesiæ obtruduntur.

Ac vide symptomata pestifera ac lethalia, quæ hujusmodi Baptismo campanili accidunt. *Si talis virtus Spiritus sancti super aquam benedictam assistat, ut sonitus tintinabuli in ea tincti virtutem pellat insidiantium, umbram phantasmatum, incursionem turbinum, percussionem fulminum, læsionem tonitruorum, calamitatem tempestatum, Cacodæmonas ipsos, hostilesq; exercitus,* &c. tum sequitur:

1. Creaturas Dei ultra suum verum & naturalem usum ab hominibus extolli, & ad eum finem, ad quem minimè fuerunt conditæ, adhiberi posse.

2. Pontificem, Episcopum vel Suffraganeum ejusmodi gratiam atq; rem divinam aquæ benedictę conferre posse, ut eandem postea occulta quadam virtute, & ex opere operato, in alias res derivare valeat.

3. Omnes Pontificios, quorum auribus melodia campanarum insonat, in fide devotos, & ab ignitis Diaboli laqueis, ab insidiis inimicorum, à percussione

sione fulminum, calamitatumq; tempestatum securos esse.

4. Papam potestatem habere organa Deo præscribendi, quib. ad nostram salutem operari debeat.

5. Æra atque metalla à Spiritu sancto verè sanctificari, cœlesti benedictione & Spiritus sancti rore perfundi consuevisse.

6. Tintinnabulis sic consecratis plus tribuendum, quàm piorum hominum precibus.

7. Ceremonias ab hominibus inventas pluris faciendas esse, quàm Sacramenta divinitus instituta.

Orthodoxa cōtra campanarum Baptismum doctrina.

Nos verò rectissimè hinc concludimus: 1. Has Papistarum nugas à malè feriatis & superstitiosis hominibus cōtra verbum Dei inductas, ac proin meritò ab Ecclesia rejiciendas esse.

2. Papistas hanc tintinnabulorum virtutem atq; vim manifestè ab Ethnicis hausisse. Ovidius enim dicens in Fastis, æris tinnitu inferorum umbras in sacris Lemuribus ab anu expelli, his verbis: *Lib. 5. Fast.*

Rursus aquā tangit, Temesaaq; concrepat æra,
Et rogat, ut tectis exeat umbra suis,

indicat pulsui tintinnabulorum ac campanarum apud Gentiles vulgò vim pellendi malos spiritus tributam fuisse. ALEXANDER quoque APHRODISÆUS in suis problematib. ait, *æris sono malos spiritus depelli*, eamque ob rem in Lunæ defectu æra moveri, fuisse in more positum. Deficienti enim & quasi laboranti Lunæ tinnitu æris succurri posse, Livius, Ovidius, Lucanus, & alii scriptum reliquêre: quod & à Cœlio Rhodigino lib. 19. cap. 10. antiq. lect. annotatum est. Et pervetus Theodoriti Scholiastes annotavit, *olim si quis è vita excessisset, campanas fuisse pulsas*, quòd is sonus credebatur esse *καθαρὸς καὶ ἀπελαστικὸς τῶν μιασμάτων*, hoc est, *avertere spectra & Dæmonum ludibria.* Appollodorus in libro, quem de Diis inscripsit, refert *Hierophantam*, hoc est, Proserpinæ Sacerdotem, *tintinnabulum tonante cœlo Athenis pulsare consuevisse.*

Hanc Gentilium superstitionem Romanenses ac Papistę mordicus tuentur. Quapropter Polydorus Vergilius in libris de inventorib. rerum scribit, *Christianos, quum ventorum, fulminum, aut grandinis injuriam timent, campanas pulsare:* harum enim tinnitu seu sono Dæmonas (quos istas calamitates invehere affirmat) terreri atque fugari. At S. Petrus docet, ritus Gentium Christianis fugiendos, nec ullo pacto imitandos esse. Qui autem imitentur, *eos reddituros esse rationem ei, qui paratus est ad judicandum vivos & mortuos.* *Lib. 6. c. 16.* *1. Pet. 4. 3.*

3. Agnoscimus Glossam ordinariam erroris plenam atque impiam existere, quando ad Hymnos Davidis hanc tintinnabulorum virtutem probat, *& in parentalibus ideò pulsari affirmat, ut preces, quæ pro mortuis funduntur, ad Deum eorum sono, tanquam flatu quodam in altum devehantur, & quasi manu ducantur.*

4. Papistas consecrationibus suis legem ceremonialem, Christi adventu abolitam, superstitiosa impietate in usum revocare. Nam mysticus tantùm sensus tintinnabulorum veteris Testamenti tum in vestibus Sacerdotū, tum alibi hodie inter Christianos usitatus esse debet. Significatur enim illis sonus sancti Euāgelii & cœlestis de Christo doctrinæ. Oportet enim ministrum verbi

verbi divini non esse mutum, quia Isaiæ 56.10. Deus mutos canes, id est, Ecclesiæ ministros verbum Dei ac Euangelium non liberè in sua puritate & veritate prædicantes, & contra idololatriam, superstitiones, abusus, peccataque vitæ, directè dirigentes, expresse exsecratur. "Ac ideò Paulus: *Væ mihi,* inquit, *si non euangelizem.* Ac Christus ipse hunc in finem se in mundum missum à Deo Patre testatur, ac Spiritu Domini unctum, ut Euangelium pauperibus annunciet. Quantò magis ergo ministri Christi huc toti incumbere debent, ut per eos verbum Dei ac Euangelium semper clarè & purè sonet in Ecclesia? Hunc igitur usum mysticum squillarum & tintinnabulorum, qui omittit, & alium spiritualem more Papistarũ iis assignat, is reducit umbras Judaicas & ceremonias veteres, à quibus nos Christus liberavit, gratiamq; Christi negligit & spernit.

1. Cor. 9. Luc. 4. 18. Isa. 61.

5. Ineptire Alcuinum, qui campanas benedicendas, ungendas, eisque nomina imponẽda esse inde probat, quòd Genes. 28. *Jacob memor visus scalæ ad cœlum usque pertingentis, tulit lapidem, quem capiti suo supposuit, & erexit in titulum, fundendo oleum desuper, appellavitq; nomen urbis Bethel.*

6. Hanc tamen campanarum benedictionem meram Baptismi profanationem esse. Annon enim Baptismus hominibus duntaxat, & sensu & vita & ratione utentibus, ex institutione Christi debetur? Cur igitur Papistæ eum campanis, tam vita & sensu quàm ratione carentibus, applicant?

Mat. 28. 19.

7. Eam nummorum tantùm corradendorum causâ, ut pleraque alia, inventam & Ecclesiæ obtrusam. Nisi enim Suffraganei aliqua mercede conducantur, hoc facere recusant. Hinc Principes Germaniæ in comitiis Noribergæ tantopere de hac re questi sunt. Nonne Christus dicit: *Gratis accepistis, gratis date.* Cur ergo Suffraganei tantam pecuniarum vim, ob campanarum baptizationem & consecrationem à populo exigunt? Mat. 10. 8.

8. Papistas majori apparatu & pompa campanas tractantes, quàm homines dum sacro Baptismo tinguntur, cœcâ vesaniâ laborare.

9. Plebem ineruditam rectiùs in Papatu de NOMINE impiæ hujus actionis sentire Cardinalibus ipsis Hosio & Bellarmino, imò Pontificibus ipsis Romanis, qui primi huic consuetudini originem dederunt, & actes eandem ad amussim servari volunt.

Nec tamen sumus nescii, campanarum complosu aërem longè lateq; diverberãte & scindente, vim ventorum & tonitruorum aliquantum infringi. Sed hanc stupendam de virtute tinnitus æris & tintinnabulorum à Suffraganeis baptizatorum seu consecratorum sententiam, ut erroneam & plenè idololatricam, jure meritoque condemnamus, ac desperatissimis Romanæ Ecclesiæ ulceribus rectè accensemus. Porrò in propositis Pontificum hæresibus enumerandis pergemus.

ALEXANDER III. ut habetur C. licet, de sponsa duorum, contra prædecessorum suorum sententiam definivit, *matrimonium per verba de præsenti non posse dissolvi per aliud matrimonium.* Quare aut hunc aut illos necesse est falsum judicasse. Alexander 3.

Respondet Bellarminus: *Nec Alexandrum, nec prædecessores aliquid definivisse.* Quod mirum eis, quibus hominis frons nota est, videri possit. Nam Alexander dicit, *eos ita judicasse*, & ipse nihilominus legem hanc edidit eorum decretis contrariam, & conjunctos contra hanc legem separandos esse decrevit. Nec dubiū est, quin decreta contra Dei legem, etiam contra fidem pugnēt.

Celestinus 3.

CELESTINUS III. cujus suprà cap. 2. mentionem fecimus, *propter hæresin unum matrimonium solvi, & aliud contrahi posse docuit*, c. Laudabilem, de conversione infidelium. Ideò ALPHONSUS à CASTRO asserit lib. 1. de hæres. cap. 4. *eum nō posse ab hæresi excusari:* quod & reliqua fortasse secta Pontificia credidit. Nunc enim caput hoc ex Decretalium codice erasit, & contrarium tenet. INNOCENTIUS enim III. *Decretalem contrariam*, cap. Quanto, de divortiis, *edidit*, & nuper ejus sen; ētiam conventiculum Tridentinum sess. 24 c. 5. recepit.

Celestinum 3 hæreticū fuisse pugnantibus opinionibus sentiunt Papistæ.

Hinc bellum hoc civile inter ipsos Pōtificios ob hanc ipsam caussam tandem asperiùs excrevit, miraque calliditate unius ducis Bellarmini geritur. Quod ut illustrius & certius sit, ipsius verba hic ex libro 4. de Pontifice Romano cap. 14. pag. 543. adscribam. Sic enim ibi de hac quæstione, utrum Celestinus III. Papa fuerit hæreticus? scribit: CELESTINUM III. *Alphonsus de Castro lib. 1 de Hæresibus cap. 4. affirmat, non posse ullo modo excusari ab hæresi, quòd docuerit per hæresin ita matrimonium solvi, ut liceat ei conjugium aliud inire, cujus prior conjunx in hæresin lapsus sit. Tametsi enim nunc decretum hoc Celestini non extet, tamen fuit olim in antiquis decretalibus, capite Laudabilem, de conversione infidelium: quod decretum Alphonsus vidisse se dicit.* Esse « *autem hanc Celestini sententiam hæreticam,* « *planum est: Item, quia contrarium docuit* « INNOCENTIUS III. *cap. Quanto, de divortiis, tum etiam, quia idem definitum est in Concilio Tridentino sess. 4. canone 5.*

Innocentius 3.

RESPONDEO, *nec Celestinum, nec Innocentium aliquid de ea re certi statuisse: sed utrumque respondisse, quòd sibi probabilius videbatur. Id quod manifestè colligitur ex verbis Innocentii, qui quum dicit, prædecessorem suum aliter sensisse, indicat, in opinione rem totam adhuc positam fuisse. Quòd verò Alphonsus ait, epistolam Celestini fuisse aliquando inter epistolas decretales, verum quidem est sed non potest inde colligi, factum esse à Celestino decretum planè Apostolicum, & ex cathedra: quum constet, multa esse alia in epistolis decretalibus, quæ non faciunt rem aliquam esse de fide, sed solùm opiniones Pontificum de ea re nobis declarant.* Hactenus Jesuita Bellarminus.

Refutatur Bellarminus.

De quibus quidem sententiam nostram aliquantùm capite 2. aperuimus: sed nunc ei hæc negotii illustrandi & decidendi causâ adjicimus. Garrit quidem Bellarminus, *nec Celestinum, nec Innocentium aliquid certi de ea re definivisse.* Quasi verò decretales incerta contineant dogmata Pontificis, ac non eo potissimùm nomine vulgatæ sint, ut definitiones de fide complectantur. Certè si nihil de fide sit, nisi quod per Pontificis alicujus decretalem de fide esse definitum est, tum apud ipsos fides recens est. Nihil enim ferè Pontifices Romani de fide esse pronunciarunt, & ante Gregorium IX. & Bonifacium VIII. paucissima definiverunt. Præterea

terea non ex verbo Christi, sed ex Pontificis Romani decreto apud adversarios fides omnis pendebit.

De Innocentio 3. plura. Ampliùs verò de INNOCENTIO illo III. agemus. Is ridiculè, imò contra fidem decrevit, cap. Per venerabilem, qui sint filii legitimi: *Illud servandum esse in novo Testamento, quod in Deuteronomio continetur, quia Deuteronomius est secunda lex.* Disertè enim affirmat Paulus Gal. 5. ℣ 4. *eos Euangelium evacuare, & à Christo excidisse, qui legem Mosis servant.*

Col. 1010. Respondet etiam absurdè Bellarminus: *Eum voluisse dicere, Deuteronomium servandum esse in figura.* Nam neque verum est, Deuteronomium servandum esse in figura: nec fuit ea Innocentii sententia, ita ut servaretur.

Disertè enim & literaliter eam legem servandam esse docuit. Sed licet multum sudet, nihil habet tamen Bellarminus, quod afferat melius.

Nicolaus 4. Johannes 22. NICOLAUS IV. & JOHANNES XXII. quem Balæus 23. numerat *contrarias sibi invicem edidêre de Christi paupertate decretales,* cap. Exiit, de verborum significat. in 6. Necesse est ergo alterum falsum definire, idque in fide, quia pertinet ad fidem, scire quid de perfectione vitæ Christus præceperit. Quinimò Johannes XXII. definit *Hæreticum esse, quod Nicolaus asseruit, nempe Christum nihil hic habuisse proprii, nec in speciali, nec in communi.* Inde major dissensio enata est, ut etiam Bellarminus idem cum Johanne fateatur; at negat Nicolaum illud asseruisse. Ipsiusmet itaque verba ex lib. 4. de Pontifice Romano, cap. 14. pag. 544. de hac controversia, aut repugnãti sibi duorum istorum Pontificum dogmate de paupertate Christi, fideliter producam. Scribit: NICOLAUS IV. *in capite, Exiit, de verborum significatione in sexto definit, Christum verbo & exemplo docuisse perfectam paupertatem, quæ consistit in abdicatione omnium rerum, nullo sibi dominio relicto, nec in particulari, nec in communi; proinde talem paupertatem esse sanctam & meritoriam.* *Nicolaus 4. affirmat Christi paupertatem perfectam.*

At hoc falsum esse & hæreticum docet JOHANNES XXII. *in Extravagantib. suis, titulo de verborum significatione. Nam in extravagante ad conditorem Canonum, docet esse impossibilem talem paupertatem, quâ quis in rebus usu consumptibilib. abdicat se ab omni dominio, solo usu retento: Et in extravagante, Quum inter nonnullos, declarat esse hæreticum, dicere* CHRISTUM *talem paupertatem verbo aut exemplo docuisse. Et in extravaganti, Quia quorundam, idem docet ac prolixiùs inculcat.* *Johannes 22. negat.*

JOHANNES de TURRECREMATA *lib. 2 summa, cap. 112. conatur in omnibus hos Pontifices conciliare, sicut etiam ipse Johannes nititur ostendere, se a Nicolao non dissentire.* *Turrecremata conciliare eos nititur.*

At profectò, nisi ego vehementer fallor, in omnibus conciliari nequeunt, &c. Ac deinceps ita negat eos in omnibus posse conciliari, ut Johanni adstipuletur, tantùm negans (uti dixi) Nicolaum suam sententiam asseruisse, aut pro rata &; fidei dogmate tradidisse.

At ipsius Nicolai verba hominis insignem impudentiam refellunt. *Dicimus* enim, inquit Nicolaus cap. Exiit, ubi suprà, *quòd abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum non tam in speciali, quàm etiam in communi propter Deum meritoria est, & sancta: quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmavit.* Unde & in margine anno- *Refellitur Bellarminus.*

Yy 2 tatum

tum est: *Hoc declaratum esse Hereticum, quòd Christus nec in speciali, nec in communi proprium habuerit.* Balæus quoq; in vita Johannis XXII. seu XXIII. tradit, *eum creatos in secundæ ordinatione septem Cardinales, posteà pertinaces hæreticos declarasse, quia affirmarent Christum & Apostolos nihil proprii habuisse.* Bellarminus ergo laterem lavat, quando repugnantiam horum Canonum verbis elevat, & ipse etiam hæreticus esse videtur, si Guilielmo Occamo credimus, dum sententiam illam Johannis XXII. defendit. In ea enim multiplices deprehendit errores & hæreses, ut videre est in Compendio errorum Johannis XXII. Præterea ideò etiam hæretica est Nicolai sententia, quia paupertate mereri vitam æternam & gratiam Dei asseverat. *Pelagianam* enim *hæresin* sapere, si quis ulli operi humano meritum tribuat coram Deo, lib. 2. ostendimus.

Johannis 22 manifestior hæresis.

Sed manifestiùs JOHANNEM XXII. docuisse tres hæreses, multi graves authores testantur: ut GERSON in sermone de Paschate tomo 4. GUILIEL. OCCAM in opere 90. dierum & in Compendio. ADRIANUS VI. in libro de Sacramentis cap. de confirmatione. ERASMUS in præfat. in 5. librum Irenæi, & alii, & res ipsa id loquitur. Docuit enim primò: *Animas defunctorum ante judicium finale non videre Deum:* quod nihil aliud est, quàm vel beatas negare, vel dormire eas putare. *In gaudium,* inquit Johannes, teste ibidem Erasmo, *non introibit anima sine eodem corpore.* Unde non dubitat Guilielmus Occamus pronunciare, *eum hæreticum esse,* in Compendio errorum Johannis XXII.

Et ex hodiernis Theologis Papistarum non purgat quidem eum Bellarminus, ut Liberium, Honorium, aliósque, sed tantùm excusat minuendo peccatum. Fatetur enim lib. 4. de Pontifice Romano, cap. 14. pag. 546. eum revera sensisse animas corpore exutas non visuras Deum, nisi post resurrectionem, sed peccatum tamen, quantum potest, extenuat. Quare prodest ipsius verba audire, quæ ita habent: *Tricesimus sextus est, Johannes XXII. Papa, qui à multis reprehenditur, ac præsertim à Guilielmo Ockam in opere 93. dier. & ab Adriano in quæstione de Confirmatione, circa finem, quòd docuerit animas beatorum non visuras* DEUM *ante resurrectionem.* ERASMUS *præfatione ad lib. 5. Irenæi idipsum cum additamento affirmat. Sic enim ait: In quo errore fuisse videtur Johannes Pontifex Romanus ejus nominis XXII. coactus opera Theologorum Parisiorum ad palinodiam coram Galliarum Rege Philippo, non sine buccina. Quod indicat Johannes* GERSON *in sermone de Paschate, &c.*

Lis ob Johannis 22. primam hæresin.

RESPONDEO *inprimis ad Adrianum, Johannem hunc revera sensisse, animas non visuras Deum, nisi post resurrectionem: cæterùm hoc sensisse, quando adhuc sentire licebat sine periculo hæresis, nulla enim adhuc præcesserat Ecclesiæ definitio. Voluit autem Johannes quæstionem definire, sed dum adhuc in præparatione & consultationibus versaretur, mortuus est ut testatur* BENEDICTUS *XII. Johannis successor, in extravaganti, quæ incipit, Benedictus Deus, &c. quam totam refert Alphonsus à Castro lib. 3. contra hæreses, in verbo, Beatitudo,*

Frigidè Bellarminus Johannem excusat.

Refert autem Johannes VILLANUS *libro 11. hist. cap. 19. Johannem Papam pridie ante mortem partim declarasse, & partim etiam revocasse sententiam suam. Primum enim*

enim testatum, se nunquam, quum de hac re loquutus erat, quæstionem definire in animo habuisse: sed solùm disserere ad veritatem investigandam. Deinde addidisse, existimare se, jam probabiliorem sententiam esse eam, quæ asserit, beatos frui visione divina etiam ante diem judicii: & hanc sententiam se amplecti, nisi aliquando aliud Ecclesia definierit, cujus definitioni suas omnes sententias libentissimè subjiceret. Hæc retractatio apertè docet, Johannis Papæ mentem semper bonam & Catholicam fuisse. Hæc Bellarminus.

Refellitur Bellarmin. Atqui illud non quæritur, quàm graviter aut quàm leviter peccarit Johannes ille Papa XXII. sed utrum peccarit in fide, ac proinde hæreticus sit, necne? Peccasse autem certum est, & quidem in re non nullius momenti. Sed præterea, quæ adferuntur, ut Johannes excusetur, omnia leviora sunt. *Primùm,* inquit, *certum est, hoc eum sensisse, quando adhuc sentire licebat sine periculo hæresis: nulla enim adhuc præcesserat Ecclesiæ definitio.* Respondemus hæresin considerari vel in doctrina, vel in persona. *Hæresin doctrinæ esse,* quando idipsum, quod proponitur, est contra fidem Catholicam & orthodoxam. *Hæresin autem personæ,* quum quis hæresin doctrinæ ita proponit, ut asserat etiam convictus. Quare si paratus fuerit Johannes corrigi, non dicatur sanè hæreticus: sed ut propterea sic sentire licuerit absque ullo hæresis periculo, absurdè asseritur. Nā sive esset definitum, sive non, erat tamen semper contra sanam doctrinam. *Secundò,* apparet etiam non fuisse valdè paratum ad errorem corrigendum, quando ipse Bellarmin. testatur ex Villano quodam, majorem Cardinalium partem ejus opinioni repugnasse. Balæus certè scribit, idem quod Johannem, docuisse quoque patrem ipsius, seductum visionibus Tundali cujusdam Hyberni (teste Maslæo) ac Johannem Lutetiam misisse duos Monachos, qui, quod ipse sentiret, prædicarent. *Tertiò,* quid significat Bellarmino, non esse definitum ab Ecclesia? An nondum aliquem docuisse in Ecclesia, animas visuras Deum ante resurrectionem? At hoc falsum est. Nam Christus docuerat, quum diceret Latroni; *Hodie mecum eris in Paradiso.* Docuerat Paulus, quum diceret: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Docuerat Cyprianus, imò potiùs teste Cypriano tota Ecclesia in libro de Mortalitate, his verbis: *Nobis quoque ipsis minimis & extremis quoties relatum est, quàm frequenter & manifestè de Dei dignatione præceptum est, ut contestarer assiduè, & publicè prædicarem, fratres nostros non esse lugendos accersitione Dominica de seculo liberatos, quum sciamus non eos amitti, sed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiscentes, ut navigantes solent: desiderari eos debere, non plangi: nec accipiendas esse hic atras vestes, quando ibi illi indumenta alba jam assumpserunt: occasionem dandam non esse Gentibus, ut nos merito ac jure reprehendant, quòd quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos & perditos lugeamus.* Docuerunt denique alii multi hoc ipsum. An illud potiùs Bellarminus dicit, nullo adhuc Concilio illam quæstionem definitam? Atqui, inquam, ne tum quidem quum Arius cœpit negare Trinitatem, ullum præcesserat ullius Concilii decretum: & tamen statim damnatur ab Alexandro Alexādriæ Episcopo, ut hæreticus. Nondum Concilium Ephesinum sua decreta ediderat, quum Nestorius negare

Luc. 23. 43.

Philip 1. 23.

gare cœpit Mariam esse θεοτόκον, quem tamen & Cyrillus ut hæreticum insectatur, negans, cum eo communicare ullum debere: & Celestinus eum, nisi intra decem dies resipiscat, excómunicat. Quid ni igitur Johannes æquo jure hæreticus censeatur, falsam doctrinam asserens, & curans promulgandam, etsi nullo Concilio antè disertè definita fuisset ejus articuli fides? *Quartò*, quomodo cohæret hoc effugiū cum eo, quòd omnes asserunt Papistæ, quæstionum omnium de fide definitionem pertinere ad Romanum Episcopum? Aut quam definitionem aliunde exspectare aut potest aut debet is, qui nisi aliorum definitiones suo consensu confirmet, tum illæ nihil sunt minùs quàm definitiones?

Secundò Bellarminus dicit: *Voluisse quidem Johannem definitionem definire sed dum adhuc in preparatione & consultatione versaretur, mortuum esse: & pridie quàm moreretur, partim declarasse partim revocasse sententiam.* Sit ita sanè, inquam. Ergo verum est, errasse eum in fide. Nec efficit retractatio, ut ii, qui antè docuerunt id, quod eos oportuit retractare, non fuerint hæretici, quamdiu non retractarunt: quod infinitis exemplis fieri potest manifestum. Atque adeò retractatio Berengarii ita concipitur, ut anathemizet omnem hæresin, specialiter eam de qua hactenus infamatus erat. Ergo etsi retractaret Berengarius, non efficiebat tamen, ut non censeretur ab eo Concilio, à quo minis & terroribus adigebatur in eam palinodiam, hæresis id quod ante docuerat, & tum retractabat. Quare nihil est, quod obstet, quò minùs Johannes dicatur in hæresi fuisse aliquando, etsi fortasse in ea non sit mortuus. Sed quòd Bellarminus adeò palàm respondet, *Johannem hunc nunquam voluisse hoc definire*, refellit ejus responsionem Occamus, qui ostendit; *Eum & in concionibus publicè, & in opere quodam magno à se edito hoc probasse, docuisse & definivisse.* Similiter ADRIANUS VI. de Johanne XXII. differens: *Is, inquit, publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quòd animæ purgatæ ante finale judicium non habent stolam, quæ est clara & facialis visio Dei.*

IDEM Johannes docuit: *Malos ante diem judicii non ituros in ignem æternum: imò nec Dæmones futuros in inferno ante diem judicii generalis.* Hoc ex concione ipsius vel sermone, qui incipit, *Tolle puerum & matrem ejus*, colligitur, & testimonio Occami in Compendio errorum Johannis XXII. probatur. Verùm ut mors æterna, id est, pœna ignis infernalis parata est maledictis, sive reprobis, operariis iniquitatis, impiis peccatoribus, execrabilibus, homicidis, scortatoribus, veneficis, idololatris, mendacibus, & ut uno verbo dicam, Incredulis, iis qui Deum non noverunt, neque auscultāt Euangelio, ut (quemadmodum S. Paulus 2. Thessal. 1. ✝. 9. docet) corpore & anima plectantur, quia corpore & anima peccaverunt, juxta illud Christi Matth. 10. 28. Sic mortem hanc atque pœnam, id est, damnationem æternam isti statim post mortem temporalem, id est, post animæ à corpore discessum, animabus suis subeūt, ut mors divitis epulonis, Lucæ 16. ✝. 22. 23. comprobat, atque ita in diem judicii postremi servantur, quo resumptis corporibus æternùm unà corporibus atque

2. Heresis Johannis 22.

Apoc. 21. 8.

atque animabus cruciabuntur. Quapropter quò minùs de hoc dubitetur, in malis sæpenumerò etiam hac in vita quædam tanquam præludia pœnæ inferni incipiunt, ut illis infernus sit, sentire sese iram Dei sustinere, ac maledictos & veluti à Deo rejectos esse.

3. Hæresis Johannis 22.

Affirmat idem Occamus, *dictum Johannem distinctionem personarum in Trinitate sustulisse*: quod ibidem de eo invenire licet. Quâ doctrinâ num potest major & gravior hæresis esse? Et quis discernere satis potest, num ille Judæorum magis cæcitatem sequutus sit, qui indistinctam οὐσίαν & essentiam Deitatis statuunt, an Sabellii hæresin, qui docuit tantùm unam esse personam Divinitatis, sed alio atque alio respectu, nunc Patrem, nunc Filium, nunc Spiritum sanctum dici: nimirum Patrem, respectu Creationis: Filium, respectu Incarnationis: Spiritum sanctum, respectu Missionis in discipulos, ut hi minimè tres sint personæ, sed una tãtùm?

Trinitatis mysterium.

Itaque distinctio personarum in una Dei essentia probissimè est intelligenda & tenenda, ut fide indubitata & nõ vacillante amplectimur tres in illa unica Dei essentia personas, & quidem numero & reipsa distinctas, videlicet Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, qui in una essentia divina subsistunt. Unde fit, ut non sint plures Dii, sed unus & idem æternus, immensus & omnipotens Deus, qui in Scriptura JEHOVA nominatur, ac simplicissimus ratione Essentiæ, trinus verò ratione personarum dicitur. Etsi enim Scriptura sacra non utatur vocabulo Trinitatis, Ecclesia tamen ejus usum rectissimè & invenit & retinuit, quum res ipsa in ea habeatur, non quidem secundùm literam, seu expresè; at secundùm sensum seu implicitè & necessaria consequutione. Præterea, tres personas in Deo Trinitatem vocamus, non quia dicit Scriptura, sed quia non contradicit. Adhæc, quia vocabulum TRES unde TRINITAS deducitur, expresè in priore epistola S. Johannis, cap. 5. ℣. 7. habetur, ubi scribitur: TRES *sunt, qui in cælo testimonium perhibent*. Unde firma collectio à Conjugatis est. Nam ut ab uno Unitas: sic à tribus Trinitas necessariò existit. Nec testimonia, quibus Trinitas sive tres personæ unius Essentiæ divinæ probantur, desunt. Ut Genes. 1. ℣. 1. *Creavit Elohim cælum & terram*. Quo loco verbum singulare simplicissimam Dei essentiam significat: nomen autem plurale tres personas designat. Sed & in creatione hominis DEUS Pater, Filius & Spiritus sanctus, quasi deliberans, sic loquitur: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*. Ubi *faciamus* dicitur propter personarum pluralitatem, & *Nostram* propter Essentiæ unitatem. Quo etiam pertinet historia tum Baptismatis Christi, Matth. 3. ℣. 16. & Johan. 1. 32. tum Transfigurationis, Matth. 17. 5. ubi tres illæ distinctæ personæ dilucidissimè ob oculos ponuntur. Exprimitur autem distinctè ipsis nominibus Matth 28 ℣. 19 ubi Christus præcipit: *Baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Quandoquidem enim non dicit, in Nominibus, sed *in Nomine* trium unitas ab eo denotatur. Sic 2. Corinth. 13. ℣. 13. ait Apostolus: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis*. Jure igitur ab Occamo

Occamo Johannes XXII. hujus nominis Papa hæreticus dicitur, quia distinctionem personarum in sacrosancta Trinitate sustulerit.

CAP. X.

De Johanne XXIII. Eugenio IV. Innocentio VIII. Pontificibus Romanis.

Animas immortales esse & resurrectionẽ fore Johannes 23 negavit.

JOHANNES verò XXIII. quem Balæus XXIV. numerat, non modò perniciosissimè erravit, *negando animæ immortalitatem, & carnis resurrectionem*, sed hoc etiam nomine publicè in synodo Constantiensi anno Domini 1414. hæreseos convictus & damnatus est, ut in appendice ad Concilium Constantiense habetur. Ac Balæus de eo testatur: *Coactus est, dictante Concilio, Pontificatu se abdicare, propterea quòd esset* HÆRETICUS, *simoniacus, mendax, hypocrita, homicida, veneficus, aleator, adulter, sodomita, & quid non?* Nec injuriâ hæreticus est damnatus. Nam inficiari animas esse immortales, & nullam fore corporũ humanorum resurrectionem, quid aliud est, quàm fidem universam tollere? Tertullianus enim: *Fiducia Christianorum*, inquit, *resurrectio mortuorum.* Lib. de resurrectione carnis.

Johannes 23. an Pontifex verus fuerit. Lib 4 de Pontif. Rom. c. 14.

Suscipit tamen eum in suam quoq; tutelam Bellarminus, ac dicit: *Hunc non fuisse indubitatum Pontificem.* Sed præstitit potiùs plagam hanc accipere, quàm ita declinare. Etenim omnes eum ante depositionem legitimum fuisse agnoscunt, & ALEXANDRO V. successisse dicunt, & Concilii ea est de ipso sententia. Ac sanè nisi ipse legitimus fuerit Pontifex, saltem istorum existimatione, omnis perit successionis Pontificum Romanorum certitudo.

Col. 10. 15.

Respondet igitur secundò: *Hunc articulum non fuisse probatum, nisi ex vulgi rumore.* Sed acta synodialiter habent, & sanè, nisi solidè probatus fuisset, valdè errassent Patres Constantienses, qui eum illo nomine condemnarunt. Et multò magis peccasset Johannes ille, qui articulum prædictum, & multos alios, & sententiam Patrum, ut ipsi loquuntur, *ratificavit & confirmavit*, ut in appendice prædicto extat.

Portenta circa Johãnem illum facta.

Neq; mirandum est vehementer Johannem illum, sive XXIII. sive XXIV. hujus nominis Papa fuerit, tam tetram hæresin tenuisse & docuisse, quum publicis portentis divina providentia significatum sit, quo spiritu fuerit instructus & ductus. Nam authore Nicolao Clemange, Archidiacono Bajocensi, ut scribit Balæus, quum Johannes in prima sua sessione synodi Romæ indictæ, post Missam de Spiritu sancto, in sublimiore cathedra præsideret, mox aderat bubo, quæ supra templi trabem horrifica sua voce injectis in Papam oculis, ipsum monstrifico more salutavit. Adstantes autem vehementer admirari cœperunt, & quidam eorum submissa voce dicebat: **En Spiritus sanctus adest, quem tam ardenter invocabant, ut ipsis exspectatum auxilium ferat.** Cæteri se mutuò spectantes & Papam, vix risum continere poterant. Johannes ipse rubore suffusus, sudare, angustiari, atque intra semetipsum æstuare cœpit. Tandem non inveniens, quâ posset alia ratione suæ tam magnæ confusioni consulere, soluto Concilio, surgens abscessit. Sequuta est deinde altera ses-

sio

ſio, in qua ſimilia rurſum, ſed majori cum verecundia paſſus eſt: nec poterat bubo aut clamoribus abigi, aut fuſtibus terreri, ita ut in ea ſynodo prorſus nihil actum ſit.

Quumq; propter Italorum diſſenſiones, quarum auctor ille extitit, Sigiſmundo Imperatori ac ſuis tutus in urbem acceſſus non eſſet ad ſynodum, Johannes autem (teſte Maſſæo) ab omnibus fermè nationibus ſollicitaretur, ut alium Concilii deſignaret locum, delectâ Conſtantiâ, ipſe cum aliis eôdem, multis licèt diſſuadentibus, iter ſuſcepit, argutiſſimis tamen advocatis & cauſidicis ſecum ductis, à quibus, ſi quid objiceretur ſibi, commodè defendi poſſet. Sed in media via ex rheda præceps datus, dixit: *Hic jaceo in nomine Diaboli.* Quo infauſto omine non ſolùm futurus ipſius caſus, ſed etiam pertinacia & impœnitentia in ſua hæreſi ac ſcelerum ſuorum latrina indicabatur.

Eugenius 4. EUGENIUS IV. in Concilio Baſilieſi, quod ipſe indixit & confirmavit, Hæreticus habitus eſt & pro tali condemnatus. Nam Æneas Sylvius, poſtea Pius hujus nominis II. Papa dictus, de geſtis Concilii Baſilienſis, anno Chriſti 1432. celebrati, lib. 1. de eo ſcribit: *Gravior ſententia vicit, ut* HÆRETICUS *&* *relapſus* EUGENIUS *diceretur.* Et ne fortè reſpondeat aliquis, non fuiſſe eam legitimam ſynodum, non modò ab Hiſpanis, Gallis, & Germanis recepta eſt, ſed ab ipſo etiam Eugenio robur accepit.

Reſpondet ergo Bellarminus: *Eugenium in nulla re aberraſſe, & ejus ſucceſſorem legitimum fuiſſe.* Sed illud & ſynodi acta, & Amadæi Sabaudiæ Ducis ſubrogatio in locum ipſius, & totius orbis conſenſus refellit: hoc nihil ad rem facit. Illi enim eos legitimos eſſe dicunt Pôtifices, qui in locum hæreticorum ſuccedunt, & hæreſes teterrimas defendunt. Ac quàm acriter verè Catholicos & Orthodoxos inſectentur, hæreticos autem tueantur, teſtatur idem Eugenius, quando quendam veritatis Euangelicæ ſcientiâ probè illuminatum & pia fortitudine armatum virum, tantummodo ob ſinceriorem doctrinam è medio tollendum curavit. Quum enim circa annum Chriſti 1430. THOMAS RHEDONIUS Carmelita, Gallus, in Ducatu Britanniæ natus & celebris concionator, Antonio Archiepiſcopo Florentino part. 3. tit. 22. cap. 10. teſte, publicè per Galliam & Italiam doceret, Romæ magnas abominationes fieri, Eccleſiam magna reformatione egere, Prælatos depoſito faſtu & luxu debere modeſtiùs inſtar Chriſti & Apoſtolorum vivere, Papæ excommunicationem, dum Chriſti res agitur, non eſſe timendam, & ſaluti eſſe multis animabus, ſi continere non pollentibus permitteretur nuptiis uti more Græcorum, quia cum uxore propria caſtitas vigeret, &c. hæc tam ſancta, ſana & divinis literis conſentanea dogmata Eugenius pro ſceleratiſſimis hæreſibus & graviſſimis blaſphemiis habuit, illumque anno Domini 1436. per Rothomagenſem Cardinalem, Guilielmum Eſtoutevillam, tunc Vicecancellariû & ordinis Carmelitarum Procuratorem horribili corporis incendio exuri juſſit. Quare tam indignum factum deplorans & deteſtans Baptiſta *Thomæ Rhedonenſis mors indigna.*

Z Mantua-

Mantuanus, in libro de vita beata cap. ult. ait: *Thomas quidam Gallus, qui pristi num fidei fervorem adhuc in pectore fovebat, cum paucis in Italiam se contulit. Sic enim Deo visum est, ut ea regio, quæ cæteris omni munere præstat, hoc etiam virorum habeat ornamentum. Verùm non solùm Italiæ, sed etiam viro sancto Deus ipse consuluit. Illi enim dedit, cujus vitam possit imitari: isti verò purpurei diadema martyrii. Nam dum bene beatéque viveret, à quibusdam invidis, apud summum Pontificem capitis accersitur. Et post carcerem, post tormenta, post cruciatus, tandem quum nihil damnabile reperissent, graviùs investigarunt. Quod jure non potuerunt, injuriâ perficere fortiter accinguntur, & comburendum scelerato rogo commiserunt. Ah, quo prorumpis efferate livor? Sed tamen illum non occidisti: nequit enim anima extingui. Sed illius terrenum corpus violando, fecisti, ut citiùs vitâ donaretur æternâ. Hujus flammas non Scævolæ rogo, sed Laurentii posse comparari, non dubito. Dicant quicquid velint, obstrepant, clamitent & insaniant: ille summo vivit Olympo. Sed multa de hoc viro silentio præterivi*, &c. Hæc Mantuanus. Contrà Eugenius Carmelitis mitigationem in carnium esu concessit: Johannem Facium, eorum magistrum generalem, Episcopum Regiensem fecit: Cyrillum verò quendam visiones jactantem, & Nicolaum Tolentinum in numerum Sanctorum retulit. Talia enim sunt Paparum beneficia, ut dum veros & vivos Sanctos ad ignes atque inferos suo judicio damnant, falsos ac mortuos ad veterem Deorum cultum evehere nitantur.

Gothis & Norvegiis Cœna sacra sine vino conceditur.

INNOCENTIUS hujus nominis VIII. adeò nō est reveritus Sacramenti Cœnæ Dominicæ institutionē à Christo factam, *ut Gothis & Norvegiis Sacerdotibus permiserit, ut sine vino sacrificium consecrarent*, circa annum Domini 1490. Nam ita scripsit *Volaterranus* lib. 7. Geographiæ, & mandati ejus non obscuræ probationes extant, & Catalogus testium veritatis tomo 3. pag. 928. id disertè testatur. Ubi & hoc additur: *Innocentium illis, deficiente vino, ad calicis sacrificium aquam indulsisse.*

Lib. 4. de Pont. Rom. cap. 14.

Hoc hæreticè factum esse sentit ille Jesuita, sed palliare annititur. Dicit enim, *errasse eum in facto, sed non in dogmate.* Quasi verò non sit dogma absurdissimum, censere Sacramentum Cœnæ Dominicæ sine vino posse celebrari. Hinc ergo dejectus, respondet: *Non permisisse illum loco vini alium liquorem consecrare, sed ut in altera tantùm specie Eucharistiam consecrarent.* Quasi verò non, hoc sacrificium Missæ prorsus tollat, quod ex pane & vino consecratis fieri solet: & valdè absurdum sit, & contra Sacramentorum fidei institutionem. Deinde, loco vini alium liquorem substitutum ex Pōtificis diplomate patet. Tertiò non solùm isti Norvegiorum genti alium liquorem præter vinum permittit Papa Romanus, sed in universum de vino, altero Eucharistiæ elemento, non minùs pravè, quàm subtiliter disputant. Quærunt enim, *an necessariò requiratur vinum? Annon loco vini acetum, omphacium, mustum, vinum sublimatum, malvaticum, mulsum, Balsamum seu vinum Engaddi* (ut vocant) *aliudve medicatum aut factitium vinum ex pomis, pyris*, &c. *usurpari in sacra Cœna communione, vel Missa possit?* Si negant hoc, videant Gabrielem Biel lect. 35. super Can. Missæ. Et in 4. sent. distinct. 11. Ibid. & omnes ferè alios.

De vino Eucharistiæ opiniones absurdæ Pontificiorum.

Ne

Ne dicam de eo, quòd *vinum Eucharisticum aquâ diluendum & miscendum esse*, non tamen nimiâ, sed quantum ferre, & in substantiam suam vinum convertere possit, *docent*. Nolunt etiam aquam esse rosaceam, aut excoctam, aut arte factam: sed veram & naturalem. Mixturam insuper non in cella, aut in dolio fieri volunt, sed in calice à Sacerdote super altari. Distinct. 4. de consecratione, C. In Sacramento.

Refutatio potus aqua in Cœna sacra.

Quæ si ad Lydium Scripturæ lapidem examinemus, nullo modo ea probari reperiemus. Nam hoc ipsi saniores inter Pontificios Theologi agnoscunt, qui absurdis illis sententiis accuratè excussis, tandemque explosis, hæc duo omnes concludunt. *Primum*, elementum Eucharistiæ oportere esse vinum naturale & verum de genimine vitis, idque tum propter exemplum Christi, qui vino naturali hoc Sacramẽtum instituerit, ut ipse testatur apud Lucam: *Non bibam à modò de genimine vitis, usque quo regnum Dei venerit:* tum quia communi loquendi consuetudine & propriè non nisi γέννημα vitis appellationem vini sortiatur: tum denique, quòd solum vinum habeat qualitates ad Sacramenti efficaciam significãdam necessarias, utpote calefaciendi, lætificandi, nutriendi, similesque, &c. quemadmodum videre est apud *Thomam 3. quæst. 7. 4. dubio 5.*

Luc. 22. 18.

Aquarii in sacra Cœna usu.

Deinde, damnant *Hydroparastas seu Aquarios*, qui sobrietatis prætextu pro vino meram aquam usurpabant. *August. de hæresib. cap. 64. Thom. 3. quæst. 74. dub. 1.* Eos item qui pro vino uvas distribuebant. *Synod. 6. Constant. c. 32. Distinct. 2. de consecrat. c. Didicimus.* Item eos, qui pro vino lac è poculo Eucharistiæ bibebant. *Distinct. 2. de consecr. cap. Cum omne.* THOMAS certè Aquinas dicto loco ait: *Omnes hi & similes errores excluduntur per hoc, quòd Christus hoc Sacramentum sub specie panis & vini instituit.* Ubi totum hoc rectè se habet, & ab omnibus Orthodoxis pro confesso acceptatur, unico eo excepto, quòd ex pane & vino species panis & vini faciunt, contra institutionem Christi, quæ panis & vini sive geniminis vitis meminit. De verbis tamen cum ipsis non rixabimur, species an elementa vocent, modò requiri panem & vinum ad Cœnam sacram fateantur.

Pontificii suo se gladio jugulant.

Sed attende, quæso, Lector Christiane, quàm validè hîc seipsos confutent ac jugulent. Si enim res ita habet, ad Cœnam Dominicam duo pertinere elementa, seu duas species, ut ipsi nominant, utiq; manifestum sacrilegium est, quòd ipsi laicis calicem eripiunt, & pro duabus speciebus unam tantùm relinquunt, sub una tantundem, quantum sub utraq; accipi dictitantes. Cur ergo Christus duo diversa elementa instituit, & de pane seorsim dixit: *Accipite, comedite: Hoc est corpus meum?* De poculo seorsim: *Accipite, bibite ex hoc omnes: Hoc est sanguis meus?* Quomodo, quæso, hoc sacrilegiũ cum institutione Christi conciliabunt? aut quid Christo judici respondebunt?

Nec ignoramus, quas ratiuncularum quisquilias cùm THOMAS CAJETANUS in libello de Communione ad Clementem VII. Pontificem, tum BELLARMINUS lib. 4. de Eucharistia cap. 20. 21. ad excusandum aut palliandum, seu defendendum hoc sacrilegium

legium congerant. Sed nō est hujus loci eas refellere, quū alii nostrorum piè & solidè id præstiterint. Plus valet una CHRISTI institutio, item propria cōfessio veterum Pontificiorum, qui exactioris judicii & exquisitioris doctrinæ fuerūt, quā omnes Sophistarū argutiæ.

Præterea si tantùm duo, non tria elementa ad Cœnam pertinent, cur tria ipsi requirunt & usurpant, panem, vinum, & aquam? Nisi fortè aquam pro elemento non habent. Verùm contra hanc Cœnæ sacræ profanationem cernere licet argumenta clarissimi D. D. Davidis Parei lib. 1. de symbolis Sacramentalibus cap. 4. pag. 40. &c.

Objectio contra Orthodoxos.

Cæterùm heus, inquiunt Adversarii, si ita est, ut nullum genus potus præter vinum ad sacram Cœnam sit adhibendum, qui verò aliud usurpant, hæresin committant, sequitur Theodorum Bezā summum vestratium, qui se Orthodoxos vocant, Theologum plus quàm hæreticè scribere; *licere in defectu panis & vini adhibere res alias, quæ cum pane & vino quandam analogiam habent.* Respondemus, scribere quidem id BEZAM sed non nudè & simpliciter, ut illi referunt, de quovis defectu, verùm limitationibus additis & æquissimis rationibus prolatis, quas priùs evertere oportebat, antequam hæreticè scribere diceretur.

Hunnius de Sacrament. pag. 325.

Americanis Euangelicis ut Cœna sacra administrata primùm sit.

Accidit enim anno 1557. in BRASILIA, seu Gallia Antarctica, ubi neque panis neque vinum (qualia quidem apud nos sunt) sed tantum panis & potus ex radicibus cōfectus, tunc in usu erant, ut studio Nicolai Durardi, cognomento Villagagnonis, hominis Gallicæ nationis, ministri Ecclesiæ inter quos præcipui P. Richerius, G. Charterius & Lerius, è Geneva vocarentur; quòd is ducta secum multitudine eorum, qui reformatam religionem profitebantur, Euangelium se ibi disseminaturum & propagaturum simularet. Quum ergo Cœna Domini ibi jam tertia vice celebranda esset, & ex vino, quod ex Gallia advectum fuerat, vix cyathus superesset, aliunde etiam haberi nullum posset, *exorta fuit quæstio inter nos*, scribit LERIUS in Brasiliensi sua navigatione cap. 6. pag. 69. *Utrum vino deficiente, posset alio potus genere celebrari. Quidam præter cæteros Scripturæ locos hunc etiam afferentes, quo Christus in Cœna instituenda post gratiarum actionem Apostolis expressè testatus est, se non ampliùs ex vitis fructu bibiturum esse, censebant, deficiente vino, satiùs fore abstinere à signo, quàm illud ipsum mutare. Alii contrà asserebant, quum Christus in Judæa versaretur, eum mentionem usitati potus fecisse: credi verò par esse, si inter barbaros versatus fuisset, non modò Americanam cerevisiam, verumetiam farinam ex radicibus, quâ illi pro pane utuntur, Cœnæ Sacramento adhibiturum fuisse. Ac proinde concludebant, ut quemadmodum signa panis ac vini mutare nollent, quamdiu ea præstò esse possent: ita minimè dubitaturos, pane ac vino deficientibus, Cœnam celebrare iis rebus adhibitis, quæ ad vitam hominum fulciēdam panis ac vini locum usumq́ obtinerent.* Hæc ille. Etsi autem tum quæstio illa remāsit sub judice, eò quòd extrema rerum penuria nondum esset: *tamen plerique* (addit Lerius) *in postremam sententiam inclinabant.*

Inde de eadem quæstione, & in genere de iis, quæ circa Sacramenta simpliciter sunt necessaria, vel aliquo modo libera, etiā D. Beza cōsultus judiciū suum

Judicium D. Bezæ de potu in Cœna Domini adhibendo.

suum in Epist. 2. ad T. Thilū his verbis aperuit: *Ex his, quæ fecit ipse Christus, & facienda nobis præcepit, quædam esse dico quæ si quis ullo modo omittat, Cœnam Domini dici non possit celebrare: Alia verò, quæ etiamsi non ea ipsa prorsus formâ fiant, quâ facta sunt à Domino, tamen habita intentionis, quam vocant, ratione, ritè fieri dicantur. Quædam denique quæ ut mutari, nedum tolli sine justa reprehensione non possunt: tamen non tanti sunt momenti, ut propterea vel existimandum sit, Cœnam ibi nullam celebrari, vel illi sic mutilata interesse bonâ conscientiâ non possint.* Ac PRIMI generis dicit esse verbum institutionis Domini: ministrum legitimè vocatum, aut in legitima cathedra sedentem: signorum denique dationem & sumptionem. TERTII generis ait esse panis fractionem, offularum singularum in os ingestionem, &c. SECUNDI verò generis *sunt*, inquit, *ipsa signorum materia, & nonnullorum rituum à Domino institutorum forma: ut exempli gratiâ panis & vinum, sunt Cœnæ signa ex Domini institutione. Ubi igitur panis aut vini vel nullus est usus, vel nulla certo tempore copia, num Cœna Domini nulla celebrabitur? Imò ritè celebrabitur, si quod panis aut vini vicem vel ex usu communi, vel pro temporis ratione supplet, panis aut vini loco adhibeatur. Hæc enim mens fuit Christi, quum panem ac vinum ad hæc mysteria deligeret, ut propositis earum rerum signis, quibus corpus nostrum alitur, veram alimoniam spiritualem velut ob oculos repræsentaret. Itaque à Christi sententia nihil aberrat, qui nullo prorsus novandi studio pro pane & vino substituat, quæ etsi non panem, similem tamen alimoniæ analogiam habeant.* Hactenus Beza.

Habetis igitur, quàm justas caussas nostri teneant, in defectu panis & vini aliud cibi aut potus genus fas esse iis substituere. PRIMA ratio est, mentem Christi fuisse pane & vino Sacramentalem effectum, nostram videlicet spiritualem nutritionem adumbrare. Atqui pane & potu Americano non minus nutritur corpus, quàm nostro. Testis est P. RICHERIUS, qui è Brasilia ad Johannem CALVINUM Epistola 237. inter Calvini epistolas ita scribit: *Hæc regio panem non habet, nec vinum, aut quid vino proximum profert. Imò nec fructum aliquem (quem noverim) quo quandóque usi fuerimus. Nihilominus tamen nobis bene est, & rectè valemus. Imò ut me exempli vice proferam, vegetior sum solito*, &c. Sequitur ergo panem & potum hujusmodi sacramentalem effectum rectè adumbrare posse, nec aberrare à Christi mente eos, qui in extremo necessitatis casu hujusmodi panem & potum Sacramento potiùs adhibere, quàm sacrâ Eucharistiâ cum suo & Ecclesiæ periculo prorsus carere vellent. SECUNDA ratio est, quòd substitutio hujusmodi non temerè facienda permittitur, nec aliquo studio novandi, mutandi aut minuendi institutionem Christi, sed ex sola inevitabili necessitate. Quòd si enim hîc nihil concederetur, fidelibus penitus esset istis locis Cœnâ Dominicâ carendum.

Etsi itaque Catalogus testium veritatis tomo 3. pag. 928. innuat, NORVEGIIS olim carentibus omni vino tam domestico quàm exotico, Innocentium illum Papam VIII. pro vini usu aquam in sacris permisisse: tamen quia & in Europa sint siti vini proventu fertili & finitimi sint regionibus vini copiâ affluentibus, & facilè ea ad illos importa-

Praxeam, Irenæus lib. 3. cap. 2. & 3. testantur: ita nunc Romani Pontifices ex Concilii Tridentini Decreto sentiunt & docent: *Non solùm omnes libros tam veteris, quàm novi Testamenti, verùm etiam Traditiones, quia illi manci & imperfecti sint, tum ad fidem tum ad mores constituẽdos, tanquam vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, pari pietate ac reverentia suscipiendas esse ac venerandas.* Unde sequitur ipsos fundamentum fidei evertere. Quomodo enim solidum fidei fundamentum maneat, quod supra traditiones varias & incertas, & ignotas collocatum est? *Fides* enim, inquit Apostolus, *est per auditum, auditus per verbum Dei.* Horum ergo fides nulla est, quæ fundatur super traditiones hominum, & arenam decretalium Pontificiarum incertam, fluxam & instabilem.

Concil Trident. sess. 3.

Rom. 10.

Cultus Mariæ.

Collyridiani, teste Epiphanio de eorum hæresi, eam ob caussam sunt hæreseos convicti & damnati, quia B. Mariæ Virgini, matri Domini nostri JESU CHRISTI, cultum divinum exhibebant: at Pontifices Romani nunc ex Concilii Tridentini decreto de Missis in honorem Sanctorum habendis, *Virginem Mariam*, tanquam unicum religionis suæ columen, hyperduliæ cultu venerantur, *& reliquos Sanctos* duliæ honore prosequuntur.

Sess. 6. cap 3. can 9.

Angelorum cultus.

Propter cultum Angelorum veteres ANGELICOS & CAINOS inter hæreticos recensuerunt, & non aliter cultum Angelorum quàm idololatriam æstimarunt, ut Augustin. de hæres. Angel. & Patres Laodicenæ Synodi can. 35. perhibent. Hinc etiam in jure Pontificio distinct. 24. quæst. 3. in catalogo hæreticorum Angelici recensentur. Sed hodierni Papæ cum suis *Michaëlem, Raphaëlem, & alios Angelos invocant, Missasq́ in eorum honorem decantant*, ut Concilium Tridentinum ibidem sancit.

Manichæi poculum communicantibus eripuerunt, ut Leo serm. 4. de quadragesima testatur, ac propterea pro hæreticis habiti sunt: sed hujus temporis Pontifices Romani *in Sacramento Eucharistiæ communicantibus etiam calicem adimunt, & in Missa tollunt communionem*, prout à Concilio Tridentino sess. 5. sub Pio IV. die 16. Julii, anno Domini 1562. jubentur.

Ereptio poculi in Eucharistia.

Marcionitas & Manichæos veteres hæreticos censuerunt, quia Christo corpus phantasticum tribuêre, ac *Eutychiani* propter exanitionem humanitatis, seu humanæ naturæ Christi, pro hæreticis sunt damnati: at Pontifices Romani nostro ævo destruunt veram Christi humanitatem, & ascensionis corporis Christi in cœlum fidem turbant, *dum corpus Christi suis dimensionibus carere, & in infinitis locis simul esse posse dicunt.* Item, quando Christi corpus in Sacramento *adeò subtile esse volunt, ut tactum & sensus omnes effugiat.* Illud enim in Sacramento esse dicunt corporaliter & carnaliter, licet sensus contrarium doceat. At verum Christi corpus tangi potest & palpari, Johan. cap. 20. Concil. Trident. sess. 3. sub Julio III. anno 1551. de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

Humanitatis Christi abnegatio.
Tertullianus epist. 10. ad Flav.
Tomo Concilior. 1. fol. 347.

Iidem *Marcionitæ* eo nomine hæreseos notam incurrêre, quia vinum Eucharistiæ se in sanguinem transmutare fingerent, referente Epiphanio hæresi 34. Sic autem Pontifices Romani *vinum consecratum in calice dicunt in sanguinem converti.* Concilium Tridentinum

Conversio vini in sanguinem.

num sess.13. anno 1551. can.2. de Transsubstantiatione.

Imaginum & crucis cultus. *Carpocratiani* judicati sunt hæretici, qui colebant imagines Jesu & Pauli: ac *Simoniani*, quòd Simonis & Helenes: ac *Armenii*, quòd fingerent ac colerent imagines Dei Patris & Spiritus sancti: ac *Staurolatræ*, quòd crucem adorarent, & eam exoscularentur. Quæ omnia Augustinus hæres. cap.6. & 1. Nceph. lib.18. cap.53. & 54. item lib.14. cap.45. & 18 cap.35. tradunt. Annon autem & Romani Pontifices imagines omnium Sanctorum faciunt & colunt, ac crucẽ & crucifixi imaginem eodem honore, quo ipsum Christum, adorant? Annon similiter coram imaginibus sanctę Trinitatis, velut coram Deo, se prosternunt? Concilium Trident. sess.25. anno 1563.

Liberum arbitrium. *Pelagiani* de libero arbitrio senserunt, *Quum tam fortè & firmum ad non peccandum liberum in nobis habeamus arbitrium*, teste Augustino lib.1. de gratia, cap.28. Idem docere & statuere Pontifices Romanos hodie, ex Concilii Tridentini sess. 6. Januarii die 13. anno 1547. patet.

Gratia. Augustinus cont. 2 epist. Pelag lib 4. cap.6. & lib. 2. cap.5. *Pelagiani* docuerunt: *Gratiam adjuvare bonum cujusque propositum, nec tamen reluctanti studium virtutis immittere, nec invito inspirare boni cupiditatem.* Hoc etiam Pontifices Romani docent, ut ibidem invenitur.

Legis impletio. Illi non dubitarunt tradere, *per gratiam se perfectè legem implere posse*, teste eodem Augustino ibidem. At nihil aliud Pontifices nostræ ætatis docere, ex eodem Concilio ibidem constat.

Justificatio. *In operibus justitiam Pelagiani posuêre*, eodem Augustino testante. Verùm idem docere Pontifices nostri ævi, colligitur ex can 9. Synodi Tridentinæ & can.24. sess 6. de Justificatione, &c.

Nazaræi, *Quartodecimani* & alii Judæorum imitatores in ceremoniis, pro hæreticis proclamati sunt, teste Epiphanio & aliis veterum. Sic verò Pontifices Romani legis Mosaicæ ceremonias servant, & inde Missæ pompam, sacerdotalem ornatum, sacrorúmque apparatum & formulas transtulerunt. *Judaismi imitatio.*

Quomodo Montanistæ, Manichæi, Marcionitæ, & alii jejunium certis & cibis & temporibus astrinxerint, testis est Eusebius lib.5. cap.17. & 18. Nunquid autem non Pontifices Romani idem juxta decretum Concilii Tridentini, sess.25. die 4 Decembr. anno 1563. faciunt? *Jejunium.*

Tatianos, Manichæos, & similes hæreticos damnasse in sacri ministerii hominibus nuptias, annon Epiphanius hæres.46 & Socrates lib.2. cap.45. & Ruffinus lib.1. cap.25. scribunt? Nihil aliud verò etiam hodiernos Pontifices facere, arguit canon 9. Synodi Tridentinæ sess.24. *Matrimonii prohibitio.*

Simon Magus propter hoc peccatum hæreseôs damnatus est, quòd sacra & spiritualia emere atq; vendere voluit, & Simoniacos vulgò hæreticos habere & appellare solent. At Pontifices Romani *pro pecuniis*, ut inquit Nicolaus de Clemangis super materia Conciliorum generalium, *manus imponunt, Ecclesias consecrãt, Monachos recipiunt & Monachas; imò baptizant, chrismant, Missas celebrant.* JOHANNES Monachus Gloss. in cap. Fundamenta, de elect. in 6. dicit: *Propter rapinas Romam à prædonibus fundatam,* *Act.8.18.* *Simonia.*

tam, adhuc de primordiis suis retinere. Queruntur Germani in Gravaminibus: *Pecuniis redimi constitutiones pœnales, nuptias pro pecuniis celebrari, nundinationes exerceri, pro pecuniis deniq; dari licentiã peccãdi.* Bernardus dicit: *Ecclesiastica dignitatis officia in turpem quæstum & negotium tenebrarum transiisse. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, missas celebrant, Psalmos decantant.* Hæcque ab ipsis Pontificibus & ipsorum aulicis, legatis à latere fieri, adeò vulgo notum est, ut neque excusari, neque negari possint. Felinus dicit: *Hunc reditum Simonia, necessarium esse.*

Serm. 6. in Psal. Qui habitat.

Concio facta adversus curia Romana Simoniam.

Hinc factum quarta Dominica post festum Pentecostes, anno 1563. ut in ipso Concilio Tridentino Petrus Marcutius Theologus quidam, festivam adversus curiæ Romanæ abusus concionem habuerit. Dixit enim, abusus ab Ecclesia Romana facilè tolli posse, si duæ voculæ de medio tollerentur, & in Bullis Pontificiis expungerentur, puta *Non obstantibus.* Sed Romanum Pontificem hac in parte ad nostras infirmitates tam proximè accedere, ut passim & quotidie antiquos Canones infringat, adjectione clausularum derogatoriarum, quas *Non obstantias* vocitent. Duas item alias voculas esse dicebat, quibus si re ipsa Pontifex Romanus uteretur, magnopere ad Ecclesiæ emendationem prodessent, puta *Gratis date.* Sed & hac in re Pontificem usque adeò nostrę imbecillitatis participem esse, ut nihil gratis dare velit, sed omnes beneficiorum Bullas & Indulgentias præsenti pecunia distrahat. Ab Episcopis Ecclesiasticam censuram in censum & aurifodinas conversam: dum hon. [illegible] levissimis de caussis à sacra communione expellunt, ut posteà ab iisdem absolutionis pretium extorqueant. Itaq; maturè Domini aream expurgandam esse, periculumque in mora subesse. Ab ea itaque aspera averruncanda esse vepreta, hoc est, Sacerdotes inutiles à muniis & dignitatibus Ecclesiasticis expellendos, qui nec verbo Dei docendo, nec Sacramentis administrandis idonei sunt, eosque quasi fucos ab apum præsepibus arcendos. Refert Gentilletus in Examine Concilii Tridentini lib. 4. sess. 22. pag. 213.

Potestas exercenda Simonia Pontificibus confirmata.

Nihilominus tamen Synodus Tridentina Pontificibus Romanis potestatem exercẽdæ Simoniæ sess. 24. Novemb. 11. die, eodem anno 63. decretis de doctrina Matrimonii & de disciplina confirmavit. Nam præter alia ad Simoniam exercendam apta, cognitio criminum Episcopalium Pontifici est attributa, ita ut potestas à criminibus etiam capitalibus absolvẽdi tam Pontifici quàm Episcopis concedatur, rationes tam puniendi & in officio continẽdi laicos pro lubitu, quàm amplificandi egena beneficia conferũtur, suppressio Canonicorũ superfluorũ & inde ampliatio nõ satis opimorũ permittitur, aliaq; hujusmodi avaritiæ instrumenta subministrantur, quæ & strenuè pro nutu ac libidine usurpant.

Neque obscurum est, hanc esse Simoniam, quę à Pontificibus assiduè exerceatur, quòd beneficia, præbendas & Sacramenta pecuniâ numeratâ conferunt, imò Annatas, pallia Episcopalia, aliaque lucra & compendia pro electivorum beneficiorum collatione extorquere, adhæc indulgẽtias & absolutiones

nes pecunnia præsenti divendere solent, ut Turonensi Concilio sub Pontifice Alexandro III. habito, decretum est.

Simonia quantum crimen.

Atqui, ut magis constet, Simoniam non tantùm grave & læsæ Majestatis crimen esse, sed etiam apertè hæreticum scelus, ostendam ampliùs ita censeri tum ipso Pontificũ jure Canonico, tum civili. Nam c. Nõ satis, extra de Simonia, &, c. Sanè, 15. q. 3. item l. Si quẽquam, 29. C. de Episcopis & Clericis, & c. de cęteris, l. 9. item c. Ordinarius, eod. Item c. Ordinamus, eod. c. Quicunque sacros, 1. q. 1. *hujusce criminis rei suo munere cadere, suisque beneficiis & dignitatibus cum perpetua infamia nota sese abdicare jubentur.* Quod tam de iis, qui pecunias accipiunt, quàm qui numerant, intelligendum significatur. Additur, *Simoniacas B[illegible] as & provisiones pro falsis habendas, & qui illis utuntur, pro furibus, quasi qui per fenestram, non per januam ingressi sint, censendos esse.* Quin fit, ut qui Simoniæ labe infecti deprehenduntur, à veteribus canonibus etiam non modò maximi HÆRETICI, sed & ANTICHRISTI appellantur. Extat unus à Pontifice Gregorio VII. desumptus, his verbis:

Cap Pervenit. 1. q. 3.

NICENA *Synodus Simoniacos inter maximos hæreticos & non minimos Antichristos censuit. Episcopus igitur qui dat, & qui recipiunt ab eo laici, sive precio sive beneficio, æterni incendii ignibus deputentur.* Et constitutione quadam Pontificis Pauli II. sancitum est cap. Quum detestabile, de Simonia, in extravag. *Ut Simoniaci, cujuscunque tandem sortis & conditionis sint, pœnas jure in ipsos constitutas incurrant ipso facto, nullo alio judiciali calculo aut declaratione requisitis.* Quum igitur omnibus sit notissimum, unumquemque Pontificem Romanum ex potestate judicandi Episcopos, puniendi laicos, ex Annatis, palliis, Sacramentis, absolutionibus, indulgentiis, dispensationibus, gratiis, præbendis, & aliarum rerum spiritualium (ut vocant) collationibus, seu venditionibus pecuniam conflare, rectè sequitur ex superioribus canonibus, eum ipso facto Simoniacum habendum esse, nec ullam aliam declarationem requiri, ac propterea summorum quoque hæreticorum & Antichristorum numero adscribendum.

Quid plura? Si reliqua veterum hæreticorum dogmata & facinora, quæ libro 2. recẽsuimus, cum Romanæ nunc Ecclesiæ Pontificum decretis, Concilii Tridentini opera conscriptis, ipsorum autem auctoritate confirmatis, cumq; dictis ac factis Põtificum conferas, hos ea verè & plenè postliminio in Ecclesiam reportasse invenies, ut nihil aliud Pontificatus, quàm *hæresum* colluvies & sentina sit, sicut ipse Papismus. Aut enim probandum Pontificibus Romanis est, decretam in Concilio Tridentino doctrinam non sapere veterum Hæreticorum hæreses, aut demõstrandum sese eandem non amplexos esse, neque sequi. At neutrum horum ab illis probari & demonstrari potest. Ergo quum decreta in Tridentina Synodo doctrina veterum Hæreticorum dogmata absurda & opiniones hæreticas redoleat, ipsique Pontifices Romani eandem sint amplexi & sequantur, quinimò totis viribus suis propagent atque propugnent, equidem Hæretici sunt & dici possunt atque debent.

CAP.

CAP. XII.

Papam Romanum æquè ac quemvis vulgarem Christianum hæreticum esse habendum & vocandum, si in hæresi deprehendatur.

NEque verò quisquam Papæ caussam hoc invento tueri conetur, quasi à legibus & Canonum severitate ipse superior omnibus, ut vulgò de Principibus supremum imperium habentibus dici solet, solutus & exemptus sit. Nam certissimum est, omnes Theologos, Canonistas, cæterosque ipsius Romanæ religionis professores in eo convenire, licere inferioribus Papam hæreseos criminis reum peragere, damnare & à Pontificatu removere, si eo sit palàm infamis, aut de eo saltem suspectus. Quod & per suos delegatos Adrianus II. Romanus Pontifex apertissimè & ingenuè fassus est, in act. 7. Concilii 8. œcumenici, Constantinopoli habiti, ubi confessionis ipsius sunt verba: ROMANUM *Pontificem de omnium Ecclesiarum præsulibus judicasse legimus: de eo verò quenquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solùm licitū est minoribus majorum suorum motibus resistere, vel pravatos suos sensus liberè respuere.*

Cap. Si Papa, dist. 40.

Adde, quòd à Basiliensi Concilio constitutum est, *hanc esse unam fidei Catholicæ veritatem, ut credamus Concilium Pontifice esse superius, eósque, qui aliter sentiunt, in hæreticorum album esse referendos.* Atqui hanc veritatem neque Eugenius IV. neque Nicolaus V. neque Calixtus III. neque Pius II. qui tamen illud decretum Concilii Basiliensis conscribere adjuvit, neque Paulus II. neque Sixtus IV. & V. neque Innocentius V. neque Alexander VI. neque Pius III. neque Julius II. & III. neque Leo X. neque Adrianus VI. neq; Clemens VIII. neque Paulus III. & IV. neque Marcellus II. neque Gregorius XIII. neque reliqui illorum successores veram esse & ratam debere fieri crediderunt, neque hodiernus Pontifex Romanus, salva sua dignitate, credere volet vel ausit. Ergo & illos Hæreticos censensendos esse, & hunc atq; alium quemvis Romanæ Ecclesiæ Pontificem futurum, ex illorum tabula non eradendendum, ex Patrum Basiliensium decreto rectissimè consequitur.

Basiliense Concilium sess. 23.

CAP. XIII.

Refutatio quorundam argumentorum, quibus Pontificii Papam non posse hæreticum fieri contendunt.

QUoniam verò Bellarminus lib. 4. de Pontifice Romano, cap. 2. pag. 472. ideo conatur Pontificem Romanum à suspicione hæreseos liberare, quia *non possit fieri, ut Pontifex temerè definiat* (ut cap. 2 suprà recensuimus) probare hoc posteà cap. 3. pag 474. & cap. 14. col. 969 contendit.

Hî enim inquit: *Papam ex natura sua posse in hæresim incidere, non tamen posita singulari Dei assistentia, quā Christus illi orationе sua impetravit.* Sed primò impudenter sumit, quod in cōtroversia est. *Deinde*, non ostendit, cur magis hæc Dei assistentia valeat contra hæreses, quàm

Flagitiosum fieri posse Papam, ergo & hæreticum.

contra scelera & flagitia. Quoad enim hæc, ipse, licèt summus & peritissimus Pontificum advocatus, fatetur in præfatione ad libros de Pontifice Romano, quosdam Pontifices parum probos fuisse. Et si negaret, convinceretur cùm ipsa Pontificum vita & actis, tum gravissimorum authorũ testimoniis. Platina enim quosdam *teterrima monstra* appellat. In Greg. 6. Robertus Grosted, ut inquit Matthæus Parisius, In Henrico III. vehementissimè, *avaritiam, usuram, simoniam, lucrum, libidinem, gulamq́, curiæ Romanæ insectatus est.* In sepulchro Alexandri VI. versus iste meruit incidi: *Hic scelus omne clauditur & vitium.* Sed quid singulis authorum verbis de sceleribus cujusque Pontificis immorer? Ecce tibi speculum, seu tabellam, unde singulorum flagitia dilucidissimè perspicere licet.

Athei fuerunt & blasphemi:
Sylvester 2.
Benedictus 9.
Johannes 13. & 23.
Gregorius 7. aliique necromantici, vel Diabolici, de quibus infrà.
Leo 10.
Paulus 3.
Julius 2. & 3.

Spurii seu nothi:
Martinus 2.
Johannes 2. 13. 14. 16. 21.
Benedictus 9.
Sylvester 3.
Adrianus 4. & 5.
Eugenius 4.
Clemens 9.
Gregorius 9.

Lenones, scortatores, adulteri, incesti, Sodomitæ:
Sergius 3.
Lando 1.
Johannes 8. 12. 13. 14. 19. 21.
Christophorus 1.
Lucius 3.
Urbanus 2.
Victor 3.
Alexander 6.
Julius 2. 3.
Leo 10.
Sixtus 4.
Clemens 8.
Benedictus 1. 14.
Paulus 3.

Diabolici seu Dæmoniaci, magi, incantatores, necromantici, geomantici:
Sylvester 2. 3.
Benedictus 7. 8. 9. 10.
Johannes 13. 19. 20. 21.
Clemens 2. 8.
Damasus 2.
Leo 9.
Gregorius 6 7.
Victor 2.
Stephanus 9.
Alexander 2. 6.
Paulus 3.

Illiterati:
Benedictus 8. 9.
Sergius 3.
Eugenius 4.
Johannes 9. 21.
Alexander 6.
Julius 2.
Leo 10.
Clemens 7.
Paulus 3.

Parti-

Patricidæ ac venefici { Alexander 6. Innocentius 4. Paulus 3. Gregorius 7. qui sex aut octo Pontifices Gerardi Brazuti ministerio, veneno enecasse fertur, ut sibi ita Pontificatū sterneret.

Rabidi & tyranni { Paschalis 2. Johannes 13. 14. Bonifacius 7. 8. Gregorius 7. 9. 13. Urbanus 6. Innocentius 4. 7. Clemens 6. Stephanus 6. Sergius 3.

Bellatores & carnifices { Innocentius 2. 3. Julius 2. Gregorius 9. Clemens 4. 6. 8. Alexander 6. Paulus 3. &c.

Sacrilegi { Bonifacius 7. Clemens 8.

Proditores & seditiosi { Gregorius 2. 7. 9. Alexander 3. Paschalis 2.

Turcæ domestici { Alexander 3. 6. Gregorius 9. Clemens 6.

Bibacissimi & comessatores { Nicolaus 5. Leo 10. Julius 2.

Simoniaci { Gregorius 6. 9. 12. Benedictus 9. Johannes 19. Sylvester 3. Sixtus 5.

Si ergo in tam horrenda scelera incidere possit Pontifex Romanus, cur non possit etiam in nefandas hæreses prolabi? Nam quòd Christus pro Petro rogavit, non minùs ad mores pertinet, quàm ad fidem, nec minùs ad fidem, quàm ad mores. Et Spiritus sanctus, qui promissus est Apostolis, utrique tam morum turpitudini, quàm hæresi adversatur. Caro denique æquè ad hæreses ac omnia opera carnis propensa est, & hæretica dogmata æquè imbuuntur, ac hæc carnis opera ab hominibus gratiâ destitutis perpetrantur. Ac ideo sanctus Paulus *hæresin* apertè inter *carnis opera* numerat, Gal. 5 22. *Luc. 22. 32.*

Tertiò non docet Bellarminus hanc Dei assistētiam Pontifici Romano aut promissam fuisse, aut adversus omnes hæreses valere. Nos sanè certi sumus, Pontifici Romano nihil aut datum, aut promissum, aut impetratum singulariter. *Assistentia Dei nulla peculiariter Pontifici promissa.*

Adducit quidē Bellarminus locum ex Lucæ 22. ℣. 32. ubi hoc privilegium assistentiæ Dei, Petro & successoribus ejus per orationē Christi impetratū sit. Verùm de hoc non consentiūt ipsi Pōtificii, & nos Bellarmini rationes in eo exponendo facilè destruere possumus. De loco enim illo: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua:* certant Pontificii, utrum Dominus oraverit pro Ecclesia universali? an pro perseverantia solius Petri in gratia Dei usque ad finem? an pro *De loco Luc. 22. 32.*

certis Petri privilegiis? Testatur & describit hoc ipse Bellarminus lib. 4. de Pontifice Romano cap. 3. pag. 474. his verbis: *Hic locus tribus modis exponi solet.*

1. *Parisienses exponunt Christum orasse pro Ecclesia universali.*

PRIMA *expositio est Parisiensium, quòd* DOMINUS *hic oraverit pro Ecclesia universali, sive pro Petro, ut totius Ecclesia figuram gerebat: & hic impetrasse, ut fides Ecclesia Catholica nunquã deficiat. Qua expositio, si ita intelligeretur, ut diceret immediatè oratum esse pro capite Ecclesia, & consequenter pro toto corpore, quod per caput repræsentatur, vera esset, sed non ita ut ipsi intelligunt. Volunt enim pro sola Ecclesia esse oratum.*

Hanc expositionem refutat Bellarminus.

Qua expositio falsa est: Primò *quia Dominus unã tantùm personã designavit, dicẽs bis,* Simon, Simon, *& addens toties pronomen secunda persona,* pro te, fides tua, & tu, fratres tuos. Quorsum enim hæc? *Nisi ut intelligamus aliquid speciale Petro à* CHRISTO *esse impetratum,* Secundò, *quia* DOMINUS *cœperat loqui in plurali,* Satan expetivit, ut cribraret vos: *deinde mox mutavit formam loquendi, & ait:* Ego autem rogavi pro te. *Quare non dixit pro vobis, ut cœperat? Certè si de tota Ecclesia loqueretur, multò rectiùs dixisset, rogavi pro vobis.* Tertiò, *Dominus pro illo rogat, uti ait:* Et tu aliquando conversus: *at hoc certè non potest Ecclesia toti convenire, nisi dicamus totam Ecclesiam aliquando esse pervertendam, ut posteà iterum convertatur.* Quartò, pro illo rogat, cui ait: Confirma fratres tuos. At Ecclesia non habet fratres, quos debeat aut possit confirmare. Quis enim, quæso, fingi possunt Ecclesiæ universalis fratres? Nónne omnes fideles filii ejus sunt?

2. *Alii docent, Dominum orasse pro perseverantia solius Petri: quod refutat Bellarminus.*

ALTERA *expositio est quorundam, qui hoc tempore vivunt, qui docent, Dominum orare hoc loco pro perseverantia solius Petri in gratia Dei usque ad finem. At contrà: Primò, quia oravit Dominus paulò post pro perseverantia omnium Apostolorum, imò etiam omnium electorum,* Johannis XVII. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. *Non erat igitur ratio, cur bis pro perseverantia Petri oraret.* Secundò, *quia sine dubio hîc Dominus aliquid speciale impetravit, ut patet ex designatione certa persona. Perseverantia autem in gratia, est donum commune omniũ electorum.* Tertiò *quia certum est, Dominum saltem mediatè orasse etiam hoc loco pro aliis Apostolis. Nam ideò præmisit tanquam orationis caussam* Satan expetivit, ut cribraret vos, *& posteà subjunxit tanquam effectum:* Confirma fratres tuos. *Non igitur pro sola Petri perseverantia Dominus rogavit, sed pro aliquo dono Petro communicando in aliorum utilitatem.* Quartò *donum hoc loco Petro impetratum, etiam ad successores pertinet. Nam* CHRISTUS *oravit pro Petro in utilitatem Ecclesia: Ecclesia autem semper indiget aliquo, à quo confirmetur, cujus fides deficere non possit. Nec enim Diabolus petiit cribrare tantùm eos qui tunc erant fideles, sed omnes omnino: at certè perseverantia donum non pertinet ad omnes Petri successores. Denique non dixit Dominus, rogavi, ut non deficiat charitas tua: sed fides tua, & re ipsa scimus defecisse Petri charitatem & gratiam, quando negavit Dominum: fidem autem unquam defecisse non scimus.*

3. *Opinio Bellarmini, quòd Domini oratione duo privilegia Petro impetrata sint.*

Est igitur tertia expositio vera, quòd Dominus duo privilegia Petro impetraverit. U*num, ut ipse non posset unquam veram fidem amittere, quantumvis tentaretur à Diabolo: id quod est aliquid amplius, quàm donum perseverantia: dicitur enim perseverare usque in finem, qui licet interdum cadat, tamen resurgit, & in fine fidelis invenitur: at Petro Dominus*

minus impetravit, ut non posset unquam cadere, quod ad fidem attinet.

Alterum privilegium est, ut ipse tanquam Pontifex non posset unquam docere aliquid contra fidem: sive ut in sede ejus nunquam inveniretur, qui doceret contra veram fidem. Ex quibus privilegiis, *primum fortasse non manavit ad posteros: at secundum sine dubio manavit ad posteros sive successores.* Hæc Bellarminus.

Dissensio Bellarmini.

Verùm *primò* secum ipse pugnat Jesuita. Nam hîc rogatum à Christo dicit & impetratum hoc privilegium, *ut ipse tanquam Pontifex non posset unquam aliquid contra fidem docere*: at lib. 1. de Pontifice Romano, cap. 20. col. 683. affirmat, Dominum his verbis ostendere: *Petrum fore Principem & caput fratrum suorum.* Quod ipsum quoque minimè inde concludi potest, nec ita verba hæc Patres exponunt. THEOPHYLACTUS enim in Luc. 22. ℣. 32. ex verbis istis non colligit, Petrum esse principem Apostolorum; sed *quia princeps erat, & petra, & fundamentum*, propterea debere eum fratres confirmare. Similiter Leo serm. 3. de anniverf. assumpt. sua, non ideo dicit Petrum esse principem Apostolorum, quia pro eo Christus orârit: sed contrà, ideò Christum pro eo orasse, *quia princeps esset.* Sic nec Theophylactus, nec Leo Petro potestatem & imperium supra Apostolos detulêre: sed quia labore, cura, zelo, fortitudine & omni virtutis genere reliquis præstiterit, non quòd reliquis Apostolis præfuerit, eum principem, id est, præcipuum vocaverunt. Ecclesiæ autem petram & fundamētum nominat Theophylactus Petrum non secus, quàm reliquos Apostolos, nempe impropriè

Petrus ut princeps, petra & fundamentum.

propter fidem, confessionem & doctrinam, quâ Christum & veram salutis petram & solidum fundamentum ostenderunt atque prædicarunt, quo omnes salutem adipisci volentes unicè niti oporteat.

Secundò, verba Christi: *Rogavi pro te, ne fides tua deficeret*, propriè ad Petrum tantùm, qui præ reliquis periculosissimâ tentatione fuit oppugnandus, pertinent, non ad ejus successores.

Tertiò, intelligit DOMINUS eâ in precatione fidem justificantem cordis, non oris, non fidem historicam, quæ veram tantùm doctrinæ sententiam tenet.

Quartò, si petiit hoc Christus pro omnibus Pontificibus Romanis, nempe ut non errarent & in hæresin ruerent tum non impetravit, quod petiit, constat enim multos Pontifices Romanos errasse, quin in sceleratissimas hæreses præcipites ruisse, ut suprà demonstratum.

Quintò, nihil dictum illud ad Ecclesiam Romanam, facit nisi fortè dicas ipsi cum Petro convenire, quod Christum negaverit, nisi Petri lachrymas & resipiscentiam imitetur. Nec enim à fide Petri, quæ fuit donum personale, ad fidem Ecclesiæ Romanæ apta est ratiocinatio.

Sextò, etsi pro Petro propriè ac peculiariter Christus precatus sit; tamen etiam simul oravit pro cæteris Apostolis: nec tantùm pro Apostolis, sed & pro omnibus fidelibus rogavit. Constat hoc ex Johannnis 17. ℣. 20. ubi: *Non tātùm*, inquit Dominus, *pro eis rogo, sed pro iis etiam, qui per eorum sermonem credituri*

dituri sunt in me. Item: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, qui credituri sunt in me.*

Septimò, fratres in fide vacillantes confirmare non tantùm Petri est, sed omnium Apostolorum. Unde Paulus & Barnabas animas discipulorum confirmabant; ac similiter Judas & Silas confirmarunt fratres.

Act.14.& 15.

Octavò, suffragium veteris Ecclesiæ Bellarmini sententiam diruit, nostram erigit & stabilit. AUGUSTINUS enim ita introducit Christum loquentem: *Ego rogavi Patrem pro vobis, ne deficiat fides vestra.* Et in quæstionibus noui Testamenti: *Numquid*, inquit, *pro Petro rogabat, pro Johanne & Jacobo non* rogabat?

De verbis Domini secundum Lucam sermone 36. quæst. 75.

Nonò, ex iis, quæ hactenus recitavimus, apparet Parisienses sinceriùs & rectiùs verba Domini interpretatos esse, quàm Bellarminum, quando in Luc. 22. fatentur, ut ipse Jesuita citat: *Christum hic orasse pro Ecclesia, vel saltem pro Petro, ut figuram gerebat Ecclesiæ.*

Decimò, si ex istis verbis sequitur, Petrum nunquam aliquid contra fidem pronunciaturum, tum idem etiam reliquis Apostolis & eorum successoribus, & omnibus fidelibus competet. Neque enim dubium est, sed ex Johannis 17. perspicuum & planum, Christum pro his omnibus oravisse. Hinc etiam sequitur, nullum privilegium Petro datum fuisse.

Undecimò, non obstat, *quod ista dicuntur Petro singulariter.* Nam Petro etiam claves promissæ sunt singulariter, quæ tamen aliis Apostolis erant communes, & eis simul datæ, quum à Christo missi potestatem acceperunt ligandi & solvendi. Unde in tractatu in Matthæum Origenes: *Et quæ priùs dicta sunt, & quæ sequuntur, velut ad Petrum dicta, sunt omnium communia.*

Matth.16.

Duodecimò, non etiam obstat, quòd Christus *postquam dixisset, Satan expetivit cribrare vos*, mutavit formam loquendi, & dixit: *Ego autem rogavi pro te:* quia ipse præcipuè opus habuit oratione aliena, & quidem Domini ac Servatoris ipsius pro se, utpote qui casurus erat gravissimè, licet omnes Christi oratione indigeant.

Tertiodecimò, nec obstat, *quòd hæc toti Ecclesiæ convenire non possunt*, ut ait ille. Nam ut non conveniant toti, ut tota est: tamen ei convenire possunt, ut multa habet membra. Et Apostolis sanè eorumque successoribus rectissimè conveniunt.

Decimoquartò, oravit Christus pro perseverantia Petri in gratia, & non pro dono infallibilis judicii. Nam si hoc orasset, tum Petrus non abnegasset Dominum. Quis enim dubitet, an Christus illud impetrarit, pro quo rogavit? Neque obstat, *quod Christus aliàs oravit pro omnium perseverantia.* Cur enim non oraret pro tam eximio dono sæpiùs?

Decimoquintò, non obstat, *quia speciale aliquid hoc loco Petro impetravit.* Nam speciale erat, Petrum tam graviter lapsum finaliter non excidere.

Decimosextò, non obstat, quòd dicit Christus: *Conversus confirma fratres tuos.* Nam hoc non ex potestatis donatæ gratia, sed ex sensu infirmitatis Petrus facere potuit.

Decimoseptimò, nihil est sententia Bellarminiana, *hoc donum pertinere ad successores, quòd Christus oratione sua impetravit.* Nam nihil magis hoc pro Pontifice Romanò,

Romano, quàm pro omnibus Petri successoribus, hoc est, pro omnibus piis Episcopis sive Ecclesiæ ministris facit. Præterea licèt exemplum Petri ad alios pertineat; verba tamen hæc (uti suprà monui) ad Petrum propriissimè & singulariter spectabant.

Privilegium Petri singulare nihil Pontifices attinet.

Decimooctavò, ut hæc personaliter tãtùm Petro dicta fuisse, & Apostolos exclusos cõcedamus, maxime tamẽ illud in damnum cedit Pontificũ Romanorum. Nihil est enim cur dona Petri personalia ad se trahãt, quũ nõ sint illi Petrus, nec eo modo ceciderint & cõversi sint, ut Petrus, nec confirmarint fratres suos ut Petr⁹. Imò multos ex illis lapsos esse, & Christũ abnegasse suprà probavimus, quos tamen nunquã conversos fuisse intellgim⁹, nec à fide dignis scriptoribus aut testibus cognoscimus. Adhæc tantùm abest, ut fidẽ Petri Pontifices etiam nunc sequantur, ut potiùs ex diametro ei repugnãtem & teneant & doceant, quin ferro & flammis credendam reluctantium cervicibus imponant. Præterea, non solent illi Christianos pro fratribus habere, sed pro subditis tantùm. Denique non fratres in fide Petri confirmant, imò ne subditos quidem, sed potiùs infirmant, enervant, corrumpunt, depravant, premunt, opprimunt & necant.

Testimonia Pontificum pro sua sede inania.

Decimonond, testimonia Pontificum quorundam pro se profert Bellarminus lib. 4. de Pontifice Romano, cap. 3. col. 955. sed quę suspecta, commentitiàque, aut inania & frigida sunt, ut licèt magnam, tamen vanam in iis operam susceperit. Neque enim solet fides adhiberi testibus, in propria caussa testantibus, neque caussam Pontificiam ipsius testes illi qualescunque confirmant. Dicit: *Lucius I. negat Ecclesiam Romanam à tramite Apostolica traditionis errasse, in epist. ad Episcopos Hispania.* Et *Felix I.* ait, *eam etiam illibatam mansisse dicit, & uterque illud probat ex verbis, Ego rogavi pro te.* Sed nihil hæc pro Pontifice Rom. faciunt: multum enim interest inter illũ & Ecclesiã Romanam, & cadẽte Pontifice Romano, manere potest Ecclesia integra, ut in Marcellino, Liberio, Felice, & aliis factũ videm⁹. Ipsi deniq; nõ loquũtur de tẽpore futuro, nec docẽt, qd non possit fieri, sed qd ante sua tẽpora factũ fuerit.

In epist. ad Benignum.

Addit Bellarminus: Leo dicit in Petro reliquos Apostolos confirmatos, & munitos fuisse. Sed quid hoc ad Pontifices Romanos? Sanè si Pontifices Romani falsum definire non possint, quia *cura Petri à Domino suscipitur, & in ipso reliqui Apostoli firmitatem acceperunt*, cum nec reliquorum Apostolorum successores falsum definire possunt, quia ad cæteros Apostolos eadem firmitas, si Leoni credimus, pervenit.

Serm. 3. de Assumpt. sua ad Pontific.

Dicit etiam: *Agatho Apostolicam Christi Ecclesiam à tramite Apostolica traditionis nunquam errasse, & suos prædecessores fratres suos cõfirmasse ait.* Sed illud ad Ecclesiam pertinet, & nõ ad Pontifices Romanos. Hoc (ut & suprà de Honorio cap. 6. dictum) non probat Pontifices in fide errare non posse. Multi enim fratres suos confirmare solent, qui de judicii sui certitudine nihil habent certi.

In epist. ad Constantinum in Synodo 6.

Adjicit: *Nicolaus I. Romanæ sedis privilegia semper inconcussa mansisse scribit.* Sed hoc, nempe *ut Pontificis Romani certũ esset* in fide judicium, privilegium esse sedis Romanæ, dicere nõ est ausus, etsi multa audeat, nihilq; non temerè effutiat.

In epist ad Michael. Imperat.

In epist ad Petrum Antiochenum.

Subjicit: *Leo IX. dicit, fidem non defecturam in throno Petri.* Sed non sequitur inde, Pontifices vera semper definire. Nam Petri fides non defecit, licèt graviter lapsus Dominum abnegasset. Et Pontifices Romani cum Juda Iscariota Dominum prodere & perire possunt, licèt Petri doctrina & fides in iis, qui verè Petro successerunt, nunquam deficiat. Postremò, Pontifices Romani non sedent in throno Petri, nisi quando doctrinam Petri sonant.

C. Majores. de Baptis.

Subjungit: *Innocentius III. dicit, Dominum pro fide Petri orasse, ne ea deficeret.* Quod verum esset, etiamsi nulli unquam Pontifices Romani fuissent. Nihil ergo ista ad eos pertinent. Ineptè deniq; Bellarminus caussam suam maximam ex epistolis istis confirmat, quæ vel commentitiæ sunt, vel eos authores habent, quos nemo pius dubitat Antichristi sedem occupasse.

Col. 956. In cap 22. Lucæ.

Vigesimò, Theophylacti, Petri Chrysologi & Bernardi testimonia producit. Sed nihil pro ipso facit *Theophylactus*. Ille enim tantùm dicit: Petrum ut principem discipulorũ confirmasse reliquos, & ne leviter quidem Pontifices Romanos, de quibus hîc agitur, aut eorum prærogativas attigisse videtur. Præterea, hæc paulò antè diluimus.

In epist ad Eutych ante Concil. Chalcedon.

Petrus verò *Chrysologus* obscuræ notæ testis est, imò potiùs larvatus aliqs Monachus, ex falso & supposititio instrumento, inter Acta Concilii Chalcedonẽsis temerè intruso, Põtificis Romani authoritatem extollens. Præterea mentitur apertè, ubi dicit: *Petrum vivere, & præstare veritatem quærentibus.* Concilium enim Chalcedonense contra Leonis sententiam, apertè detulit Ecclesiæ Constantinopolitanæ parem cum Romana prærogativam. Postremò, ut verè diceret, *Petrum præstare quærentibus veritatem*, non tamẽ solent Pontifices Romani à Petro in Scripturis sacris loquẽte & respõdente quærere, nec qui quærunt, veritatem quam inveniunt, amplectuntur, sed respuunt aut pervertunt & corrumpunt.

Epist. 190. ad Innocentium.

Bernardus, dicit: *In sede Petri negat sentiri posse defectum.* Sed non omnes Epistolæ Bernardi sunt genuinæ. Præterea, ut non deficeret fides in Episcopis Romanis (quod tamen nos jam evenisse videmus) non tamen necesse est eos in judicando non falli, nec errare & in hæresin incidere non posse. Nam non defecit fides Petri, etsi ipse Christum abnegandum ex infirmitate judicârit. Postremò, etsi aliquid Bernardus temporibus adductus de pontifice Romano uberiùs dixit & magnificentiùs: illud tamen potiùs ignoscendum est, quàm temerè credendum. Vixit enim in mediis tenebris, & licèt multas vidisset Ecclesiæ Romanæ deformitates, non tamen vidit omnes.

Patrum interpretatio loci Lucæ 22. 23.

Vicesimoprimò, hæc Bellarmini interpretatio de oratione Christi pro fide Petri, & de confirmatione fratrum nova est, & cum Patrum omnium sentẽtia pugnãs. Nam præter ea, quæ suprà ex Augustino adduximus, Tertullianus inquit de fuga in persequutione: *Ecce postulavit Satanas, ut vos cerneret tanquam frumentum, verùm ego rogavi pro te, ne deficeret fides tua, id est, ne tantum Diabolo permitteretur, ut fides periclitaretur.*

In Euangelio secundùm Lucam, inquit Ambrosius, *Deum dare, ut in fide perseveretur, ita promitur. Dixit autem Jesus: Simon, Simon,*

Simon, Satanas postulavit, ut cerneret vos, sicut triticum, sed ego rogavi pro te. Lib. 1. de vocatione Gentium, cap. 1.

Chrysostomus Homil. 72. in Johannem, ait: *Ego rogavi pro te, inquit Dominus, ne deficiat fides tua, hoc est, ne in fine pereas.* Idem: *Non dixit Dominus,* inquit, *non negabis: sed non deficiet fides tua. Cura enim ipsius & favore factum est, ne omnino Petri fides evanesceret.*

Hom. 83. in Matth.

Bernardus verò ser. 5. in Psal. Qui habitat, *Christum pro Apostolis, & non tantùm pro Petro orasse dicit, idq; ne in passione sua deficerent.*

Lyranus in Luc. 22. scribit: *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, hoc est, inquit Christus, finaliter. Non enim rogavit, ne Petrus caderet, sed in casu non remaneret.*

Bellarmini etiam testes nostram sententiam confirmant, ipsius planè evertunt. Nam Augustinus: *Quando rogavit,* inquit, *ut non deficeret fides ejus, rogavit, ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem.*

Theophylactus ait: *Quamvis,* inquit, *brevi tempore concutiendus sis, habes recondita semina fidei. Etiamsi folia abjecerit spiritus invadentis, radix tamen vivet, & non deficiet fides tua.* De Chrysostomo vide paulò antè.

Nullus denique Patrum adeò subtilis erat, ut hæc verba ad Pontifices Romanos pertinere videret. Quale ergo hoc argumentum est, quod ab adversarii interpretatione sumitur, quæ tamẽ contra omnes Patres simul pugnat?

Vigesimosecundò, ut demus hanc Christi orationem Petro impetrasse, ut ipse in veritate perstaret, & infallibile haberet judicium, fidemq; inconcussam, quod tamen ex Pauli reprehensione

Gal. 2.

colligitur non esse factum: non tamen ex eo sequitur, Pontifices Romanos in judicio fidei non posse errare. Specialiter enim, & majore mensura datus est Spiritus sanctus omnibus Apostolis, quàm quibuscunque Episcopis confeeratur. Oravit enim Christus pro omnibus Apostolis, *ut sanctificarentur in veritate,* promisitque se *eis Spiritum sanctum daturum, qui eos in omnem duceret veritatem.* At pro Pontificibus Romanis nunquam specialiter oravit. Et ut pro successoribus Apostolorum orârit, non magis tamen hoc ad Episcopos Romanos vel Papas pertinet, quàm ad alios Episcopos & Ecclesiæ ministros, qui Apostolis, ut inquit Cyprianus, vicaria ordinatione successerunt, & tamẽ sæpè in fide lapsi sunt, & gravissimè errarunt. Præterea si oratio Christi hoc impetrâtit, ut Pontifices Romani in judicio fidei non errent: hoc etiam impetravit, ut nec in moribus errent. Pariter enim valet ejus oratio contra lapsum in moribus, ac in fide. At nemo (credo) negabit, quin atrociter in moribus lapsi sint. Quare si hoc Petri erat privilegium, ut in fide non erraret, tum non est illud ultra personam Petri extendendum. Si autem illud extendere velit Bellarminus ad Pontifices Romanos, aliunde quàm ex hoc loco auxilium ei quærendum est.

Joh. 17. Ibid. 16

Ex istis omnib. igitur, quæ Bellarminus sic objicit: *Christus pro Petro rogavit, ut nõ deficeret fides ipsius, & ipse jussus est, postquam conversus esset, confirmare fratres suos. Ergo duo privilegia ei impetravit; unum ut ipse veram fidem nunquam amitteret: alterum ut ipse tanquam Pontifex, non possit unquam docere aliquid contra fidem; sive ut in*

Lib. 4 de Pontifice Romano, cap 3.

sede ejus nunquam inveniretur, qui doceret contra veram fidem: Ex his, inquam, & iis, quæ nos expositionis loco subjunximus, conficitur, immane esse intervallum inter antecedens & consequēs in Jesuitæ argumento: & conclusionem Jesuitæ ex illis præmissis nulla ratione educi posse. Plura vide in Sibrandi Liberti lib. 6. de principiis Christianorum dogmatum, cap. 3. & lib. 8. de Pontif. Roman. cap. 4. & lib. 4. de Conciliis pag. 140. 141. 142. &c. Witakerum de Pontif. Rom. cap. 4. à pag. 731. usque ad 815.

Quicquid denique Adversarii crepant, Papæ sedenti in solio suæ Majestatis Spiritum sanctum assistere, ut neque errare, neque ulla hæresi infici possit, nobis contrà retorquendum & servandum est hoc Chrysostomi: *Multi Spiritum sanctum jactant, sed qui propria loquuntur, falsò illum prætendunt. Ut Christus non ex seipso loqui testabatur, quia ex lege loquebatur & Prophetis: ita si quid præter Euangelium sub titulo Spiritus obtruditur, ne credamus.* Nam quod objicitur: Spiritus sanctus Papæ assistit, vel præsidet: Ergo non errat, neq; in hæresin incidere potest: ad id respōdemus paucissimis: Spiritum sanctum quidem esse magistrum veritatis, sed non solis Papis, neque omnibus Papis. Nam Papæ & ipsorum ministri, multa quidem invenerunt & tradiderunt, in quibus tamen magisterium Spiritus sancti sequuti non sunt. Nihil enim minùs, quàm verum quæsiverunt, idque non ubi quærendum est, nimirum in Scripturis, sed in scrinio (ut vocant) sui pectoris, suique capitis judicio. At hoc est abuti Spiritu sancto, sequi suum judicium, & dicere, Spiritus

In Serm. de de Sanct. & adorat. Spiritus.

sancti judicium esse. Spiritus enim sanctus non alligatur ad Papas, sed Papæ ad Spiritum sanctum in sacris veteris ac novi Testamenti libris loquentē. Quocirca quicquid à Papis prodit, à Papis fit, à Papis creditur, à Papis docetur sacris literis non congruens, haud Spiritus sancti dictatum, sed humani cerebri figmentum est, quod detestandum & cavendum.

CAP. XIV.

Diluitur sophisma cùm de Hæreticis Scriptura divina abutentibus, quapropter Scriptura sit negligenda, tum de Traditionibus, ad quas à Scripturis sacris Adversarii provocant.

Si verò Adversarii se Scripturis ita premi vident, ut iis tam corpus Ecclesiæ suæ, quàm hujus caput, Pontifex Romanus, hæreseos arguatur ac convincatur, tum non modò Traditiones Scripturis longissimè præferunt, verùm etiam ad Traditiones à Scripturis, singulari sophismate utendo, acerrimè ac pertinacissimè provocant. Ut enim opinantur & dicunt, nec omnia & singula, quæ Deus vel immediatè vel mediatè per Prophetas, per Filium & per Apostolos locutus est, nec ea, quæ ad fidem & vitam spectant, ac proinde ad salutem necessaria sunt, perfectè & sufficienter libris Propheticis atque Apostolicis contineri & explicari, adeò ut præter hos libros scriptos ad salutem obtinendam summè opus sit verbo ἀγράφῳ & Traditionibus non scriptis: sic docent & affirmant, Hæreticos vulgò Scripturas sacras suis erroribus prætexere, ac ideo Traditiones Scripturis esse

Negans Pontificii Scriptura perfectionem, eiq; Traditiones assuunt.

esse potiores, & Hæreticos non ex Scripturis, sed ex Traditionibus dijudicandos & refellendos esse. Imò hanc sententiam unicè amplectuntur & propugnant, Scripta Prophetica & Apostolica veteris ac novi Testamenti, licèt verbum Dei comprehendant, tamen non unam & solam, non perfectam, & omnibus numeris absolutam, sed mancam & imperfectam veritatis regulam esse, cui perficiendæ necessariò Traditiones non scriptæ addendæ sint, utpote Lydius lapis & Aiacis clypeus hæreticis objectandus, verumque fundamentum fidei, quod non minori pietatis affectu sit recipiendum & tenendum, ac ipsæ Scripturæ divinitus inspiratæ.

Perfectio Scriptura sacra Exod. 24. 14. Rom. 2. 22. 2. Tim. 3. 16. Deut. 4. 2. Gal. 1. 8. Joh. 5. 25. & 20. 30.

Verùm hoc loco & tempore non multis agam de Scripturæ perfectione, quæ sese ipsa probat, quandoquidem à Prophetis & Apostolis afflatu Spiritus sancti literis ita prodita est sacra Scriptura, ut apertè testimonium luculentissimum & certissimum habeat, esse eam Verbum Dei, eique nec addi nec detrahi quicquam ab homine debere, ac præter & supra eam nihil euangelizandum aut sapiendum esse, denique in ea & per eam fidem salvificam ad mores verè Deo placentes ita doceri, ut perfecti fiamus, & ad omne opus bonum perfectè instruamur, ejusque ductu vitam æternam consequamur, ac proinde Traditionibus nihil omninò indigeamus.

Illud verò paulò diligentiùs excutiendum sumam, quòd Adversarii Hæreticos ex Scripturis arma capere, ac proinde Scripturas non magnifaciendas, & hæreticos non Scripturis, sed Traditionibus refutandos aut cohibendos esse statuunt.

1. *Hæretici abutuntur Scriptura.*

Hæretici, inquiunt, abutuntur Scriptura, detorquentes eam in alienos sensus: Ergo non solis Scripturis est inhærendum, sed debemus aliò, nempe ad Traditiones recurrere ad fidem perdiscendam & stabiliendam. *Respondemus*, etsi antecedens utplurimùm admittamus, consequens autem planè negemus: tamen in antecedente quoque est fallacia à non caussa ut caussa. Etenim Scriptura non est in culpa, quòd ab Hæreticis falsò citatur, aut corrumpitur, aut in alienos sensus trahitur: sed homines in vitio sunt, qui rem illam præstantissimam ad suos errores & falsas opiniones detorquent. *Deinde* tantùm abest, ut Scriptura deserenda sit propter hæreticos, ut potiùs hæretici ex ipsa Scriptura sint convincendi & reprimendi. Quod ipse Christus Dominus ac Servator noster *Math. 4.* suo exemplo docet, quando Satana abutente Scriptura, ut fidem ipsius labefactaret, non ad Traditiones confugit, sed ipso Scripturæ gladio hostem jugulavit. Nam Satanæ objicienti, *Scriptum est*, &c. Christus vicissim respondit: *Scriptum est*. Non autem dixit: *Traditum est*. Retorqueri igitur argumentum Adversariorum in ipsosmet commodissimè & rectissimè potest. Nam si quemadmodum Satã adversus Christum Scriptura abusus est, ita hæretici adversus Orthodoxos Scriptura abutuntur: certè sicut Christus solâ Scripturâ usus est ad Satanam repellẽdum, ita Orthodoxi solâ Scripturâ uti debent ad hæreticos refutandos & depellendos.

Adhæc, quum ea pravitas hæreticorum esse deprehendatur, ut Scripturis sanctis abutantur, danda est nobis eò major opera & diligentia, ut Scripturis suam & authoritatem & puritatem accuratè servemus, nec aliunde, nisi ex solis Scripturis quàm maximè Hæreticos adoriamur, & convincere studeamus. Quod fiet, si obscuriores Scripturæ locos ex clarioribus, difficiliores ex facilioribus, brevioresque ex plenioribus exponemus.

Ac si hac in re nos Pontificii audire detrectant, saltem sese ipsi attendant, in quorum Decretis Can. Relatum, distinct. 37. hæc sententia extat: *Ex ipsis Scripturis capiendum esse sensum veritatis.* Et distinct. 9. Can. ult. AUGUSTINI hoc percelebre est de interpretatione sacrarum Scripturarum: *Ut veterum librorum fides de Hebrais voluminibus examinanda est: ita novorum veritas Graci sermonis normam desiderat.*

Ac operis imperfecti in Matthæum auctor homil. 49. *In tempore hoc,* inquit, *ex quo obtinuit heresis illas Ecclesias, nulla probatio potest esse Christianorum volentium cognoscere fidei veritatem, nisi Scriptura divina. Antea enim multis modis ostendebatur, qua esset Ecclesia Christi, & qua Gentilitas: nunc autem nullo modo cognoscitur, nisi tantummodo per Scripturas.*

II. A Scripturis ad Traditiones non provocandum.

Jam quod ad illud, ideò à Scripturis ad Traditiones esse confugendum, quia hæretici ex Scripturis mirifico earum abusu arma ad suos errores defendendos vel spargendos capiant, sumpta est hæc opinio ex S. Tertulliano & Irenæo perperam intellecto, ut paucis ostendam. Ille enim in libro de Præscriptione adversus Hæreticos, hic lib. 3. capite 2. 3. 4. ait: *Non ex Scripturis, sed ex Traditionibus cum hæreticis disputandum esse.* Quod pro Adversariis facere videtur, sed potiùs gravissimè eos vulnerat. *Primò* enim uterque illorum Patrum rem habuit cum illis hæreticis, qui Scripturas non esse perfectas contendebant & calumniabantur. Imò qui Scripturas lacerabant, contemnebant, corrumpebant & negabant, nec se earum authoritate premi patiebantur, sed Traditionibus ut jam Papistæ adhærescebant, nitebantur & gloriabantur. Ajebant Apostolos nō omnia omnibus, sed quædam perfectis tradidisse. Præterea, quando Tertullianus & Irenæus Scripturas proferebant, illi eas spernebant, sicut hodie planè Papistas facere constat. Itaque Tertullianus provocat à Scripturis ad Ecclesiam, & ad Ecclesiarum disciplinam, nō quidem ad doctrinam aliquam non scriptam, sed ad ejus doctrinæ defensionem, propagationem ac promulgationem, quam Apostoli viva voce in Ecclesiis à se fundatis traditam reliquerunt. Quæ enim doctrina prima fuit, inquit, ea vera est, quæ posterior ea falsa. Ut cōtra Praxeā: *Id verum, quodcunque prius: id adulterinum, quodcunque posterius.* Et refellit eos, qui dixerunt, Apostolos secreta quædam dogmata perfectioribus tradidisse: quia si hujusmodi aliqua fuissent, Ecclesiæ, inquit, ab Apostolis fundatæ ea haberent ac retinerent. IRENÆUS autem contra tales non posse ex Scripturis disputari, rectè statuit. Ex 2. enim cap. libri 3. patet, illos hæreticos per omnia similes fuisse nostris Papistis. Scripturas enim repudiabant: *Primò,* quòd obscuræ essent: *Secundò,* quòd varios sensus habe-

haberent, & variè intelligi possent: *Tertiò*, quòd Traditio prior fuerit Scriptura: *Quartò*, quòd Scripturæ non possent sine Traditionibus intelligi. His omnibus de caussis ex Traditionibus potiùs disputandum esse dixerunt, quàm ex Scripturis. Atque hæc quidem omnia Papistæ hodie similiter tenent, atque objiciunt. Quare ad Ecclesias Apostolicas provocat Irenæus, quod quemadmodum faciat, cap. 3. expositum ab ipso invenio. Nimirum, quia si Apostoli talia aliqua tradidissent, qualia illi hæretici fingebant, ea procul dubio Ecclesiis illis tradiderunt, in quibus ipsi docuerunt. Ac proinde cap. 3. ait: *Quando successionem proferimus, tum confundimus hæreticos.* Profert autem eo loco Romanæ Ecclesiæ successionem, quia ea illo tempore celeberrima fuit.

Ex ista igitur re tale argumentum à nobis contra Pontificios confici potest, ut rectissimè statuamus.

Si veteres Hæretici plerique, quum ipsis verbum Dei deficeret, ad Traditiones confugerunt nomen Apostolorum ementitas, & idem hodie faciunt Papistæ, certè hac in re sunt potiùs cum Hæreticis, quàm cum Orthodoxis numerandi.

At antecedens est verum.

Verum igitur & consequens.

Quin ampliùs sic ex superiore & hac posteriore Pontificiorum objectione Pontificios arguimus. Si, quia hæretici prætexunt Scripturam, solis Scripturis innitendum non est: certè quia hæretici prætexunt etiam Traditiones, ut hodie Papistæ, Apostolicas, tum solis Traditionibus standum & inhærendum non erit. Atque ita, quandoquidem hæretici, ut hodie Pontificii, abutuntur & Scripturis & Traditionibus, nec Scripturis, nec Traditionibus hærendum erit. At hoc absurdissimum & incommodissimum esset, ipsis etiam Pontificiis assentientibus. Ergo Traditionibus præteritis, Scripturas solas maximè in fidei negotio & moribus constituendis sectemur.

Deinde enim, etsi vetusti illi Patres eos Hæreticos, qui Scripturas sacras non admittebant, Traditionibus verè Apostolicis potiùs quàm Scripturis refellendos censuerunt: tamen alibi tam illos quàm alios ex Scripturis potiùs solis & unis, quàm Traditionibus redarguendos & convincendos docent. *Hæretici ex Scripturis convincendi sunt.* Tertullianus enim de Resurrectione carnis: *Aufer hæreticis*, inquit, *quæ cum Ethnicis sapiunt, ut de Scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt.* Sic licèt Pontificii hodie eos pro hæreticis habeant, qui de Scripturis solis suas quæstiones sistere volunt: tamen Tertullianus eos potiùs orthodoxos censendos esse affirmat. Quocirca adversus Hermogenem quoque ait: *Doceat Hermogenes scriptum esse: si non scriptum, timeat væ illud, adjicientibus aut detrahentibus destinatum.* Item: *Nobis*, inquit, *curiositate opus non est post* CHRISTUM JESUM, *nec inquisitione post Euangelium. Quum credimus, nihil desideramus ultra credere, hoc enim primùm credimus, non esse, quod ultra credere debeamus.*

Et in lib. de præscript. adversus Hæreticos: *Unde autem*, inquit, *extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbitrio adversus Apostolos aut protulit, aut recepit. Illis igitur & Scripturarum & expositionum adulte-*

cam, quia caput ejus hæreticum sit. quas secundo libro recensuimus, repleta ac commaculata, quia Papa vel Pontifex Romanus, qui ei ut pastor gregi, ut Monarcha vel Rex regno, ut denique caput corpori præest ac dominatur, ipse aut erroribus illis atque hæresibus est addictus, aut aliis hæresibus non rarò fuit infectus, aut fidem Christianam abnegans, quod gravius & atrocius est Hæretico, aut Hæreticis palàm favens, aut à suis hæreseos accusatus, Hæreticusque appellatus atq; convictus. Nam errante, aut in lupum converso, & gregem toxico pascēte ac perdente ipso pastore, quî non grex à septis & pascuis aberraret, dissiparetur, raperetur, occideretur & pessumdaretur? Rege in tyrannum mutato, aut legibus bonis sublatis malas substituente, quî non subditi in malos degenerarent juxta illud:

Regis ad exemplum totus componitur orbis?

Aut cædibus, rapinis, aliisque malis ab ipso vexarentur, vel ipsi operam inter se darent? Capite vitiis ac morbis laborãte, quî posset esse corpus sanum? Imò quî non iisdem infestaretur & tandem exanimaretur?

2. *Papam non esse summũ in religione Judicem.* *Deinde* id falsissimum esse hîc videmus, quod Pontificii de suo Pontifice jactitant, ipsum minimè errare, ac propterea summum, certissimum & infallibilem in controversiis fidei & morum dijudicandis Judicem esse. Adversus hoc enim hujusmodi argumẽtum proponimus:

Si Papa est Hæreticus, aut fidei Christianæ abnegator, & à suismet hæreseos accusatus & convictus, tum certè erravit & errat, neque est summus, certissimus, infallibilis atque indubitatus in controversiis fidei atque morum Judex.

At prius verum est.

Ergo & posterius.

Adde, quòd in crimine hæreseos Papa non est Judex, sed ab alio judicari debet, Distinct. 40. cap. Papa.

Tertiò itidem hoc inanissimum & falsissimum esse inde colligimus, quòd Papistæ Pontificem suum Maximum pro capite Ecclesiæ visibili venditant. Contra hoc enim sic concludimus: 3. *Papam Ecclesiæ Catholicæ caput non esse.*

Si Romanus Pontifex esset caput Ecclesiæ Catholicæ, tum sequeretur, Ecclesiam Catholicam aliquando caput hæreticum habuisse, & etiam nunc habere.

At posterius est vehementissimè absurdum, imò etiam maximè periculosum & perniciosum.

Ergo & prius.

Quartò, quum Papa Romanus omnium errorum & hæresum caput atque fons sit, quibus plurimorum jam seculorum decursu Ecclesia vastatur & pessundatur, quis non cernit, omnes & singulos jure se ab ejus imperio, seu potiùs tyrannide, subducere & posse & debere? Nec enim vitari aut confici possunt errorum hæresumque portenta, nisi hoc caput à quo uno enata sunt, caveatur, effugiatur, vitetur, imò amputetur & præcidatur. Nec caveri aut exsiccari queunt venenati & lethiferi errorum atque hæresum rivi, nisi hic fons, à quo uno profluxerunt, & omnia in Ecclesia & Religione inundarunt, caveatur atque obstruatur. 4. *A Papa imperio debere sese omnes subducere.*

Hæc quatuor, inquam, in tota illa tractatione vel disputatione præsentis libri liquidissimè, ut confido, explicantur, demonstrantur & comprobantur,

Errata Typographica sic corrigantur; quorum prior numerus paginam posterior lineam denotat.

Pag.2.lin.13.dele,&c,3. 38.πῆχυν, .38.πήχυων, 4. .40. querentur,5. .3 volumina,in marg. Jactantia,6. .29. manifestissimis,38.pro coram, viam,41.reddet,7. .20. decipiant,30.catholicam. 8. .31. & 32. Arianismū,9.34.ipse 37.Euangelicos.10.1.animadvertatur,13.fiducia.11..11 ἀντικατηγορίαν, 24. condemnandos,12. 28.exemplum, 16.15. Gualthero,20 Iidem 24 Beumlerus, 27 hæreticus, 29. statum,17 2 ἱεραστήν,7 ἱεραστῆ,14 tribuitur,41 favere.18 39 sensim,ult opt mum ac19.19 ne,21 infecti,34 γνῶθι,21.7.imperatoris,17 quidem,22.19.& 20 pro co'las viæ,colluvie,36.ignavia 24.4 juvantnon,25 7 precationis,29 sinceræ,26.1.infirmitate, 27 2.jure,11.gignit,22 pertinaciter.26 Romanæ Ecclesiæ,30 l.12 ostendemus,16.At,31.4 solam,9 boni,24 Lirinensis,26.divinæ,27.catholicæ,32 Scripturis,32.5.Gynaicobaptismo,13.conciliique,16 Tridentini,35.detrahentes,34 6.comprobavimus,19. hæreticis,25 pro in gulum,lege jugulum,27.pro gemini,lege genuini,35.28 sinceritati,36.14.hæreticis,38 26.Valentinianorum,39 20 scurriliter,21 θεόπνευστον,26.cavillantur 40 4. si,7 Heilig/9 atque,17.Jesuitica,29 litigiosam,31 profectam.38 defendere, 41.4. papistæ,30 earum 31 sufficere,34 ὁδηγῷ,42.8.asservandum, adorandum,16.assuuntur,43.34 eodem,45.21 potestatis 24 prætoria 25.interpretandi,38 dele,quippe cu us in Ecclesiam obligando determinare,46.22 dictant,26.contortæ,47.17.Ecclesiæ,19 ligni,40.authoritate 48 12.extollere,31.dejiciendi,39 nemine judicari,49.2.hominib.25 Petri,40.purpurâ,50.6 dele pe,8 Christus,5.perantes,24 capita,51. 6. incarnetur,9.mactetur,22.polluunt,52 .3 ambulantem,54.1.argumentis,55.33 nu lus,56.23 traditio,57 4.satis,32.habuerit,58.14 præscriptione,18 præparat,38 1 ripturis,59 27 hebdomadam,28. jejunium,60 17 αὐτόπιστον,35 salutem,61.6 numerum,34.est,63 18.præconizaverunt,64.14. mandatum,15.præcipio,65.12 domi,25 nefario,34. vanitas,66.5 decernit,6 amplectendum,8 scripturæ, 33.laudandam,67.17. omnimoque,18 obtinendæ,68 23. petebantur,item aspectum.28 oggannit, 42.objecerint,69.21.pieque,70.23 nimirum,74.21.Christus,77 41 Caranzam,78.8.Cainorum 34. lætifica,79 8.αἰχμαλωτίζεται, 17 addc,quæ,81.23 honore,28 προσκυνητὸς,84 6.Donatistas,87. 3.iri,89.15 septicipitem,24. Johannis,31. At,90. 21.adhæserit, 30.Decretalib. 33 perversissimæ, 37. consarcinavit,39 in 41.interitum,91 34 spernenda,42.libero,92.16.precibus ignotâ linguâ,93 16. pontifice,95 26 ignavi,100 15 acceptarum,118.4 interioribus,120 10.justificatus,123 27 propositio,30. Euangelium,38 perficiendo,124.37.contradictoriæ,125 32. liberalitate, 129.31.non erubescant,132.17 ἐλεήσω,29 χαρίτωσιν,135 χρηστότητι,137.7. hærere,138 25.apprehendimus,33 λύτρον,139. 18.proximum,140.13 justificationem, 21.ut ad,142 11. præstare. 143.34 quæ,144 3.judicio,39 συνωνύμως,145.14.quod ad 17.jussus,147.22 ἀθυμία,150.23. hæreseos,24 Christo 32.cēsuere, 157.24.tribuit,158.9.cum per,159 36.sententiæ,160.6 est,161 8 honorem,162.2 allegavi, 11. reclusivè 24.cōmittitur,163.5.multa 164 32.imprecationib 165.6 sannis,168 39.laudē,171.10.jubilo,173.25. Augustani,192 33 prava,196.39.decedenti,207.35 Dominicani,qui,40.erupere,214 7.propria.227.25. ausam,228.13.canonē,235 21.amorem,23 atque,240.5.infectionis,158.31.orthodoxæ,260.15.Chemnitius,270.37 concupiscentia,272 27.mortuū,277.1.Lemma,280.3.ὁμόχρονον, σύμφυτον, 287.28. prohibetur,39 supplicio,304.22 poteritis.305.31 cooperantes, 331 32 φυσικῶς,334 10 συναδύνατος, 337.25.objecto,340,17 πρωτεῖον,18.ἔσχατον,37 præire,341,in margine,Anacephalæosis,344.33 solūmodò,36.se,41.spiritu,348.21 fingūtur,35.Inscitia,349.11.eis,27,oleas,36.συνεργῷ 38.ἀτροφίαν,350. 12 appellemur,355 38 vocavi,356.11.libertas,365 13 levicula,366.14 superbiam,18 temporalis,369. 27.sanguinariis,380 12. Eremita,28. Novatianos,402.33 Petri,403.turbam,406.5.Mat.28 30.necessitate,418.26.nihil,430 35 anathema.452.in marg.meriti, 499.24. quum, 500.19 Gentilismo, 502 37 tenētes,505.19 peccarat,508 19 τῶν ἁμαρτημάτων, 21 τὸν ὅθεν,534 18.scripturas,540 34.χριστιανισμός,38.Franciscum,36.stigmatib 543.6.Qui,θεότητα,552.1.θεόπνευστον,608 35.efferendas,deorsum, 610 33.plenam, 638.2.tetendit.



RERUM PRAECIPUARUM

Quæ hoc secundo DE HODIERNIS HÆRESIBUS ET HÆRETICIS Tractatu continentur

INDEX.

gat

Felix

I.

Pauli

FINIS.